8155

Cc

Ulrich Middeldorf

CATALOGUS ARTIFICUM

SIVE

ARCHITECTI STATUARII SCULPTORES PICTORES CAELATORES ET SCALPTORES

GRAECORUM ET ROMANORUM

LITERARUM ORDINE DISPOSITI

A

IULIO SILLIG.

ACCEDUNT TRES TABULAE SYNCHRONISTICAE.

DRESDAE ET LIPSIAE
LIBRARIA ARNOLDIA
MDCCCXXVII.

GROSHERZOGLICHE BIBLIOTHEK
NEUSTRELITZ

CAROLO AUGUSTO BOETTIGERO

ARCHAEOLOGORUM QUI NUNC SUNT

PRINCIPI

S. D.

IULIUS SILLIG.

Mittens ad TE, VIR PRAESTANTISSIME, hunc librum duplici potissimum ratione affectum me sentio. Ac primum quidem negare neque possum neque si possem, vellem, me vitam hucusque mihi actam respicientem et quam varia, quam magna sint TUA de me merita considerantem, aliquo eoque non levi perfusum esse gaudio, quod iam gratias TIBI debitas, nullo non tempore mente agitatas, palam agere atque ita rem dudum exoptatam perficere mihi licet. Septem iam elapsi sunt anni, ex quo a *Spohnio* meo, quem, ut Ciceronis verbis utar, quadam admiratione commotus saepius fortasse laudo quam necesse est, TE primum adeundi facultas mihi data est, quae viri huius desideratissimi com-

mendatio tantum apud TE valuit, ut exinde et sermone et literarum commercio me dignarere et patroni instar clienti TUO semper adesses. Enumerare nequeo, quot et quanta beneficia ex illo inde tempore in me contuleris, quibus iam me adeo TIBI obstrictum habes et nisi recusas habebis, ut nemo me amore et pietate erga TE superare possit. Quid mirum, quod sensa animi verbis quoque profiteri cupiebam et opportunitatem circumspiciebam, qua vota mea solvere possem. Quam quum hoc ipso, quem nunc edo, libello oblatam mihi esse putarem, diu tamen haesitabam, an TIBI consilii mei nescio illum dedicare sub TUISque auspiciis in publicum emittere auderem, et anxiae dubitationi cessissem, nisi et origo et argumentum libri eam vicisset animumque meum confirmasset. Est enim ille non solum archaeologicus, sed idem hac de causa TIBI inscribendus, quod per TE quasi natus est et educatus, quum TE potissimum auctore ista studia sequi coeperim, quod ut rite facerem, TE iterum iterumque monente primo Gottingam, cuius almae literarum sedis gratam memoriam usque colam, repetens quidem quantam utilitatem et voluptatem cum ex aliis, quae illic mihi contigerunt, tum ex *Heerenii* et *Odofredi Mülleri* scholis historicis et archaeologicis sermonibusque perceperim, inde vero Parisios me contuli, quo ut proficisci possem REGIS Nostri Clementissimi et amicorum eius sapientissimorum insignis indulgentia effecit. Parisiensium autem codicum auxilio destitutus vix ad hunc

libellum conscribendum me accinxissem, et vides iam, VIR PRAESTANTISSIME, si originem et argumentum libri spectas, aliquam eius TIBI, nec levem offerendi causam mihi fuisse; quo iure tamen obtulerim, penes TE aliosque viros, quorum de his rebus iudicare est, iudicium esto.

Etenim, si quis alius, ego ipse quam varia ratione hic liber TUA exspectatione inferior futurus sit, optime perspicio, neque eum iam publicassem, nisi otii mei Parisini aliquod specimen edendum mihi esse vidissem, quod cum nonnullis aliis scriptoribus tum maxime Plinii historiae naturalis libris extremis impendi. Ipse vero Plinius, qui nunc maxime me tenet et de quo edendo iam Gottingae cogitare coepi, diutius in scriniis meis latebit, in dies magis magisque me intelligente, hunc esse scriptorem unum ex omnis antiquitatis corruptissimis, interpolatum a librariis, editum deinde ex hisce ipsis codd. interpolatis, et quia interpretes quaedam ferri omnino non posse videbant, ex mero arbitrio mutatum, adeo ut mireris, Plinii multos locos ut indubios a V. V. D. D. laudari, quorum scripturam in codd. inventam si inspicias, cautius illos adhibendos esse intelligas. Huc accedit, quod pauci tantum codd. a prioribus editoribus usurpati, et hi quidem negligentissime et de singulis modo verbis consulti sunt, quod maxime dolendum de codice Vossiano antiquissimo, eodem vero mutilo, cuius notitiam summus *I. Fr. Gronovius* dedit, qui vir linguae Latinae eiusque maxime soluti sermonis in primis

peritus, ingenii acumine a paucis superatus, per aliquot plagulas, quibus emendationes suas Plinianas ab libro inde XX. mandavit, Plinio maiorem attulit utilitatem, quam omnes qui antea de eo emendando cogitaverant. Talis viri vestigia premere (de *Harduino* hic tacere praestat, de quo alio loco prolixius agetur), res est magni momenti multique laboris, et veneratio ei debita nos illotis manibus eam, quam ipse rem tractaverat, denuo tractare vetat. Sed redeundum iam est, VIR PRAESTANTISSIME, ad libellum cuius conscribendi consilium cum TU tum *Creuzerus* mihi confirmastis, cuius Viri Egregii benevolentiam erga me insignem, comprobatam etiam, cum *Valckenarii* notas margini libri *Iuniani* adscriptas nihil tamen nisi locorum veterum scriptorum notationem paullo accuratiorem continentes ad me mitteret, in summis vitae meae ornamentis pono. Et quum permulti quidem Viri Doctissimi, quorum nomina omnibus nota laudare non attinet, singulorum artificum vitas et opera egregie illustrassent, nemo tamen omnes pertractaverat excepto *Francisco Iunio,* cuius *catalogus artificum* alteri editioni librorum de Pictura Veterum additus Roterodami seculi septimi decimi anno nonagesimo quarto prodiit. Quod opus a Iunio maxime ex *Caroli Datii* collectaneis manu exaratis mala fide compilatum, testante certe *I. I. Grundio* in praefatione libri de pictura Graecorum Vol. I. p. VII., ab omnibus qui non obiter in historiam artis Graecae cognoscendam incumbebant, liber uti-

lissimus et habitus et praedicatus est, quum et artifices, quorum notitia ad nos pervenit, in eo satis diligenter enumerati et loci veterum scriptorum summa industria undecunque congesti fuissent, ut plures libri, qui in nonnullorum recentiorum populorum linguas est conversus, adeo fructuosi neque admodum saepe veno prostantis editionem iteratam cuperent, TE potissimum in libro aureo (Ideen zur Archaeologie der Malerei I. p. 124. sq.) talis conatus auctore. Ac primum quidem de ipso catalogo *Iunii* typis tradendo meisque observationibus ei addendis meditabar, a quo tamen consilio revocatus sum, quum copiis criticis collectis opus aggrederer. Tot enim vitia, quae credulitas scriptoris, eius inscitia linguae Graecae et Latinae, festinatio denique qua eum opus conscripsisse apparet temeraria, peperit, in eo deprehendi, ut opus *Iunianum* totum reiiciendum et novum mihi condendum esse viderem, omnino probans iudicium, quod *Toelkenius* postea in Amaltheae Vol. III. p. 122. de *Iunii* libro tulit. Quo factum est, ut ex *Iunio* nihil fere nisi ordinem literarum retinerem, unde veniam dabis, si paulo explicatius de consilio, quo in libello meo conscribendo usus fuerim, agam ne forte lectores maiora a me exspectent, quam praestare et volui et potui. Ut vero ab inscriptione opusculi incipiam, scis ipse, quam diu eam mente et cogitatione volverim, incertus veterem, ineptam illam quidem, quum artificum sit apud Romanos latissima notio, utrum reiicerem an retinerem. Et

ad reiiciendam eam cum aliae me impellere poterant causae, tum hybrida, ut ita dicam, et valde inficeta ipsorum verborum coniunctio; ut vero retinerem, praeter usum iam paene inveteratum et a Viris Doctis receptum, ut non adeo eos offendere verer, permovit etiam difficultas alius cuiusdam reperiendae, quae non minus brevis quam *Iuniana* idem tamen significaret. Ne quis tamen verae notioni vocis *artifex* acriter insistens, statim ex titulo operis occasionem mei carpendi arriperet, quales artifices intelligendi essent, addere necessarium duxi, quod TU ipse haud improbasti, unde tamen nata est longa illa verborum series, de qua praeterea pauca monenda sunt. Tres enim sunt artificum ibi memoratorum classes, de quibus nondum omnis dubitatio est remota. Etenim quod discrimen inter *scalptores* et *sculptores* statuunt *Salmasius* ad Solinum p. 1101. ed. Par. ad Iustinum XV. 4. et *Lessingius* in epistolis rem antiquariam spectantibus Vol. I. p. 140. ed. Berol. 1778., ut illi sint incisores gemmarum, hi marmor caedentes, alii non minus praestantes viri, velut *Oudendorpius* ad Suetonii Galbam 10., hoc nullum esse contendunt, qui quum *scalpendi* vocem de opere rudiore, *sculpendi* de artificiosiore usurpari putasset, *F. A. Wolfium* non dissentientem habuit, qui insuper eadem ratione γλάφειν et γλύφειν Graecis scriptoribus in usu esse monuit. At, dicet aliquis, codicum meliorum scriptura hic inprimis exploranda, et Plinianis potissimum aliquid tribuendum est.

Audio; sed ut subsidia illa critica in maximis rebus saepe nos destituunt, ita et in hac quaestione iudicanda nullum ex iis lucrum spero, et *Heindorfii* modestiam potius laudandam quam inscitiae nomine culpandam esse putaverim, qui in commentario ad satiras Horatianas p. 285. rem semper incertam fore pronunciavit. Etenim ipse codex Plinianus Regius I. cuius summum pretium tum quum Parisiis epistolam ad TE darem, quam Amaltheae TUAE volumini tertio inserere dignatus est, nondum perspectum habui, in utraque voce multum variat, et modo Phidiam *marmora scalpsisse,* modo Euphranorem eadem marmora *sculpsisse* tradit, in uno tamen loco, qui huic rei investigandae mihi inprimis aptus esse videtur (XXXV. 12. s. 45. *Pasiteles plasticen matrem caelaturae et statuariae sculpturaeque dixit),* *sculpturam* retinet, cum reliqui libri Parisini *scalpturam* exhibeant. Multo plura huius confusionis exempla congerere possem, nisi verecundia TIBI debita illud vetaret, et quae iam attuli, eo tantum consilio a me dicta TIBI videantur, ut levitatis crimen a me removerem, quod facile quis in me intenderit, quum in inscriptione libri *sculptores* a *scalptoribus* ex *Salmasii Lessingiique* sententia inter se discerni videat, cui discrimini statuendo, quamquam verum habeo, libenter tamen supersedissem, nisi artifices has artes tractantes memorandi fuissent. TE ipsum autem, VIR ERUDITISSIME, non latet, quantopere scriptores veteres in designando artis cuius-

que genere varient, quod praecipue πλαστῶν et *fictorum* voces demonstrant, de quibus egregie monuerunt duumviri, quibus Philostratorum imagines ad pristinum nitorem restitutas debemus, *Welckerus* et *Iacobsius* ad hunc ipsum librum p. 195. sq. quibus nunc addenda sunt, quae ex *Hemsterhusii* schedis enotavit *Iacobus Geelius* in Anecdotorum Hemsterhusianorum Volumine I. p. 17. De *statuariis* dicere quum necessarium non sit, paucis tamen de *caelatoribus* agendum est, quod nomen quum primum eos significet, qui metallis ad minora opera fabricanda utuntur, deinde etiam ad alios artifices transfertur, ut omnino ea opera *caelata* dici videantur, quae nunc *Bassirilievi* vocant, sive ea ex metallis sive ex marmore confecta. Quod tamen ultimum quum potissimum *sculptoribus* conveniat, *caelatores* de iis sumsi, quos etiam *vascularios* dicebant, qualem, ut e multis unum producam, Mentorem fuisse constat.

His rebus minutis diutius immorati TUAque patientia, ut sentimus, nimis abusi ad librum ipsum transire possumus, qui fortasse nonnullis comparantibus illum cum Catalogo *Iuniano* mancus videbitur, quum plures artifices a *Iunio* laudatos hic frustra sint quaesituri. Hinc dicendum esse video de omissionibus, quas, quum non unius generis sint, deinceps enumerabo. Et primum quidem eieci omnia ista nomina, quae e malis priorum editionum lectionibus ortae *Iunium* in errorem deduxerant, et quae nunc vel ab aliis vel a me ipso emendata plane ali-

ter leguntur. Nolui autem malis illis lectionibus locum dare, sed talia in appendicem reieci, ubi, si quis in ipso catalogo *Geladam* vel *Eladam* frustra quaesiverit, ad *Ageladam* remittetur: neque ineptum esse putavi, si forte eundem artificem a variis scriptoribus vario nomine appellatum inveniebam, eum semel tantum in catalogo producere, reliquis nominibus ut variis tantum lectionibus appendici insertis, quod inprimis de *Dinocrate*, qui et *Diocles*, *Stasicrates*, *Dinochares* audit, dictum esto. Eiiciendi porro fuerunt artifices nonnulli a Iunio invita Minerva procusi, quorum in numero mirus fuit ille *Mendaeus*. Exstirpavi omnes opifices, mechanicos, quos larga manu attulerat *Iunius*, inventores instrumentorum, omnes, si Diis placet, artifices mythicae aetatis, velut *Agamedem*, *Trophonium* et ipsum *Vulcanum*, eos porro, qui post divisum imperium Romanum Byzantii vixerunt, atque ex inscriptionibus eos tantum artifices recepi, qui in basi laudati opus aliquod, quamquam non amplius exstans, confecisse dicuntur, iis contra, quorum nomina e lapidibus funerariis ad nostram memoriam pervenerunt, in appendicem reiectis. Silentio, ut par fuit, pressi nomina terrarum et urbium, quarum incolae alicuius opificii peritia inclaruerunt, principum, qui artifices ipsasque adeo artes munificentia sua adiuverunt. Ubi duo fere una memorantur artifices (velut *Dipoenus* et *Scyllis*), omnia quae de utroque nota sunt, eodem loco pertractavi, ut scilicet repetitiones, quatenus id fieri potuit, evitarem.

In paucis autem, qui nobis noti sunt, Romanae originis artificibus hunc morem secutus sum, ut cognominum rationem haberem, nomina gentilia negligerem, unde Pictorem neque Fabium invenies. In universum autem hoc TU animum advertas velim, me non artis eiusque operum sed tantum artificum historiam scribere voluisse, unde nonnulla hunc illumve facile offensura prolixiore excusatione haud egebunt.

De ratione ipsa, qua in conscribendis singulorum artificum vitis usus sum, coram TE loqui dedecet, quem, si fas est magnis componere parva, tanquam optimum talium quaestionum exemplum intueor. Si quid ergo opera dignum praestiti, TUIS scriptis et sermoni, quo me dignari soles, maxima ex parte me illud debere gratus profiteor, neque TU, quae est morum TUORUM singularis comitas et mansuetudo, vitio vertes, quod sicubi a sententiis Virorum D. D. recedendum videretur, non prolixis disputationibus et rixis sed simplici eorum, quae mihi ipsi probarentur, expositione lectores in meas partes traducere conatus sum, quod sane non memorassem, nisi vererer, ne silentium meum in arrogantiae ineptae suspicionem me adducere posset, a qua aeque ac obtrectandi libidine me liberum esse sentio. Ubi vero certis veritatis iudiciis nos deficientibus, plures deinceps Viri Docti *verosimilia* tantum protulerant, eodem equidem iure usus sum. Sunt enim in veterum scriptis multi loci, quorum iustam expositionem primo

conamine vix impetrare possis, ita ut plures opiniones audiendae sint, quibus inter se comparatis quid verum sit, facilius fortasse elucebit. Non minus autem quam id, quod modo memoravi, metuo alterum, quod pestis instar fugio, opprobrium alieni boni clam a me surrepti, cui is qui archaeologicum aliquem librum conscribit, facile obnoxius esse potest, quum in his potissimum literis dies diem doceat et quae quis ut nova protulisse sibi videtur, in diario menstruo vel aliis abditis locis aliquamdiu fortasse iam latuerint. Eodem etiam refero usum, quem aliquoties in Amasaei versione itinerarii Pausaniae adhibenda mihi concessi, ubi in describendis operibus illam reddidi, qua meliorem me dare posse desperavi.

Ultimum nunc mihi restat, VIR PRAESTANTISSIME, ut agam de locis e Plinii historiae naturalis libris extremis desumptis, de quibus saepe loquendum mihi fuit, ut adeo hunc librum praecursorem editionis illius particulae operis amplissimi haberi velim, quae aliquando, ubi pluribus fortasse subsidiis criticis collectis meisque ipsius viribus magis auctis et corroboratis prodibit. Hic, ne praefationis fines nimis excedam, de ratione, qua in recensendis locis Plinianis usus sum, paucissima quaedam monebo, quae eo libentius ad TE exponam, quo gratior inde mihi oritur recordatio viri, cuius liberalitate et humanitata insigni effectum est, ut fragmenta illa Pliniana paullo emendatiora dare possem. Etenim *Carolus Hasius*, quocum et

TIBI dulcissima amicitiae coniunctio intercedit, Parisiis quum versarer, cum aliis rebus, tum codicibus Plinianis summa comitate et ingenuitate mihi impertiendis, studiis meis egregie profuit. Magnis vero etiam laudibus extollenda est insignis humanitas et mirifica benevolentia, qua alii Viri Parisini nobilitate generis, munerum splendore et meritis literariis conspicui, sicut *Raoul-Rochettius*, qui cum ampla eruditione elegantiam morum et urbanitatem vere Atticam coniungit, *Gailius*, cui literarum Graecarum studium in Francogallia plurima debet, *St. Martin*, cuius opus chronologicum cupide exspectant, quicunque quaestiones eius subtiles de tempore mortis Alexandri Magni, de regno Ptolemaeorum norunt, horumque similes me adolescentulum exceperunt, qua humanitate id fere consequuntur ut bibliothecae et musea ipsorum curae demandata summam, quae ab iis exspectari potest, utilitatem iis praebeant, quibus Corinthum illam adire contingit. Illis igitur copiis Parisinis, quibus utinam plenam codicis Vossiani, qui nunc in Anglia servatur, collationem addere licuisset, egregie adiutus, haud exiguam locorum Plinianorum copiam emendare conatus sum, iisque brevem adnotationem criticam et exegeticam subieci, in qua potissimum locos aliorum scriptorum opera artificum a Plinio laudata commemorantium attuli. In illa si forte subinde TIBI iusto brevior visus fuero, causas mutationum aliquando prolixius exponendas hic paucis modo verbis attingere licuit, ne libri moles nimis

augeretur. In verbis autem Plinii emendandis me potissimum codicem Regium I. secutum fuisse, quaque fere pagina animadvertes et idonei harum rerum arbitri haud cunctanter iis subscribent, quae *I. Fr. Gronovius* de codicibus adeo egregiis in praefatione ad Senecam praecepit. Sed de his tacere praestat, ne forte TE VIR PRAESTANTISSIME statim in limine libelli ab eius lectione deterream, quod ne fieret, verendum esset, si TE praefatione spissa et iniucunda iam probe, quod sentio, exercitum et defatigatum ulterius in dumeta critica deducturus essem.

Pauca adiicienda sunt de tabulis synchronisticis, quae disputationum variarum per ipsum librum dispersarum summam ob oculos lectoribus ponant et brevem historiam artificum veterum exhibeant. Neminem artificem, cuius aetas quodammodo definiri potuit, omisi neque iniucundum est videre, quomodo historia artificum paulatim ex tenebris reconditae antiquitatis exsurgens per tempus haud ita magnum clarissima luce effulgeat, et post Alexandrum M. sensim sensimque ad obscuritatem priorem relabatur. Cur Plinii obitum huic synopsi finem imponere iusserim, TE non latet, et tertius quem feci tabularum ordo haud ita disparia continet, quam primo quidem obtutu videatur, quamquam negare nolo, symmetriae quoque, pro qua, ut Plinii mei verbis utar, Latina lingua nomen non habet, aliquid tributum fuisse.

Sed haec hactenus! Patientia quidem TUA, qua me coram loquentem excipere solebas, hanc epistolam scribens ultra modum usus sum, atque illa tantum fretus huncce libellum TUAE benevolentiae commendavi. Quo TU igitur hucusque animo scriptorem es amplexus, eius quantulamcunque certe partem scriptioni huic ne deneges, unde sperare possim fore ut insigni favore, quo TU me ornare voluisti, et in posterum haud indignus iudicer. Unum est quod addam, ut diutissime etiam philologiam, quae TE natum spiritu suo divino afflavit, puerum nutrivit, iuvenem virumque per amoena locorum duxit, monumentis et auctoritate ornare et augere pergas, omnium philologorum exemplum longe splendidissimum.

Scribebam Dresdae Ipsis Calendis Martiis Anni MDCCCXXVII.

Ἀχάριστος ὄλοιθ᾽ ὅτῳ πάρεστι
μὴ φίλους τιμᾶν, καθαρὰν
ἀνοίξαντα κλῇδα φρενῶν·
ἐμοὶ μὲν φίλος οὔποτ᾽ ἔσται.

Εὐριπίδης.

A.

ACESTOR.

Statuarius memoratus a Pausania VI. 17, 2. Ἀλεξιβίῳ δὲ πεντάθλου γέγονε νίκη· καὶ Ἡραία τε Ἀρκάδων ἐστὶν αὐτῷ πατρίς, καὶ Ἀκέστωρ ὁ τὴν εἰκόνα εἰργασμένος. Fuit Cnosi natus vel saltem ibi aliquamdiu artem exercuit (Pausan. X. 15, 4. Ἀμφίων Ἀκέςορος Κνώσιος), eique filius fuit Amphio, qui a Ptolicho Corcyraeo edoctus ipse Pisonem Calaurensem instituit. (Pausan. VI. 3, 2.) Quum vero Ptolichus circa Ol. LXXXII., Amphio vero LXXXVIII. viveret, hinc et Acestora eius patrem Ptolichi aequalem fuisse necesse est. V. *Critias* et *Democritus.*)

ACRAGAS.

Caelator argenti incertae aetatis et patriae, de quo Plinius XXXIII. 12. s. 55. haec refert: *Proximi ab eo* (sc. Mentore) *admiratione* [1]) *Acragas et Boethus et*

---

[1]) Vulgo *in admiratione;* praepositionem omittunt Reg. I. II. Dufresn. I. Colbert. — [2]) vulgo *Bacchae Centaurique caelati in scyphis.* Illud reposui ex coniectura J. F. Gronovii, quam totidem literis confirmant Reg. I. Ed. Pr. quum

Mys fuere. Exstant hodie omnium operae in insula Rhodiorum, Boethi apud Lindiam Minervam: Acragantis in templo Liberi Patris in ipsa Rhodo Bacchas Centaurosque caelati scyphi: [2]) *Myos in eadem aede Silenus* [3]) *et Cupidines. Acragantis et venatus in scyphis magna fama.*

ADMO.

Scalptor incertae patriae, qui Augusti tempore vixit; gemma ap. Bracci T. I. tab. 1. — Effigiem Augusti egregie cameo inscalpsit, quem primus ut videtur publicavit Mongez in Iconographia Romana, tab. 18. nr. 6.

AEGINETA.

Notissimus est locus Plinii XXXV, 11. s. 40. *Erigonus tritor colorum Nealcae pictoris in tantum ipse profecit ut celebrem etiam discipulum reliquerit Pasiam, fratrem Aeginetae fictoris*, ubi quum Winckelmannus (Opp. VI. p. 13.) eiusque intpp. (VI. 2.

---

in Cod. Voss. legatur *Centauros Bacchasque caelatis scyphis*, in Reg. II. *bachas centaurosque caelatas. Cipininis in eadem*, in Gud. Men. Acad. Colbert. *bacchas* (vel *bacas) Centaurosque caelatas. Cipimius in eadem.* De constructione vide simillimos locos ap. Valer. Flacc. I. 402. *Tum caelata metus alios gerit arma Eribotes*, et 398. *casusque tuos expressa Phalere Arma geris.* Adde Heins. ad eund. I. 491. et Markland. ad Stat. Silv. II. 3, 53. p. 236. ed. Dresd. — [3]) vulgo *et Silenus.* Coniunctionem haud agnoscunt Voss. Reg. I.

p. 30.) vocem *Aeginetae* de artifice quodam in insula Aegina genito, cuius nomen Plinius nescio qua de causa reticuerit, intelligendam esse putaverint, Fea contra (Storia delle arte T. II. p. 173.) et diu ante eum Harduinus ad Plinii l. l. contenderunt, non patriam, sed ipsum artificis nomen, qui *Aegineta* dictus sit, indicari. Accessit iis nuper Odofr. Müllerus (Aegin. p. 107.) qui contra Winckelmannum eiusque interpretes recte monet Plinium, si ut ipsis placet loqui voluisset, scripturum fuisse: *Pasiam Aeginetam fratrem — fictoris.* Alterum argumentum idem affert, Arati quidem tempore Aeginam fictores non amplius genuisse. Ceterum ipsum nomen offendere non potest, siquidem alia quoque populorum nomina virorum fuisse notum est, ut Ἀθηναῖος. — Quo autem tempore floruerit Aegineta, facile colligi potest ex verbis Plutarchi, quae s. v. *Nealces* descripsimus. Fuit enim hic aequalis atque amicus Arato Sicyonio, qui quum patriam suam liberasset, praetor Achaici foederis Ol. CXXXIII. 4. ante Ch. n. 245. electus est. Non multum igitur errabimus sumentes, Aeginetam pariter atque Pasiam circa Ol. CXL. floruisse.

AELIUS.

Scalptor primi post Ch. n. seculi. Exstat eius gemma, caput Tiberii, (Bracci tab. 2.)

AEPOLIANUS.

Scalptor secundi post Ch. n. seculi, cuius gemma exstat, caput M. Aurelii Antonini. (Bracci T. I. tab. 3.)

AESCHINES.

Statuarius incertae aetatis et patriae memoratus a Diogene Laert. II. segm. 64.

AESCHRAMUS vide CEPHISODORUS.

AESOPUS.

Caelator, ut videtur Sigeensis, incertae aetatis, qui cum suis fratribus sive sociis cratera cum basi et colo fecit, a Phanodico filio Hermocratis in prytaneo Sigeensi dicatum. Utrum Aesopus suo iure artificibus annumerandus sit, nec ne, nunc quidem nescimus. Omittendus tamen non fuit. V. Inscriptio Sigeensis, cuius verum sensum aperuit Hermannus in libro: über H. Prof. Böckhs Behandlung der griechischen Inschrift. p. 216—219. Comparari quodammodo Aesopo potest Glaucus Chius.

AETIO.

I. Pictor tempore Alexandri Magni maxime nobilitatus pictura nuptiarum Alexandri et Roxanes, de qua Lucianus in Herod. 5. §. 65. T. I. p. 834. haec dicit: *Aἐτίωνα φασὶ τὸν ζωγράφον συγγράψαντα τῆς Ρωξάνης καὶ Αλεξάνδρου γάμον, εἰς Ολυμπίαν καὶ αὐτὸν ἀγαγόντα, τὴν εἰκόνα ἐπιδείξασθαι, ὥστε Προξενίδαν Ἑλλανοδίκην τότε ὄντα ἡσθέντα τῇ τέχνῃ γαμβρὸν ποιήσασθαι τὸν Αετίωνα.* Alio loco (Imagg. 7. T. II p. 466.) idem Lucianus hanc picturam memorans labra Roxanes summis laudibus ornat.

II. Sculptor qui medio fere saeculo III. ante Ch. n. floruit, notus ex uno Theocriti Epigr. VII. — Impetrante Nicia, medico tum temporis celeberrimo Mileti, statuam Aesculapii ex cedro finxerat:

ὁ δ' εἰς ἔργον πᾶσαν ἀφῆκε τέχναν.

III. Scalptor incertae aetatis; v. Bracci T. I. p. 18.

AGASIAS vide HEGESIAS.

AGATHANGELUS.

Scalptor qui caput viri Romani gemmae egregie incidit. (*Winckelm. descript. des pier. grav. du Cab. de Stosch.* Cl. IV. sect. 2. p. 37. n. 186. Bracci I. p. 24.) Winckelmannus Opp. V. p. 124. VI. p. 212. in gemma illa Sextum Pompeium effictum esse vult, de qua tamen re secundum Intpp. Winckelm. V. p. 423. alii archaeologi dubitant.

AGATHARCHUS.

Pictor, Eudemi filius, genere Samius, (*Harpocration* s v.) *αὐτοδίδακτος* (Olympiodor. ap. Bentl. opusc. philol. p. 349. ed. Lips.) qui tempore Alcibiadis et Zeuxidis floruit, quem Plinius Ol XCV. 4. *artis fores apertas intrasse* dicit. De ingenio et meritis huius viri nihil nobis traditum est; coniicere tamen licet, artem pingendi per eum non multum profecisse, Plutarcho (Pericl. 13.) haec de eo referente: *Φασὶν Ἀγαθάρχου τοῦ ζωγράφου μέγα φρονοῦντος ἐπὶ τῷ ταχὺ καὶ ῥαδίως τὰ ζῶα ποιεῖν, ἀκούσαντα τὸν Ζεῦξιν εἰπεῖν· Ἐγὼ δ' ἐν πολλῷ χρόνῳ.* Eidem artifici accidit, ut Al-

cibiadi ludibrio esset, quod breviter Plutarchus (Alcibiad. 16.) prolixius autem Andocides (Orat. c. Alcibiad. §. 17. ed. Bekk.) narrat, cuius verba haec sunt: *Ἀλκιβιάδης εἰς τοσοῦτον ἐλήλυθε τόλμης, ὥστε πείσας Ἀγάθαρχον τὸν γραφέα συνεισελθεῖν οἴκαδε τὴν οἰκίαν ἐπηνάγκασε γράφειν, δεομένου δὲ καὶ προφάσεις ἀληθεῖς λέγοντος, ὡς οὐκ ἂν δύναιτο ταῦτα πράττειν ἤδη διὰ τὸ συγγραφὰς ἔχειν παρ' ἑτέρων, προεῖπεν αὐτῷ δήσειν, εἰ μὴ πάνυ ταχέως γράφοι· ὅπερ ἐποίησε. καὶ οὐ πρότερον ἀπηλλάγη πρὶν ἀποδρὰς ᾤχετο τετάρτῳ μηνί, τοὺς φύλακας λαθών, ὥσπερ παρὰ βασιλέως. οὕτω δ' ἀναίσχυντός ἐστιν, ὥστε προσελθὼν ἐνεκάλει αὐτῷ ὡς ἀδικούμενος, καὶ οὐχ ὧν ἐβιάσατο μετέμελεν αὐτῷ, ἀλλ' ὅτι κατέλιπε τὸ ἔργον ἠπείλει, καὶ οὔτε τῆς δημοκρατίας οὔτε τῆς ἐλευθερίας οὐδὲν ἦν ὄφελος· οὐδὲν γὰρ ἧττον ἐδεδοίκει τῶν ὁμολογουμένων δούλων.* (Adde Demosth. Midian. p. 562. ubi Scholiastes causam huius iniuriae aperit.) De tempore igitur quo Agatharchus vixerit, dubitatio esse non potest; et si quaerimus, quando fere Alcibiades artifici illuserit, iuvare nos aliquatenus potest Andocides in ead. orat. §. 22. unde saltem apparet, orationem (quam statim ante Siculam expeditionem Ol. XCI. 2. a. Ch. 415. ne verbo quidem memoratam dictam non dubito) paullo post excidium Meli (Ol. XCI. 1. a. Ch. 416.) habitam fuisse. Jam si fere anno 420. iniuriam Agatharcho illatam sumimus, hinc usque ad Ol. XCV. 4. spatium viginti trium annorum intercedit, nihilque est quod nos offendere possit. At ecce surgit contra nos Vitruvius, qui (Praef. libr. VII.) hucusque disputata valde incerta reddit. Dicit nimi-

rum haec: *Namque primum Agatharchus Athenis, Aeschylo docente tragoediam, scenam fecit et de ea commentarium reliquit.* Neminem fugit, haec verba haud parum difficultatis nobis facessere, quum iis quae aliunde de Agatharcho scimus plane adversentur. Agatharchus enim, qui Aeschylo scenam fecit, paullo post Ol. LXX. floruerit necesse est, cuius Olympiadis anno I. Aeschylus primum tragoediam docuit (cfr. Hermannum Virum Summum de Choro Eumenidum II p. 8. Naekium de Choerilo p. 4. Perperam Clintonus in Fastis Hellenicis p. 21. annum II. dicit.), et Böttigerus (Archaeol. Pict. I. p. 284.) haud ita multis puto persuadebit, Agatharchum Zeuxidis aequalem Aeschylo *scenam pinxisse.* Quas controversias ut dirimeret, Henricus Meyerus (Hist. Art. Gr. T. II. p. 150. sq) eo progressus est, ut concedens quidem, Agatharchum tempore Zeuxidis vixisse, diceret eum scenas tragoediis Aeschyli pinxisse, sed post mortem demum poetae, quum serius eius fabulae denuo docerentur. Quam sententiam neminem probaturum esse autumo, qui et in locum paullo accuratius inquisiverit, et quid sit *fabulam docere* bene intellexerit. Omnia autem, ut paucis rem complectar, quae archaeologi doctissimi de Agatharchi aetate, ratione loci Vitruviani habita, disputarunt, frustra disputata esse videntur. Nam ubi tandem dixit Vitruvius, Agatharchum scenam *pinxisse? Fecit* scenam, i. e. exstruxit, unde Horatius Art. Poet. 279. 280. explicandus est. Picturae ipsae, ut Aristoteles de Poet. 4, 16. ed. Herm. tradidit, a Sophocle demum in-

ventae sunt, et mechanicus (μηχανοποιὸς, ante Ch. n. 500.) qui de arte sua scripsit, a pictore (ante Ch. n. 416.) est diversissimus. Quod vero Bentleium, qui l. l. in hunc finem de Agatharcho disputavit, ut eum et Aeschyli et Alcibiadis aequalem haberi posse demonstraret, iusto minus curare videor, feci quod Bentleius Zeuxidem non memoravit. Etiamsi enim concedere volumus, illorum virorum aetate Agatharchum vixisse, nemo tamen adeo facilis erit, ut eum qui Aeschylo scenam fecerat, Zeuxidis aequalem credat.

AGATHEMERUS.

Scalptor gemmae cum effigie Socratis, ap. Bracci T. I. tab. 6.

AGATHOPUS.

Scalptor gemmae cum capite viri senis Romani, ap. Gori in Gemmis Etruscis T. II. pl. 1. nr. 2. Bracci T. I. p. 38.

AGELADAS.

Statuarius eximius, clarus discipulis quos habuit Phidia, Polycleto Sicyonio et Myrone, de quorum utroque v. Plin. XXXIV. 8, 19. Origine fuit Argivus, ut diserte tradit Pausan. VI. 8, 4. VII, 24, 2. VIII. 42, 14. De cuius aetate priusquam agere possum, de nominibus duorum aliorum artificum dicendum est, quos tamen re vera ab eo de quo nunc agitur haud diversos esse V. V. D. D. dudum recte perspexerunt. Et Scholiastes quidem in Aristophanis Ranas 504. haec habet: Ἡ Μελίτη δῆμος τῆς Ἀττικῆς, ἐν ᾗ ἐμυήθη Ἡρα-

κλῆς τὰ μικρὰ μυστήρια· ἔστι δὲ καὶ ἐκεῖ Ἡρακλέους ἐπιφανέστατον ἱερὸν ἀλεξίκακον (l. Ἀλεξικάκου). τὸ δὲ τοῦ Ἡρακλέος ἄγαλμα ἔργον Ἐλάδου τοῦ Ἀργείου, τοῦ διδασκάλου Φειδίου· ἡ δὲ ἵδρυσις ἐγένετο κατὰ τὸν μέγαν λοιμόν· ὅθεν καὶ ἐπαύσατο ἡ νόσος πολλῶν ἀνθρώπων ἀπολλυμένων, (Ol. LXXXVII. 3. 4.) quo cum loco conferendus est Tzetzes in Chiliad. VII. 154.

Φειδίας ὁ περίθρυλλος ὁ Ἀττικός, ὁ πλαστής,
Ὁ γεγονὼς καὶ μαθητὴς Γελάδου τοῦ Ἀργείου
VIII.191 Γελάδου τοῦ Ἀργείου μὲν ἦν μαθητὴς Φειδίας,
Τοῦ ἐν Μελίτῃ Ἀττικῆς πλάσαντος Ἡρακλέα.

et Suidas: Γελάδας ἀγαλματοποιός, διδάσκαλος Φειδίου. Comparatis inter se hisce locis, hoc statim in oculos incurrit, Scholiastae restituendum esse Γελάδου pro Ἐλάδου, et laudandus est Meursius (Piraeus, 4. Opp. T. I. p. 554.) qui non solum hoc perspexit, sed etiam vidit, illud nomen ex Ἀγελάδου corruptum esse, ita ut hac ratione praeceptor Phidiae nobis notus sit. Assenserunt, ut par erat, Meursio Winckelmannus Opp. VI. P. I. p. 28, eiusdem intpp. VI. P. II. p. 25. 42. Schornius in „studiis artific. Graecc." p. 203. Thierschius de Epoch. II. adnot. nr. 58. p. 47. Odofredus Müllerus in nunt. liter. Gotting. 1824. scid. 115. Heynius vero (priscae artis opera Constantinopoli exstantia p. 11.) loci scholiastae immemor fuit, quum quaereret, qua tandem fide Tzetzes homo levis tradere potuerit, Ageladam Phidiae praeceptorem operis auctorem fuisse. — His iam praemissis ad disquisitionem difficillimam de Ageladae aevo progredi nobis licet, de quo adeo pugnantia protulerunt, ut quo te

vertas dubius haereas. Semper tamen hoc tenendum est, Ageladam Argivum Phidiae praeceptorem fuisse. Ac primum quidem Pausanias VI. 10, 3. ita scribit: *ἐπὶ δὲ τῷ Πανταρκει Κλεοσθένες ἐστὶν ἅρμα ἀνδρὸς Ἐπιδαμνίου. τοῦτο ἔργον μέν ἐϛιν Ἀγελάδα, ἕστηκε δὲ ὄπισθεν τοῦ Διὸς τοῦ ἀπὸ τῆς μάχης τῆς Πλαταίασιν ἀνατεθέντος ὑπὸ Ἑλλήνων. ἐνίκα μὲν δὴ τὴν ἕκτην Ὀλυμπιάδα καὶ ἑξηκοστὴν ὁ Κλεοσθένης. ἀνέθηκε δὲ ὁμοῦ τοῖς ἵπποις αὐτοῦ καὶ εἰκόνα καὶ τὸν ἡνίοχον.* Alter locus eiusdem Pausaniae est VI. 8, 4. *Προμάχου δὲ οὐ πόῤῥω Τιμασίθεος ἀνάκειται γένος Δελφός, Ἀγελάδα μὲν ἔργον τοῦ Ἀργείου, παγκρατίου δὲ δύο μὲν ἐν Ὀλυμπίᾳ νίκας, τρεῖς δὲ ἀνῃρημένος Πυθοῖ. καὶ αὐτῷ καὶ ἐν πολέμοις ἐστὶν ἔργα τῇ τε τόλμῃ λαμπρά, καὶ οὐκ ἀποδέοντα τῇ εὐτυχίᾳ, πλήν γε τοῦ τελευταίου· τοῦτο δὲ αὐτῷ θάνατον τὸ ἐγχείρημα ἤνεγκεν. Ἰσαγόρᾳ γὰρ τῷ Ἀθηναίῳ, τὴν ἀκρόπολιν τὴν Ἀθηναίων καταλαβόντι ἐπὶ τυραννίδι, μετασχὼν τοῦ ἔργου καὶ ὁ Τιμασίθεος (ἐγένετο γὰρ τῶν ἐγκαταλειφθέντων ἐν τῇ ἀκροπόλει) θάνατον ζημίαν εὕρετο τοῦ ἀδικήματος παρὰ Ἀθηναίων.* Timasitheum autem una cum Isagora (de cuius facinore cfr. inprimis Herod. V. 70. sqq.) Olymp. LXVIII. 2. ante Ch. n. 507. ab Atheniensibus supplicio damnatum fuisse constat, et ante hunc annum, itaque plane eodem tempore, quo Cleosthenis currus, et Timasithei statua ab Agelada confecta fuerit necesse est. His duobus testimoniis, de quibus dubitare temerarium est, accedit tertium, quod et ipse Pausan. VI. 14, 5. nobis impertit, haec referens: *Ἄνοχος δὲ ὁ Ἀδαμάτα Ταραντῖνος, σταδίου λαβὼν καὶ διαύλου νίκην ἐϛιν Ἀγελάδα τέχνη τοῦ*

Α'ργείου. Praeclare Heynius (Opusc. V. p. 368.) vidit Α'νοχον esse verum nomen victoris, quem Africanus Α'κοχᾶν appellat, et proinde victoriam huius viri in Ol. LXV. ponendam esse, (Corsini Fast. Att. III. p. 121.) unde videmus, Ageladam Argivum artem iam exercuisse Ol. LXV. ut aut praeceptor Phidiae, Polycleti Sicyonii et Myronis esse posset, et ipse saltem Ol. LX. ante Ch. n 540. nasceretur. His autem aperte contradicit Plinius XXXIV. 8, 19. qui eum cum Polycleto, Phradmone, Myrone ad Ol. LXXXVII. refert, utens ex more suo verbo *florendi*, quod apud Plinium significationes cum alias habet, tum eam, artifices Graecos illa, qua Plinius floruisse eos dicit, Olympiade clarum aliquod opus fecisse. (Böttiger Archaeol. Pict. I. p. 105.) Haec vero observatio egregie in nostrum artificem quadrat. Quam enim Plinius Olympiadem Ageladae tribuit, nonne plane cum eo anno convenit, quo ipse, scholiasta ad Aristophanem teste, Herculem Melitensem, notissimum sine dubio opus, sculpsit? Jam vero inde, quod moneam vix necesse est, immanis Ageladae aetas efficitur, siquidem hac ratione, quum Herculem illum sculpsisset, centum decem annos natus fuisset. Quas repugnantias ut dirimerent, tres a se valde diversas vias ingressi sunt, unam ut Scholiastam Aristophanis et Tzetzen erroris arguerent, (v. Meyerus in histor. art. II. p. 42. et Müllerus l. l.) contendentes Herculem illum iam antea factum, tunc autem cum pestis grassaretur in illud templum translatum fuisse. Altera via haec est, ut statuant Ageladam sane eo tempore adhuc

vixisse, quo Plinius eum commemorat, artis autem opera quae supra laudavimus non tunc cum victoriae reportarentur fecisse sed aliquanto serius, iubentibus fortasse illorum victorum posteris. Hanc opinionem defenderunt idem Meyerus T. I. p. 41. Siebelisius ad Pausan. VI. 10, 3. T. III. p. 40. sq. et quodammodo etiam Müllerus. Tertium quo confugerunt remedium hoc est, ut non unum sed duos Ageladas vixisse artemque statuariam exercuisse sumant (Thierschius de epoch. II. adnot. 7. p. 47. sq.) Haec omnia aliquam probabilitatis speciem habent, sed ut ingenue fatear nullum probare possum, et ab humanitate virorum egregiorum, quorum opiniones modo recensui, veniam me impetraturum esse confido, quod quae mihi contra illos monenda esse videntur, ingenue dico. Ut autem a Müllero initium faciam, primum hoc minus recte factum est, quod omnibus fortasse scriptorum testimoniis sibi adversis Ageladam ab Ol. 68—83. vixisse censet, numerum aliquem medium ponens, qui, licet maximus, aetati humanae non plane quidem contradicit, attamen quaedam relinquit, de quibus statim infra disputandi occasio erit. Deinde remanet locus, quem ad quaestionem universam solvendam maximi momenti esse, Thierschii sagacitas eruit. Pausanias enim (IV. 33, 3.) ait: *τὸ δὲ ἄγαλμα τοῦ Διὸς* (*ἐν* Ἰ*θώμῃ*) Ἀ*γελάδα μέν ἐϛιν ἔργον, ἐποιήθη δὲ ἐξαρχῆς τοῖς οἰκήσασιν ἐν* Ν*αυπάκτῳ.* Vir ille Celeberrimus monet, hanc Jovis statuam post annum demum secundum Ol. LXXXI. (455. ante Ch. n.) confici potuisse, quo anno Athenienses Messeniis eiectis Naupactum permiserunt

(Diod. Sic. XI. 84.) Ageladas autem, et hoc contra Müllerum profero, octoginta quinque annos natus fuisset, editus quidem ut supra ex aliis locis collegimus, a. 540. ante Ch. n. Arguere iam nolo, quod omnino Müllerus paullo calidius Scholiastam illum errare pronuntiat, quem haud pessimis fontibus usum esse constat, et qui hoc ipso loco Plinii assensu, qui et ipse Ageladam Ol. LXXXVII. floruisse tradit, mirifice confirmatur. Floruit igitur Ageladas Ol. LXVI., floruit quoque LXXXVII.

Transimus iam ad secundam quam controversiae dirimendae excogitarunt rationem assertam potissimum a Siebelisio l. l. Antea iam Meyerus ad Winckelm. Opp. T. VI. P. II. p. 20. et Hist. Artt. P. II. p. 40. rem leviter attigerat, illic provocans ad ipsum Winckelmannum Opp. T. IV. p. 17. utique male. Nam unum exemplum huius moris, quod statuae victoribus gymnicis non extemplo sed annorum demum aliquot post decursum dedicatae fuerint, quod Winckelmannus laudat, nos hic curare non possumus, quum de Oebota quodam agatur, qui *sexta* Olympiade vicerat, et octogesima demum ab artifice nobilitatus est. Aptiora attulit Siebelisius, et quae primo adspectu multum fidei sententiae quam defendit parare possint. At operae pretium est, diligentius ea examinare, ut quid inter ista et Ageladae opera intersit, appareat. Quae de Chionide (Pausan. VI. 13, 2.) narrantur, huc plane non quadrant, quum ibi non de statua, sed tantum de inscriptione columnae (στήλη) incisa sermo sit. Quod autem Glauci (VI. 10, 1.) et Hieronis (VI.

12, 1. adde VIII. 42, 4.) exempla in auxilium vocat, et haec a re nostra aliena sunt. Haec enim duo monumenta filii erexerunt, patribus paullo post victorias mortuis. At ubi hoc de statuis eorum dictum est, quos Ageladas arte sua celebravit? Deinde permirum esset, Ageladam tria illa monumenta Cleosthenis, Timasithei et Anochi, qui omnes circiter Ol. LXV. vicerant, viginti demum vel triginta annis post sculpsisse, quod factum fuisse sumendum est, si Plinio fidem suam stare volumus.

Restat ultimum, quod Thierschius primus et protulit, et insigni acumine defendit, censens duos eiusdem, Ageladae, nominis artifices fuisse, fretus potissimum et tempore victoriae Cleosthenis et loco Pausaniae V. 24, 1. ubi in omnibus libris MSS. et editionibus haec verba leguntur: *Ἀσκάρου τέχνη διδαχθέντος παρὰ τῷ Σικυωνίῳ.* Nomen artificis qui Sicyonius appellatur, e libris evanuit, et exspectandus nobis est codex, qui omnes illas innumeras lacunas expleat, quas in Pausania ad hunc usque diem inesse dolemus. Nostro tamen loco melius nobis consultum esse videbatur, cum Amasaeus in versione sua, quam e codd. melioribus quam qui hucusque collati sunt, factam fecisse contendunt, illa verba sic reddiderit: *Fuit hoc Ascari Thebani opus, quem docuit* Agelades *Sicyonius.* Nonnulli quidem V. V. D. D. genuinum esse hoc supplementum sibi persuadere non potuerunt, quum Pausanias aliis in locis Ageladam Argivum nominet, et Kuhnius, assentientibus Clavigero et Nibbyo Κλέωνι inserere, Corayus autem spreto utroque, *παρά*

τῳ i. e. *τινι* scribere voluit, infelicissimo ut mihi quidem videtur conatu. Longe aliam viam ingressus est Thierschius, qui Amasaei versionem genuinam i. e. e codd. haustam pronuntians duplicem Ageladam distinguit, quorum vetustior, Argivus, Phidiae praeceptor Cleosthenis currum fecerit, recentior autem Sicyonius a Plinio non nominata patria memoratus praeceptor Ascari et Jovem Ithomaeum sive Naupactium et Herculem Melitensem sculpserit: utrumque ceterum errore vulgari a Scholiasta Aristophanis [et Tzetza] confusum fuisse. Bene quidem iam omnia peracta videntur; at quam prudenter Böttigerus (Amalthea, Vol. III. Praef. p. 25.) dixerit, tales geminationes artificum non nisi cautissime suscipiendas esse, haec ipsa, in qua nos nunc versamur, quaestio insigne testimonium affert. Thierschius nimirum minus ad verba statim sequentia attendit: *τοῦτο δέ ἐστιν Ἀσκάρου τέχνη Θηβαίου, διδαχθέντος παρὰ* * *τῷ Σικυωνίῳ, καὶ Θεσσαλῶν φασιν εἶναι, ὅτε Φωκεῦσιν εἰς πόλεμον οὗτοι κατέστησαν· καὶ ἔστιν ἀπὸ Φωκέων αὐτοῖς τὸ ἀνάθημα. οὐκ ἂν οὖν ὁ ἱερὸς καλούμενος εἴη πόλεμος, ὃν δὲ πρότερον ἔτι ἐπολέμησαν πρὶν ἢ Μήδους καὶ βασιλέα ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα διαβῆναι* (cfr. X. 1, 2. ubi eadem fere repetuntur.) Qui haec verba diligentius inspexerit, statim videbit, ea Thierschii coniecturam funditus evertere. Nihil quidem de anno belli scimus, neque quisquam reprehendere nos posset, illud si expeditionem Darii (Ol. LXXII. 2. ante Ch. n. 490.) praecessisse contenderemus. At nosmet ipsi fines nobis arctius contrahere volumus, concedentes Pausaniam *βασιλέα* Xerxen significasse, ita ut Ol. LXXXIV. ante

Ch. n. 484. bello Thessalico vindicetur. Bellum enim quod brevi ante Xerxis expeditionem Phocensibus et Thessalis intercessit (Herod. VIII. 27. sqq.) et quod Meyerus (hist. artt. II. p. 42.) cum bello a Pausania commemorato componit, ab hoc diversum sit necesse est, quia tunc Phocenses vicerunt, illa vero in expeditione Thessali superiores facti sunt. Dixit autem Herodotus, utrumque populum semper sibi invisum fuisse. Jam de praeda, quam Thessali reportarunt, statuam Jovis ab Ascaro factam Pausanias tradit, et si ex Amasaei auctoritate Ascari praeceptorem Ageladam Sicyonium, (quem Thierschius Argivo minorem esse vult,) habemus, huius Ageladae aetas saltem in Olympiadem circiter LXVI. incidat oportet, qua noster Ageladas i. e. Argivus Cleosthenis currum fecit. Dicere fortasse quis possit: res tamen recte se habet, duo fuerunt Ageladae, alter maior Sicyonius, alter minor Argivus. At hercle nihil lucramur. Utut enim sit, Ageladas Argivus Phidiae, qui iam Ol. LXXXIII. summum gloriae fastigium adscenderat, praeceptor et Herculis Melitensis sculptor manet, et Thierschius, si propositi sui tenax esse vult, tres artifices, omnes Ageladae nomen ferentes, sumere coactus est, unum Sicyonium Ascari praeceptorem qui sane Cleosthenis currum facere potuit, alterum Argivum Phidiae praeceptorem, tertium eundem Argivum (v. Schol. Aristoph.) qui ab Ol. 81—88. floruit. Hinc puto praestat dicere, Amasaeum de cuius versionis fide ceteroquin nihil detractum volo, hic humani aliquid passum et Ageladae nomen, lacunam ex coniectura suppleturum,

memoriae lapsu in contextum intulisse. Praestat, dico, Amasaeum erroris arguere quam artem criticam leviter imo ludibundum exercere. Equidem, ut et meam qualemcunque sententiam de hoc impedito loco proferam, suspicor Pausaniam scripsisse: *διδαχθέντος παρὰ Κανάχῳ τῷ Σικυωνίῳ*, ut vetustior Canachus sit intelligendus, de quo infra disputabitur, et his iam scriptis animadverti, dudum Heynium (Opusc. Acad. T. V. p. 368) in eandem coniecturam incidisse. Juvat iam hic, quum omnes, quas equidem novimus, Virorum DD. qui hac de re scripserunt, sententias examini nostro qualicunque subiecerimus, parvam tabulam chronologicam addere, ut lectores uno obtutu videant, quomodo res se habeat.

Aetas Ageladae.	Olympiades.	Anni ante Ch.	Elenchus eorum quae de Ageladae vita comperta sunt.
1.	60.	540.	Ageladas natus, ut e sqq. colligere licet.
20.	65	520.	Anochus vincit. Huius victoriam Ageladas statua celebrat.
24.	66.	516.	Cleosthenes vincit. (Pausan. VI. 10, 3.) Huius currum facit Ageladas.
33.	68,2.	507.	Timasitheus cum Isagora Athenis supplicio afflictus. Illius, qui quinquies vicerat, statuam Olympiae positam fecit Ageladas, fortasse hoc ipso tempore, quo Timasitheus obiit.

Aetas Ageladae.	Olympiades.	Anni ante Ch.	Elenchus eorum quae de Ageladae vita comperta sunt.
85.	81,2.	455.	Athenienses Messeniis Naupactum permittunt. His paullo post Ageladas statuam Jovis, deinde in arce Ithomae positam facit. (Pausan. IV. 33, 3.)
110.	87,3	430.	Pestis Athenis. Ageladas Herculem Averruncum Melitensem sculpit. (Schol. Arist. Ran. 504. Tzetzes.) Ageladas floret ex Plinio.

Quodsi iam his dilucide, ut spero, expositis, quid ipse sentiam, mihi pronuntiandum est, omnibus accuratissime inter se pensitatis, duos sane Ageladas discernendos esse censeo, non vero ea ratione, qua Thierschius usus est, ut unum Sicyonium appellem, sed ut prior, quem Pausanias toties memorat, Phidiam, Polycletum Sicyonium et Myronem artem docuerit, aequalis quoque Hegiae et Onatae, quod testatur Pausanias VIII. 42, 4. cuius loci hucusque mentionem non fecimus: *ἡ δὲ ἡλικία τοῦ Ὀνατᾶ κατὰ τὸν Ἀθηναῖον Ἡγίαν καὶ Ἀγελάδαν συμβαίνει τὸν Ἀργεῖον.* Sufficit hic monuisse, Onatam Ol. LXXVIII. 2. quo anno Hiero Syracusanus obiit, gloria summa gavisum esse, ita ut Ageladas senex tunc septuaginta trium annorum aequalis illius bene dici posset; quo tempore et praeceptor illorum triumvirorum fuit. — Ab hoc vero discernendus est alter Ageladas, fortasse filius fratris, qui a Plinio Olympiadi LXXXVII. adscriptus,

Jovem Naupactium fecit; et Scholiastes Aristophanis, qui legerat, Ageladam Herculem Averruncum fecisse, temporum rationis haud memor, Phidiae praeceptorem eum dixit, qui prior fuit, et a vero non multum abesse nobis videmur putantes Tzetzem ex ipso illo Scholiasta versus suos concinnasse. Plinium facile concedere volo, dum Ageladam Olympiadi LXXXVII. tribuit, de vetustiore cogitasse, quamquam certo dicit, Ageladam *deinde* i. e. *post* Phidiam floruisse. Utut sit, hoc certum puto manebit, Ageladam praeceptorem Phidiae et aliorum LXX. circiter Olympiade summam gloriam adeptum fuisse.

Quo diutius in investiganda aetate Ageladae, quacum multorum aliorum artificum vitae cohaerent, commorati sumus, eo brevioribus nobis nunc esse licet in enarrandis statuarii nostri operibus, de quibus veteres scriptores certiores nos fecerunt. Pleraque enim iam supra attulimus, quippe quae nos varia ratione in dirimendis litibus iuvarent. Restant igitur tantum haec:

1.) Pausan. VII, 24, 2. *ἔστι δὲ καὶ ἄλλα Αἰγιεῦσιν ἀγάλματα χάλκου πεποιημένα, Ζεύς τε ἡλικίαν παῖς, καὶ Ἡρακλῆς, οὐδὲ οὗτος ἔχων πω γένεια, Ἀγελάδα τέχνη τοῦ Ἀργείου.*

2.) Pausan. X. 19, 3. ait: Delphis sunt inter alia donaria *Ταραντίνων δὲ οἱ ἵπποι οἱ χαλκοῖ καὶ αἰχμάλωτοι γυναῖκες ἀπὸ Μεσαπίων εἰσίν, ὁμόρων τῇ Ταραντίνων βαρβάρων, Ἀγελάδα δὲ ἔργα τοῦ Ἀργείου.*

3.) Musam huius artificis memorat Antipater Antholog. IV. 12. nr. 220. (Append. Anth. Palat. T. II. p. 692.)

Τρίζυγες αἱ Μοῦσαι τᾷ δ'ἕσταμεν· ἁ μία λωτοὺς,
ἁ δὲ Φέρει παλάμαις βάρβιτον, ἁ δὲ χέλυν.
Ἁ μὲν Ἀριστοκλῆος ἔχει χέλυν, ἁ δ' Ἀγελάδα
βάρβιτον· ἁ Καναχᾶ δ' ὑμνοπόλους δόνακας.
Ἀλλ' ἁ μὲν κράντειρα τόνου πέλει· ἁ δὲ μελῳδὸς
χρώματος· ἁ δὲ σοφᾶς εὑρέτις ἁρμονίας.

De Winckelmanni suspicione hanc Ageladae Musam imitatione expressam esse statua quae olim in aedibus Barberinis asservabatur (Opp. T. VI. P. I. p. 26—28. ubi vide Intpp. P. II. p. 42. et T. VII. p. 155 sq.), hic dicere non attinet. Adde intpp. ad T. V. p. 552. sq. et Meyeri hist. artt. T. I. p. 50.

AGESANDER.

Sculptor in insula Rhodo natus Laocoonte nobilissimus, quem una cum Polydoro et Athenodoro fecit. Dolendum est, Plinium qui saepe artificum multo minus excellentium aetates diligenter nos docet, de his triumviris nihil monuisse, et inde non est quod miremur, Viros D. D. in eorum aetate definienda valde a se dissentire. Quum enim Winckelmannus (Opp. T. VII. p. 189.) opus Laocoontis superstes Lysippi aevo tribuere vellet, Meyerus autem (ad Winckelm. Opp. T. VI. P. 2. p. 204. coll. Hist. art. T. I. p. 208.) paucis post Alexandri M. obitum annis artifices floruisse suspicaretur, Lessingius contra, quem merito Thierschius Epoch. III. adnot. p. 110. sqq. secutus est, summo acumine indagavit, eos sub Tito imperatore vixisse, quod unde collegerit, statim videbimus.

Plinius enim XXXVI. 5. s. 4. ait: *Nec multo plurium fama est, quorundam claritati in operibus eximiis obstante numero artificum, quoniam nec unus occupat gloriam, nec plures pariter nuncupari possunt, sicut in Laocoonte, qui est in Titi imperatoris domo, opus omnibus et picturae et statuariae artis praeponendum. Ex uno lapide eum et liberos draconumque mirabiles nexus de consilii sententia fecere summi artifices, Agesander et Polydorus et Athenodorus Rhodii.* Jam pergit: SIMILITER *Palatinas domos Caesarum replevere probatissimis signis Craterus cum Pythodoro, Polydectes cum Hermolao, Pythodorus alius cum Artemone, et singularis Aphrodisius Trallianus.* Luce ut dicunt clarius est Plinium dicere voluisse, uti Agesander, Polydorus et Athenodorus Laocoontem Tito imperatori fecerunt, *simili* ratione Craterus cum Pythodoro aliique domos Caesarum signis replevere. Videmus inde, quam certa nobis iudicia de historia artis scriptores antiqui, etiam ubi primo statim adspectu in oculos non incurrit, reliquerint, et quam caute iis procedendum sit, qui stylo (ut hac voce utar) operum artis plus tribuunt quam disertis scriptorum testimoniis. Ex vera voculae illius *similiter* interpretatione haud parum utilitatis ad historiam artis Graecae serioris aetatis redundare potest, et notatu haud indignum mihi videtur, alium Plinii locum XXXVI. 5. s. 4. quem in Amalthea T. III. p. 293. sqq. aliquot mendis liberavi, Lessingii sententiam egregie confirmare. Ut enim Craterus cum Polydoro seriorum Caesarum domos, sic Pasiteles iussu Octa-

viani templum Junonis intra Octaviae porticus statuis ornavit. Ceterum post alios notandum restat, inscriptionem Graecam quam primus Winckelmannus (Opp. T. VI. P. II. p. 207.) et deinde accuratius etiam Marini (Iscrizione antiche delle ville Albani. Roma 1785. Class. V. nr. 156) ediderunt,

ΑΘΑΝΟΔΩΡΟΣ ΑΓΗΣΑ.....
ΡΟΔΙΟΣ ΕΠΟΙΗΣΕ

nos docere, Athenodorum filium Agesandri et sine dubio eiusdem discipulum fuisse, quod de Polydoro quoque suspicari licet.

AGLAOPHON.

Pictor in insula Thaso natus (Simonides ap. Pausan. X. 24. unde Jacobsius V. Exc. recte emendavit epigramma in Anthol. Palat. IX. 700) pater et praeceptor Polygnoti (Suidas et Photius s. v. Πολύγνωτος — *υἱὸς καὶ μαθητὴς Α᾿γλαοφῶντος.*) Alter filius, quem et ipsum artem pingendi docuerat, fuit Aristophon. (Plato Gorg. I. p. 448. B. *εἰ δέ γε ὥσπερ Α᾿ριστοφῶν ὁ Α᾿γλαοφῶντος ἢ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ* [Schol. p. 101. ed. Ruhnk. *οὗτος Πολύγνωτος ἐκαλεῖτο, οὗ ἐν Δελφοῖς ἡ θαυμαστὴ γραφή*] *ἔμπειρος ἦν τέχνης, τίνα ἂν αὐτὸν ὀρθῶς ἐκαλοῦμεν;* qui locus vicissim illustratur a Dione Chrysostomo LV. p. 558. B. Πολύγνωτος *ὁ ζωγράφος καὶ ὁ ἀδελφὸς ἄμφω [μαθηταὶ] τοῦ πατρὸς Α᾿γλαοφῶντος.* Adde Plato Ion. I. p. 532. E.) Dubitari igitur nequit, quin Aglaophonti Thasio duo filii fuerint Polygnotus et Aristophon. Jam vero colligamus quae de patris aetate constant. Plinius XXXV. 9. s. 36.

Aglaophontem cum Euenore patre Parrhasii vixisse refert, cum paullo ante s. 35. Polygnotum illius filium ante nonagesimam Olympiadem clarum fuisse dixisset; et quem omnino non offendat, filium prius commemorari quam patrem? Minus tribuere velim (v. Böttigeri Arch. Pict. I. p. 269.) auctoritati Ciceronis, qui quidem (Orat. III. 7.) *Zeuxidem*, *Aglaophontem, Apellem* ita enumerat, ut Aglaophon medium inter duos reliquos locum teneat; at idem Myronem ante Polycletum collocat, unde apparet, eum temporum rationem haud admodum curare. Aliter res apud Quinctilianum (XII. 10. init.) se habet: *Primi quorum quidem opera non vetustatis modo gratia visenda sint, clari pictores fuisse dicuntur Polygnotus atque Aglaophon, quorum simplex color tam sui studiosos adhuc habet, ut illa prope rudia ac velut futurae mox artis primordia maximis, qui post eos exstiterunt, auctoribus praeferantur, proprio quodam intelligendi (ut mea fert opinio,) ambitu*, qui locus cum Plinianis supra laudatis congruus est. Aglaophontem autem Ol. XC. vixisse, ut quidem Plinius affirmat, comprobatur a Satyro apud Athenaeum XII. p. 543 D. *ἀφικόμενος δ' Ἀθήνησιν ἐξ Ὀλυμπίας (Ἀλκιβιάδης) δύο πίνακας ἀνέθηκεν Ἀγλαοφῶντος γραφήν· ὧν ὁ μὲν εἶχεν Ὀλυμπιάδα καὶ Πυθιάδα στεφανέσας αὐτόν, ἐν δὲ θατέρᾳ Νεμέα ἦν καθημένη καὶ ἐπὶ τῶν γονάτων αὐτῆς Ἀλκιβιάδης καλλίων φαινόμενος τῶν γυναικείων προσώπων*, qua occasione Plutarchus (Alcib. 16.) eandem rem narrans Aristophontem pro Aglaophonte nominat: *Ἀριστοφῶντος Νεμέαν γράψαντος ἐν ταῖς ἀγκάλαις αὐτῆς καθήμενον Ἀλκιβιάδην*

ἔχουσαν ἐθεῶντο καὶ συνέτρεχον χαίροντες. Quum autem Alcibiades non diu ante Ol. XCI. in ludis gymnicis vincere potuerit (Corsini dissert. agonist. p. 162.) suspicor, Aglaophontis aetatem a Plinio in illa Olympiade collocatam fuisse, qua duas picturas ab Athenaeo commemoratas fecerat, quas eius celeberrimas fuisse, vix est, quod dubitemus; (v. supra pag. 11.) Alterius picturae auctor a Plutarcho Aristophon nominatus esse videtur, quia ille fortasse solum Polygnoti patrem Aglaophontem norat, quem ad Alcibiadis aetatem pertinere haud posse probe intellexit, vel quia Aristophon, filius Aglaophontis, suum ipsius filium in illa pictura pingenda adiuvit, ita ut alii pictorem Aristophontem, alii Aglaophontem appellare possent. Nam ut dicam quod sentio, Böttigeri opinioni (l. l.) prorsus accedo, duos Aglaophontas a se discernendos esse, quorum natu maior pater Polygnoti circa Ol. LXX. fuit, minor vero Ol. XC. Alcibiadis victorias arte sua nobilitavit. Perperam autem Meyerus (hist. art. Gr. I. 55. et alibi) Aglaophontem minorem Aglaophontis maioris filium nominat et proinde contendit illum eundem esse, qui ab aliis scriptoribus Aristophon dictus sit; multo doctius Böttigerus alterum alterius avum dicit, quum inter omnes constet, apud Graecos idem nomen fere ab avo ad nepotem, rarissime tantum a patre ad filium transisse (v. Valcken. ad Herod. III. 123.), et lectori iam ea in memoriam revocare liceat, quae paullo supra de Aristophonte breviter disserui. Stemma igitur totius gentis ita dispositum velim:

Aglaophon

Polygnotus Aristophon

|

Aglaophon.

Duo opera restant quae utri artifici tribuenda sint non liquet, alterum equus (ἵππος γραφεὶς κάλλιστα, Aelian. Hist. Anim. Epilog. p. 972. Gron.) alterum alata Victoria cuius mentionem Scholiastes ad Aristoph. Aves 573. iniicit: νεωτερικὸν τὸ τὴν Νίκην καὶ τὸν Ἔρωτα ἐπτερῶσθαι. Ἀρχέννυς γάρ φησι καὶ τὸν Βουπάλου καὶ Ἀθήνιδος πατέρα, οἱ δὲ Ἀγλαοφῶντα τὸν Θάσιον ζωγράφον πτηνὴν ἐργάσασθαι τὴν Νίκην, ὡς οἱ περὶ Καρύστιον τὸν Περγαμηνόν, φασιν. In quo loco scribendum est, Ἀρχένουν (v. s. v. *Anthermus*) γάρ φησι *** (nomen auctoris et patriae τὸν Χῖον exciderunt, unde coniunctio καὶ et vocabula statim sequentia οἱ δὲ κ. τ. λ optime explicantur.) Fortasse haud inepte Ἴων suppleri possit, quem συγγραφὴν de insula Chio soluta oratione scripsisse constat, (Pausan. VII. 4, 6. Bentl. Opusc. Philol. p. 506. ed. Lips.) quod si concedas, scholiastae verba misere corrupta ita fere corrigamus: Ἀρχένουν γάρ φησι Ἴων τὸν Χῖον καὶ τὸν Βουπάλου κ. τ. λ. Attamen haud adversabor si quis alius historici nomen a librario omissum sumat. Carystius Pergamenus de dicascaliis scripserat. (Athen. VI. p. 235. E.)

AGNAPTUS.

Architectus Eleus incertae aetatis, qui porticum in Alti Olympica exstruxit, cui Elei ab conditore nomen indiderunt. Paus. V. 15, 4. coll. VI. 20, 7.

AGORACRITUS.

Statuarius et sculptor, Phidiae discipulus cui et in deliciis fuit, (Pausan IX. 34, 1.) natus in insula Paro (Plin. XXXVI. 5. s. 4. Suidas et Photius in Ῥαμνουσία Νέμεσις.) Quatuor tantum eius opera memorantur, ac duo quidem a Pausania l. l. his verbis: ἐν δὲ τῷ ναῷ (τῆς Ἰτωνίας Ἀθηνᾶς) χαλκοῦ πεποιημένα Ἀθηνᾶς Ἰτωνίας καὶ Διός ἐστιν ἀγάλματα· τέχνη δὲ Ἀγορακρίτου, μαθητοῦ δὲ καὶ ἐρωμένου Φειδίου, tertium a Plinio XXXVI. l. l. *Est et in Matris magnae delubro in eadem civitate* (Athenis) *Agoracriti opus*, sine dubio ipsius Cybelae imago. At multo nobilior factus est quarto opere, Nemesi Rhamnusia, quod opus multis fabellis ansam dedit. Disseruerunt de eo, omissis quos antiquior aetas tulit, Winckelmannus (Opp. VI. p. 42. sqq. atque intpp. T. VI. P. II. p. 60. sqq.) Herderus in libro: Zerstreute Blätter T. II. p. 221—231. Böttigerus (Andeutungen p. 110. sq.) Zoëga (Abhandlungen p. 60. sqq. et ibi Welckerus p. 417.) et Meyerus in hist. Artt. T. I. p. 85. sq. T. II. p. 83—86. Audiamus primum ea quae veteres de illa statua tradiderunt, quibus memoratis sententiam nostram qualemcunque ferre liceat, ita ut iudicia illorum quos modo laudavi archaeologorum intacta relinquam, de quibus si omnia quae dici possunt dicere vellem, fines huic opusculo praescriptos nimis transgrederer. Plinii verba (XXXVI. 5. s. 4.) haec sunt: *Phidiae discipulus fuit Agoracritus Parius et aetate gratus. Itaque e suis operibus pleraque nomini*

eius donasse fertur. Certavere autem inter se ambo discipuli (A. et Alcamenes) *Venere facienda, vicitque Alcamenes non opere sed civitatis suffragiis contra peregrinum suo faventis. Quare Agoracritus ea lege signum suum vendidisse traditur, ne Athenis esset, et appellasse Nemesin. Id positum est Rhamnunte pago Atticae, quod M. Varro omnibus signis praetulit.* Ab eo multum differt Pausanias I. 33, 2. ne unum quidem de Agoracrito verbum dicens, sed Nemesin Rhamnusiam Phidiae opus pronuntians (cfr. Pomp. Mela II. 3, 6.), simul autem addens ineptam fabellam, factam fuisse statuam ex marmore Pario, quod Persae, quum primum in Europam traiicerent, tropaei erigendi causa in Atticam transportassent. (v. Theaetetus et Parmenio in Anthol. Gr. Planud. IV. 12, 221. 222. ad calcem Anthol. Palat. T. II. p. 692. sq.) Alia narrat Strabo IX. p. 396. C. Nemesin Rhamnusiam opus praestantissimum et Diodoto, qui praeterea nusquam memoratur, et Agoracrito tribui neque Phidiae operibus cedere. Tzetzes denique (Chiliad. VII. 154.) et lexicographi (Suidas et Photius) Plinii narrationem quodammodo secuti, et ipsi Nemesin a Phidia factam, ab hoc vero Agoracrito suo donatam fuisse confirmant. Haud credo de alia qua statua adeo varia ac discrepantia tradi, et desperandum paene est, unquam aliquid de ea dictum iri, quod omnibus satisfaciat, quare et ego facile concedam, si quis alia, quam propositurus sum, in medium proferet. Etenim hic omnia coniectura nituntur. Ac primum quidem mittenda sunt, quae de tropaeo Persarum retulerunt;

confuderunt enim notiones quas et prioribus et serioribus temporibus Graeci de Nemesi Dea sibi finxerant; mittenda porro, ut mihi quidem videtur, narratio de certamine ab ipso populo Attico dirempto, quam scholiastis et epigrammatum poetis originem suam debere vix negare possis. Nonne adeo nomen ipsum artificis primum certaminis et iudicii fontem aperire potuit? (ἐν ἀγορᾷ κριτός.) At est haec mera coniectura, nihilque ei tribuerim. His iam missis remanent tamen nonnulla, quae in fabularum numerum haud ita facile referre poteris. Et hoc certum videtur, Agoracritum Venerem fecisse, quam quum ab arbitris Alcameni faventibus huius Veneri postpositam vidisset, indignabundus paululum immutatam Rhamnusiis vendiderit. Jam dubitarunt V. V. D. D. quo modo Veneris statua in Nemesin transformari posset, hincque coniecerunt, hoc quoque a serioribus scriptoribus ad exornandam historiolam excogitatum fuisse. At videntur ii nonnulla neglexisse, quae negligenda non fuerunt. Partim enim statuerunt, Nemesin Rhamnusiam Nemeseos statuis similem fuisse quae hodie exstant, bracchio ad dimidium sublato, unde angulus oritur, vesteque a pectore paululum reducta; quam tamen sententiam nonnullis recte improbatam video. Partim autem in eo gravius errarunt, quod mutationes, quas Veneris statuae variis aetatibus subierunt, minus quam par fuit respexerunt. Ineptum sane esset arbitrari, Venerem Praxiteliam, quam Medicea sic dicta exhiberi vulgo credunt, in Nemesin transformari potuisse. Sed quem fugit, an-

tiquiore tempore singulorum Deorum Dearumve statuas valde sibi similes fuisse, ita ut imprimis Deae ab initio multo minus nota illa, quae postea iis tribuebatur, quam indiciis quibusdam extrinsecus additis (attributa vocare solent) discernerentur. Sic, ut unum tantum proferam, Agoracriti Venus certo certius vestita fuit, quod a quibusdam in dubitationem vocandum non erat, et quum ipsa ora utriusque Deae non haberent, quo inter se discernerentur, nihil restabat artifici, nisi ut attributa sua cuique ex mythis deprompta affingeret. Describit vero ea accuratissime Pausanias l. l. de sensu tamen mystico nihil tradens, ita ut de argumento plerorumque incerti haereamus. Jam vero ex multis vestigiis statuarum ipsarum superstitum scimus, marmoreas imagines saepissime aureis, argenteisque armillis, inauribus, diadematis, pateris similibusque ornamentis circumdatas fuisse, atque hac ratione Agoracritus Venerem suam facili negotio in Nemesin transformare potuit, alia atque antea habuerat attributa aurea ei dando. Ignoramus, quamobrem Aethiopes in eius phiala sculpti fuerint, nisi quidem eorum sententiae accedere velis, qui aiunt epitheton Homericum Aethiopum ἀμύμονες huc referendum esse. (Cfr. Diod. Sic. III. 2. p. 195. ed. Dind.) Basin autem statuae eadem ratione mutatam credere possumus. Quod denique ad auctorem attinet, Agoracritus non omni sua laude fraudandus est, licet eum a Phidia in sculpendo adiutum fuisse concedamus. Pausaniae enim et Melae testimoniis Plinius et Strabo opponi possunt, quorum ultimo loco nomina-

tum unum ex certissimis fideque dignissimis Graecis scriptoribus esse omnes consentiunt. Rhamnusios praeterea Nemesin suam Phidiae ipsi quam eius discipulo tribuere maluisse, probare haud opus est, atque inde explicatur, cur Pausanias, qui statuam adhuc vidit, de Agoracrito ne verbum quidem dixerit.

ALCAMENES.

I. Statuarius et sculptor Athenis (Plin. XXXVI. 5. s. 4.) in regione Limnarum natus quod Suidas s. h. v. leviter corruptus tradidit: *Ἀλκαμένης, ὄνομα κύριον, ὁ Λήμνιος.* Sed dudum Isaacus Vossius *Λίμνιος* restituit, ut pars urbis Athenarum intelligenda sit (de qua v. Odofr. Müllerus in Encyclopaedia Erschii et Gruberi T. VI. p. 238), quam coniecturam et aliunde confirmari infra videbimus. Floruit Ol. LXXXIII. (Plin. XXXIV. 8, 19.) quod Plinii iudicium egregie Pausaniae testimonio (VIII. 9, 1.) asseritur, qui Praxitelen tertia post Alcamenen aetate vixisse dicit. Quum vero Plinius loco posterius allato Praxitelis florem in Ol. CIV. collocet, annis inter se comparatis octoginta quatuor anni optimo omnium rerum consensu prodeunt. Discipulus fuit Phidiae (Plin. l. l.) ad cuius gloriam, ut quidem Pausanias (V. 10, 2.) loco a Kuhnio felicissime emendato refert, proxime accessit. Ad quod usque tempus autem vixerit, compertum habemus ex Pausan. IX. 11, 4. cuius verba aetati artificis nostri definiendae iam Meyerus (hist. art. T. I. p. 85.) recte admovit. Pausanias enim haec habet: *Θρασύβουλος δὲ ὁ Λύκου καὶ Ἀθηναίων οἱ σὺν*

αὐτῷ τυραννίδα τῶν τριάκοντα καταλύσαντες (ὁρμηθεῖσι γάρ σφισιν ἐκ Θηβῶν ἐγένετο ἡ καθόδος) Ἀθηνᾶν καὶ Ἡρακλέα κολοσσοῦ ἐπὶ λίθου τύπου τοῦ Πεντέλησιν, ἔργα δὲ Ἀλκαμένους, ἀνέθηκαν ἐς τὸ Ἡράκλειον. Thrasybulus Ol. XCIV. 2. Athenas liberaverat, et Alcamenes usque ad Ol. XCV. floruerit necesse est, quo tempore septuagesimum circiter annum attigisse eum haud ita improbabile sit, ita ut fere Ol. LXXVII. natus fuerit. His congruit et tempus disciplinae Phidiae et annus quem Plinius eius aetati tum quidem adhuc iuvenili vindicavit.

Ab antiquis scriptoribus artificibus summis Phidiae, Polycleto aequiparatur (Quinctil. XII. 10. Dionys. Halicarn. de Demosth. acum. T. VI. p. 1108. ed. R.) et ex eius operibus Venus *ἐν Κήποις*, quae fuit regio Athenarum, reliquis multum anteponitur, (Lucian. Imagg. 4. p. 462. *τὸ κάλλιστον τῶν Ἀλκαμένȣς πλασμάτων*, Pausan. I. 19, 2. *τὸ δὲ ἄγαλμα τῆς Ἀφροδίτης ἐν τοῖς Κήποις ἔργον ἐϛὶν Ἀλκαμένȣς, καὶ τῶν Ἀθήνησιν ἐν λόγοις ἄξιον*) cui Phidias ipse summam manum imposuisse dicitur. (Plin. XXXVI. 5. s. 4.) Quid in hac Venere maxime spectandum admirandumque fuerit, docet Lucianus Imagg. 6. T. II. p. 464. R. *τὰ μῆλα καὶ ὅσα τῆς ὄψεως ἀντωπᾷ, παρ' Ἀλκαμένȣς καὶ τῆς ἐν Κήποις λήψεται· καὶ προσέτι χειρῶν ἄκρα καὶ καρπῶν τὸ εὔρυθμον καὶ δακτύλιον τὸ εὐάγωγον, ἐς λεπτὸν ἀπολῆγον*, (adde Dial. Meretr. 7.) neque ex verbis Plinii (*certavere inter se ambo discipuli Venere facienda vicitque Alcamenes non opere sed civitatis suffragiis*) satis certo colligi potest, utrum haec Venus

ἐν Κήποις ea fuerit, qua Alcamenes Agoracritum vicit, nec ne. Certe id testimoniis veterum scriptorum adversatur, qui illam Venerem Alcamenis optimo cuique operi aequiparant, quum Plinius partium tantum studio Alcamenem superiorem evasisse contendat.

Reliqua huius artificis opera haec in antiquis scriptis memorata invenimus:

Bacchus ex ebore et auro in antiquissimo templo prope Theatrum exstructo (Pausan. I. 20, 2.) Recte Odofr. Müllerus l. l. statuit, περίβολον a Pausania memoratum regionem esse, alias Ληναῖον appellatam. Quum autem hoc Ληναῖον pars Limnarum, et Alcamenes Limnis natus esset, artifex hunc locum arte sua nobilitare voluit, fere ut Sophocles Colonum fabula praestantissima clarum reddidit. Hinc non parum confirmantur, quae supra de Alcamenis patria disputata sunt, atque ad hanc statuam verba Harpocrationis non immerito trahere mihi videor: τόπος ἐςιν ἐν Ἀθήναις Λίμναι, ἐν ᾧ ὁ τιμώμενος Διόνυσος.

Martis simulacrum in templo huius Dei Athenis. (Pausan. I. 8, 5.)

Vulcanus, de quo cfr. Ciceron. N. D. I. 30. *Athenis laudamus Vulcanum eum, quem fecit Alcamenes, in quo stante in utroque vestigio atque vestito leviter apparet claudicatio non deformis,* quibus verbis conferendus est Valerius Max. VIII. 11. ext. 3. *Tenet visentes Athenas Vulcanus Alcamenis manibus fabricatus. Praeter cetera enim perfectissimae artis in eo praecurrentia indicia etiam illud mirantur, quod stat dissimulatae claudicationis sub veste leviter vestigium*

repraesentans, ut non tanquam exprobratum vitium, ita tamen certam propriamque dei notam decore significans.

Aesculapius Mantineae (Pausan. VIII. 9, 1.)

Minerva et *Hercules* statura humanam excedente, de quibus iam supra locuti sumus.

Alteram *Minervam* certans cum Phidia fecisse, at ab hoc victus fuisse dicitur, quia immemor, statuas in alto positas aliter apparere quam humi, rationes singularum corporis partium plane neglexerit. (Tzetzes Chil. VIII. 193.). At censeo, futilem et misellum versuum fabricatorem hoc in loco, ut in multis aliis, falsa retulisse; nam credibile non est, Alcamenen, quem ipse Phidias artem docuerat, adeo eius imperitum fuisse, ut quae quivis quotidiana experientia scire potest, haud intelligeret.

Hecate in acropoli Athenis. Alcamenes primus hanc Deam triplicem iunctis corporibus fecit. (Pausan. II. 30, 2.)

Centaurorum et Lapitharum pugna in posteriore fastigio templi Jovis Olympiae. De nonnullis huius operis partibus breviter exponit Pausan. V. 10, 2.

Procne in arce Athenis. Πρόκνην δὲ τὰ ἐς τὸν παῖδα βεβουλευμένην αὐτήν τε καὶ τὸν Ἴτυν ἀνέθηκεν Ἀλκαμένης. Pausan. I. 24, 3.

His iam memoratis additur unum praeterea opus Alcamenis a Plinio XXXIV. 8, 19. memoratum: *Fecit et aereum pentathlon qui vocatur encrinomenos,* quam vocem Harduinus male *ceteris praelatum* significare putat. Videtur Alcamenes athletam, qui quin-

quertio vicerat, finxisse agonothetis probatum victoribusque adnumeratum, in qua proinde statua et robur corporis et gaudium victoriae reportatae inesse potuit.

Restant duo quae vulgo Alcameni opera tribuuntur, unum statua Junonis (Pausan. I. 1, 4.) quam vero non nisi Pausaniae verbis male intellectis artifici nostro tributam esse docuit Siebelisius T. I. p. 7. alterum Cupidinis, qui autem mero scholiastae imperiti errore cum Thespiensi Praxitelis confusus est. Haec enim sunt Scholiastae verba ad Lucianum a Junio in Catalogo indicata: ὁ Ἑλικῶν ὄρος ἐςὶ Βοιώτιον, οὗ πρὸς τοὺς πρόποδας Θεσπιαὶ πόλις κατῴκηται, ἐν ᾗ ὁ Ἔρως, ὃν Ἀλκαμένης ἐξείργασται, θαυμάσιόν τι ἔργον ἰδεῖν.

II. Alcamenis nomen invenitur quoque in anaglypho Romano, quod post alios Zoega Bassirilievi antichi di Roma tav. 23. edidit, et cui verba inscripta sunt:

Q. Lollius. Alcamenes
Dec. Et. Duumvir

Quae VV. DD. de obscurissimo hoc monumento suspicati sunt, Meyerus ad Winckelm. Opp. T. V. p. 384. sq. coll. p. 604. congessit. Certum est, indicari hic virum qui in municipio quodam decurio sive senator et duumvir fuit; at mirum videtur, libertinum, qualem Alcamenen istum recte habeas, duumviratu, qui in municipiis summus magistratus erat, ornatum fuisse, nisi rem ita expedire velis, unum e maioribus nostri Alcamenis, qui servus factus fuerat, ab uno Lolliorum libertate donatum fuisse, nepotem vero in

municipio, cuius civis fuit, et honores gessisse et animi causa artem fingendi exercuisse.

ALCIMACHUS.

Pictor memoratus a Plinio XXXV. 11. s. 40. *Alcimachus Dioxippum, qui pancratio Olympiae citra pulveris tactum, quod vocant ἀκονιτὶ vicit* (pinxit.) Hic pictor aliunde nobis non innotuit; at quum multi scriptores Dioxippum memorarint, illius aetas quodammodo hinc colligi potest. Dioxippus Atheniensis pancratiastes nobilis tempore Alexandri M. vixit, et maxime certamine cum Corrago Macedone celebratus est. (Aelian. V. H. X. 22. Diod. Sic. XVII. 100. Athen. VI. p. 251. A. Curtius IX. 7. §. 16. sqq. qui tamen perperam Macedonem *Horratam* dicit.) Alcimachum autem illo ipso tempore, quo Dioxippum, floruisse credere licet, cuius certamen aliquod tabula expresserit. Quod ad reliqua Plinii verba attinet, vocem ἀκονιτὶ Suidas optime illustrat: *ἀκονιτί, χωρὶς κόνεως, ἄνευ ἀγῶνος καὶ μάχης, ἢ εὐμαρῶς, ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἀθλητῶν τῶν οὕτως εὐμαρῶς περιγιγνομένων, ὥστε μηδὲ κονίσασθαι.* *Olympiae* autem e codd. Pariss. et ed. princ. scripsi, quamquam Harduinus docta adnotatione probavit, Latinos scriptores more Graecorum non *Olympiae* sed *Olympia vincere* dixisse. Verum hoc quidem; sed quum *Olympiae victor* non uno apud veteres loco legatur (Gesner thes. s. v. Olympia) vulgatam quoque apud Plinium lectionem hinc defendi posse arbitror.

ALCIMEDON.

Caelator e solo Virgilio nobis notus, qui Eclog. III. 37. 44. eius mentionem iniicit, pocula ab eo affabre facta laudans. Haud ego recusaverim, si quis Alcimedontem Virgilio aequalem fuisse dicat, qui hac ratione artificem eleganter adulatus sit.

ALCISTHENE.

Plinius hanc foeminam iis accenset, quae arte pingendi nobiles factae sint. De aetate et patria nihil constat. Memorat eius picturam, saltatorem, Plinius XXXV. 11. s. 40. fin.

ALCO.

Statuarius, qui fecit Thebis Herculem ferreum, *laborum Dei patientia inductus.* Plin. XXXIV. 14. s. 40.

ALEUAS.

A Plinio XXXIV. 8, 19. in artificibus ponitur, qui optime philosophos aere expresserint.

ALEXANDER.

Pictor Atheniensis, cuius delineatio in tabula marmorea nomen et patriam artificis referente Resinae anno 1746. una cum tribus aliis, quas ab eodem pictore factas esse putavit Winckelmannus (Opp. T. V. p. 168.), inventa est. (Musei Hercul. Vol. I. tav. 1. Α'λέξανδρος Α'θηναῖος ἔγραψεν.) Meyerus ad Winckelm. l. l. p. 478. eum haud inconcinnum hominem fuisse contendit, qui inprimis corporis humani accu-

ratam notitiam sibi compararit. De aetate qua vixerit nihil constat.

ALEXIS.

Plinius XXXIV. 8, 19. Polycleti discipulis Alexidem annumerat, nihil praeterea de eius patria et operibus addens. Et memorat quidem Pausan. VI. 3, 3. hominem eiusdem nominis, quem Thierschius (Epoch. III. Adnot. p. 80.) ab Alexide Pliniano haud diversum esse contendit, cui tamen iudicio quominus assentiamus, impedit temporum ratio. Polycletus enim maior, nam de hoc tantum nunc sermo esse potest, quum circa Ol. XC. grandaevus iam esset, discipulorum quos habuit aetatem ultra Ol. XCVIII. extendere nequimus, quibus iam vide quomodo conveniant Pausaniae verba. Pausanias enim haec de eo refert: *τὸν δὲ ἀνδρίαντα* (praeceptoris cuiusdam ludicrae exercitationis) *ἐποίησε Σικυώνιος Κάνθαρος, Ἀλέξιδος μὲν πατρός, διδασκάλου δὲ ὢν Εὐτυχίδου.* Inde Cantharus, Alexidis filius fere in Ol. C incideret, idem tamen discipulus Eutychidis, quem Plinius Ol. CXX. floruisse ait, ut proinde potius Ol. CXXVIII. tribuendus sit. Praeterea omnino incertum est, an Alexis a Pausania memoratus et ipse statuarius fuerit; quod enim Thierschius monet, Pausaniam Alexidis mentionem haud iniecturum fuisse, nisi et ipse statuariam artem exercuisset, multa exempla contrarium docent; velut *Euchir* III. filius Eubulidis, *Mico* III. filius Nicerati, *Theocles* filius Hegyli etc. Pausanias sine dubio nomen ex titulo statuae adiecto memoravit, eadem ratione, qua et

Phidias Charmidem patrem nominavit. Hinc et alterum artificem Alexidem enumerare nolui.

ALLIO.

Scalptor gemmae ap. Bracci T. I. p. 50.

ALPHEUS.

Scalptor gemmae ap. Bracci T. I. tab. 16. Idem cum *Arethone* plures alias gemmas scalpsit, unde simul aetas artificum colligi potest. Exstat enim caput Caligulae iuvenis. (Bracci tab. 14. 15.)

ALSIMUS.

Nomen pictoris vasculi Graeci, quod Winckelmannus (Monum. ined. II. cap. 33. nr. 159. p. 212. coll. Opp. T. VII. p. 67.) et Millinus (Picturae vasorum antiquor. T. II. tab. 37.) ediderunt. Inscriptio est ΑΛΣΙΜΟΣ ΕΓΡΑΨΕ, pro quo Millinus l. l. p. 60. ΛΑΣΙΜΟΣ legit.

ALYPUS.

Statuarius Sicyone natus, Naucydis Argivi discipulus. (Pausan. VI, 1, 2.) Aetatem eius accuratius etiam inde colligere possumus, quod statuas nonnullorum Lacedaemoniorum, qui duce Lysandro exercitum Atheniensium ad Aegospotamos (Ol. XCIII. 4. a. Ch. 405.) vicerant, aere fudit. (id. X. 9, 4.) Praeterea idem (VI. 1, 2. 8, 3) nonnullas statuas memorat, quas Olympionicis fecerat.

AMMONIAS v. PHIDIAS.

AMMONIUS.

Scalptor gemmae, ap. Raspe pl. 39. nr. 4510.

AMPHICRATES.

Mirabuntur Viri Docti huius artificis nomen antea ne fando quidem auditum, quod in Plinii loco corrupto latere iam demonstrare conabor. Hic enim scriptor XXXIV. 8. s. 19. postquam de *Alcamene* et *Aristide* locutus est, in tota hac sectione literarum ordinem in artificibus enumerandis sequens, ita pergit: *Iphicratis Leaena laudatur. Scortum haec lyrae cantu familiare Harmodio et Aristogitoni consilia eorum de tyrannicidio usque ad mortem excruciata a tyrannis non prodidit. Quamobrem Athenienses et honorem ei habere volentes, nec tamen scortum celebrasse, animal nominis eius fecere: atque ut intelligeretur causa honoris, in opere linguam addi ab artifice vetuerunt.* Hoc artificis nomen et edd. veteres et codd. Reg II. Dufresn. I. magis minusve a librariis correcti exhibent; ita quoque, si Brotierio fides haberi potest, Edit princeps, et ipse Brotierius hanc lectionem breviter tuitus est. At primum Colbert. *bigas et phicrates,* Reg. I. vero *bigasque Phicrates* exhibent, unde I. F Gronovius et Harduinus *Tisicratis* coniecerunt atque hic in textum recepit, cum artifex huius nominis alibi a Plinio memoretur; male hoc argumento usus. Jam hoc puto lectores perspicient, neque *Iphicrates* neque (quod plane nihili est) *Phicrates* h. l. ferri pos-

se, quum ordo literarum severe a Plinio servatus renitatur. Incerti tamen usque haereremus, nisi cod. Vossianus haecce verba praeberet: *bigas quam phicratis,* unde vera lectio a librariis non intellecta et hac de causa interpolata: *bigasque. Amphicratis leaena* nunc demum a nobis restituatur. Iguotum quidem *Amphicratis* artificis est nomen; at pariter ignotus fuit *Iphicrates*, et mira fortuna accidit, ut hoc nomen non nostro tantum loco eadem ratione corrumperetur. Apud Xenophontem enim Anab. IV. 2, 17. Ἀμφικράτης quidam occisus esse traditur; at et hic Ἰφικράτης in codice Etonensi legitur, de cuius libri auctoritate L. Dindorfium in Praef. p. V. recte iudicasse, is ipse locus novo argumento est. Quod ad Plinium porro attinet, ex omnibus codd. Parisinis *Amphicrates* (casu nominat.) scribendum est, quo facto *leaena* ablativus fit, constructione Plinio usitatissima; (cfr. XXXV. 11. s. 40. *Antiphilus puero ignem conflante laudatus* sqq. Sic et alia verba adhibet idem scriptor, ut XXXIV. 8. s. 19. *nobilitatur Lysippus et temulenta tibicina et canibus ac venatione*, ibid. *Naucydes Mercurio censetur:*) neque amplius est quod miremur, qui fieri potuerit, ut Plinius artificibus a prima litera nomen exordientibus *Iphicratem* vel *Tisicratem* admisceret. Ceterum *Amphicrates* paullo post Pisistratidas expulsos circa Ol. LXVIII. floruerit necesse est, qua ratione *Callonis I., Critiae Nesiotae* atque *Ageladae* aequalis fuit. Amphicratis nomen Luciano restituere voluit Toupius ad Longin. sect. 3. quocum coniungas Langium ad Lanzium de sculptura p. 80.

AMPHIO.

I. Pictor Apellis aequalis, ab eoque in honore habitus. Plinius certe XXXV. 10. s. 36. haec habet: *Fuit Apelles non minoris simplicitatis quam artis. Nam cedebat Amphioni de dispositione, Asclepiodoro de mensuris, hoc est quando quid a quoque distare deberet.* Ita Harduinus et Heynius; neque aliter in codd. Reg. II. Colbert. (utroque interpolato) legitur. At cod. Voss. (apud Junium s. v.) Reg. I. Dufresn. I. habent *miamphio*, Ed. I. *inamphiodi de dispositione*, unde Durandus *Echioni* exsculpsit. Brotierius autem *Melanthio*, quod codicum vestigiis propius accedere videtur, et loco Quinctiliani, quem s. v. *Melanthius* attuli, quodammodo confirmatur. Manebunt tamen haec omnia incerta, licet, si alterum contextui Plinii inferendum esset, *Melanthio* facile praeferrem. — Ceterum pro *quid a quo* e cod. Voss. et Dufren. I. *quid a quoque* restitui.

II. Statuarius filius Acestoris, Cnosi natus (Pausan. X. 15, 4.) a Ptolicho Corcyraeo autem edoctus ipse Pisonem Calaurensem instituit (VI. 3, 2.). Nonnisi unum eius opus Pausanias commemoravit, donarium Cyrenaeorum Delphis: Κυρηναῖοι δὲ ἀνέθεσαν ἐν Δελφοῖς Βάττον ἐπὶ ἅρματι, ὃς ἐς Λιβύην ἤγαγε σφᾶς ναυσὶν ἐκ Θήρας· ἡνίοχος μὲν τοῦ ἅρματός ἐςι Κυρήνη, ἐπὶ δὲ τῷ ἅρματι Βάττος τε καὶ Λιβύη στεφανοῦσά ἐςιν αὐτόν. ἐποίησε δὲ Ἀμφίων Ἀκέστορος Κνώσσιος. X. 15, 4. Floruit vero Amphio circa Ol. LXXXVIII. Vide s. v. *Critias* et *Democritus*.

AMPHISTRATUS.

Sculptor aetate Alexandri Magni, qui maxime statuis iconicis conficiendis operam navasse videtur. Memorantur enim haec eius opera a Plinio XXXVI. 5. s. 4. *In hortis Servilianis reperio laudatos Calamidis Apollinem illius caelatoris, Dercyli pyctas, Amphistrati Callisthenem historiarum scriptorem*, et a Tatiano orat. c. Graec. 52. p. 114. ed. Worth. Α'μφίστρατος ἐχαλκούργησεν Κλειτώ.

AMPHOTERUS.

Scalptor incertae aetatis, cuius gemma exstat insignis literis ΑΜΦΟ. V. Bracci T. I. pl. 17.

AMYCLAEUS.

Statuarius Corinthius, de quo vide quae dixi s. v. *Diyllus* et *Chionis*.

ANAXAGORAS.

Statuarius Aegineta quem tempore belli, quod Xerxes Graeciae intulit, floruisse satis credibile est, cum opus fecerit, quod eae Graeciae civitates erigendum curarunt, quae victoriae participes fuerant. Fuit autem Jovis statua: v. Pausan. V. 23, 2. τὸ δὲ ἄγαλμα ἐν Ο'λυμπίᾳ τὸ ἀνατεθὲν ὑπὸ τῶν Ε'λλήνων ἐποίησεν Α'ναξαγόρας Αἰγινήτης et V. V. D. D dudum viderunt, de eadem statua Herodotum IX. 81. et Pausaniam VI. 10, 2. loqui. Haud dubito, quin idem hic Anaxagoras sit, quem Diog. Laert. II. 3, 15. ἀνδριαντοποιὸν dicit, et cuius donarium ex epigrammate in

Analect. Brunck. T. I. p. 117. nr. 6. notum est. Optimo iure Müllerus (Aeginet. p. 104.) eum ab illo Anaxagora diversum esse statuit, qui a Vitruvio (VII. Praef.) scriptor de scenarum architectura laudatur.

ANAXANDER.

Plinius XXXV. 11. s. 40. refert eum inter pictores non ignobiles quidem, in transcursu tamen dicendos.

ANAXANDRA.

Haec Nealcis, qui tempore Arati vixit, filia a patre artem pingendi sibi traditam exercuit. Didymus ap. Clement. Alexandr. Strom. IV. p. 523. B. ed. Sylb.

ANDREAS.

Statuarius Argivus incertae aetatis, qui statuam Lysippi victoris in pueris fecit. Pausan. VI. 16, 5.

ANDROBIUS.

Pictor incertae aetatis et patriae *pinxit Scyllin ancoras Persicae classis praecidentem*. Plin. XXXV. 11. s. 40. Historiam urinatoris illius celeberrimi Herodotus VIII. 8. Pausan. X. 19, 1. Strabo IX. p. 443. retulerunt.

ANDROBULUS.

Statuarius quem Plinius XXXIV. 8, 19. felicissime philosophos expressisse dicit.

ANDROCYDES.

Pictor Cyzicenus, Pelopidae (Plut. Pelop. 25.)

Zeuxidisque aequalis huiusque aemulus fuit. (Plin. XXXV. 10, s. 36.) Duorum eius operum notitia ad nos pervenit, quorum prius fuit pictura proelii, de qua dignus est qui audiatur Plutarchus l. l. τῆς δὲ πρὸς Πλαταιὰς ἱππομαχίας, ἣν πρὸ τῶν Λευκτριακῶν ἐνίκησαν (οἱ Θηβαῖοι,) ἡγουμένου Χάρωνος, ἐπεχείρησεν ἀνάθεμα τοιόνδε ποιῆσαι. Ἀνδροκύδης ὁ Κυζικηνὸς ἐκλαβὼν παρὰ τῆς πόλεως πίνακα γράψαι μάχης ἑτέρας ἐπετέλει τὸ ἔργον ἐν Θήβαις. Γενομένης δὲ τῆς ἀποστάσεως (Ol. C. 2.) καὶ τοῦ πολέμου συμπεσόντος οὐ πολὺ τοῦ τέλος ἔχειν, ἐλλείποντα τὸν πίνακα παρ' ἑαυτοῖς οἱ Θηβαῖοι κατέσχον. Τοῦτον οὖν ὁ Μενεκλείδας (adversarius Pelopidae et Epaminondae) ἔπεισεν ἀναθέντας ἐπιγράψαι τοὔνομα τοῦ Χάρωνος ὡς ἀμαυρώσων τὴν Πελοπίδου καὶ Ἐπαμινώνδου δόξαν. Ex his verbis patet, Androcydem ante Cadmeam a Thebanis recuperatam proelium pinxisse, cuius participes fuerant Epaminondas et Pelopidas, Meneclidam vero nomen Charonis, qui post hoc tempus ad Plataeas Spartanos equestri proelio vicerat, inscribendum curavisse, ut illorum duumvirorum gloriam obscuram redderet. Licet autem suspicari, Androcydem pugnam pinxisse neque tamen ad finem plane perduxisse, in qua et Epaminondas et Pelopidas contra Arcades fortissime pugnantes graviter quidem vulnerati sunt, Epaminonda tamen amicum ab hostibus incurrentibus strenue defendente. (Plut. Pelop. 4. Ol. XCVIII. 4. ut recte coniicere videtur Clintonus in Fast. Hellen. p. 94.) In altera pictura, qua Scyllam fecerat, maxime pisces monstrum circumdantes laudabantur, quos Androcydes summa cura pinxisse dice-

bant, quippe qui iis magnopere delectatus sit. (Plut. Quaestt. Symp. IV. 2. et 4.)

ANDRO.

Sculptor vel statuarius incertae aetatis et patriae; v. Tatian. Orat. in Gr. 55. p. 119. ed. Worth. *ἐμοίχευσεν Ἄρης τὴν Ἀφροδίτην, καὶ τὴν ἀπ' αὐτῶν Ἁρμονίαν Ἄνδρων ὑμῖν κατεσκεύασε.*

ANDRONICUS.

Andronicus Cyrrhestes — turrim marmoream octogonon et in singulis lateribus octogoni singulorum ventorum imagines exsculptas contra suos cuiusque designavit, supraque eam turrim metam marmoream perfecit, et insuper Tritonem aereum collocavit, dextra manu virgam porrigentem, et ita est machinatus, uti vento circumageretur, et semper contra flatum consisteret, supraque imaginem flantis venti indicem virgam faceret. Vitruv. I. 6, 4. p. 25. ed. Schn. Quo tempore vixerit Andronicus nescimus; ex arte tamen, qua venti expressi sint, V. V. D.D. coniecerunt, turrim post Alexandri Magni tempus exstructam fuisse.

ANDROSTHENES.

Sculptor Atheniensis, discipulus Eucadmi, qui fastigia templi Apollinis Delphici, quae Praxias discipulus Calamidis inchoaverat sed quo minus ad finem perduceret morte impeditus est, perfecit. (Pausan. X. 19, 3.) Vtrumque artificem nonagesima circiter Olympiade floruisse, satis probabile est.

ANGELIO.

Hic artifex semper cum Tectaeo coniungitur, et dubium est, utrum aere fundendo an marmore scalpendo clariores facti sint. De iis locus classicus est ap. Pausan. II. 32, 4. *μαθητὴς ὁ Κάλλων ἦν Τεκταίου καὶ Ἀγγελίωνος, οἳ Δηλίοις ἐποίησαν τὸ ἄγαλμα τοῦ Ἀπόλλωνος· ὁ δὲ Ἀγγελίων καὶ Τεκταῖος παρὰ Διποίνῳ καὶ Σκύλλιδι ἐδιδάχθησαν*, quae verba ut ineptissima Müllerus (Aeginet. p. 101.) damnat. Hic enim Vir Doctiss. Dipoenum et Scyllidem Daedali discipulos facit, unde Callo Aegineta quem ex aliis scilicet testimoniis tempore belli Peloponnesiaci floruisse statuit, tertius Daedali in arte successor fieret, qua de causa fidem nostri loci penitus elevat. At non debebat, ut mea quidem sententia fert, Pausaniae verba (II. 14, 1) tanti facere, ut Plinio vel potius Varroni (v. Thiersch. Epoch. I. Adnot. p. 25.) ex quo Plinius sua sumsit nihil tribueret. Per illum enim edocti scimus, Dipoenum et Scyllidem quinquagesima circiter Olympiade vixisse, quod nuper demum Boeckhius (Corp. Inscr. I. p. 48.) calculo suo approbavit. Quae si Müllerus animum advertisset, in damnando nostro Pausaniae loco minus fortasse festinasset. Dipoenus et Scyllis igitur Olymp. L. (ante Ch. n. 580.), Callo autem, quem haud magis recte Müllerus ad tempora belli Peloponnesiaci descendere iussit (v. infra Callo I.), circa Ol. LXVI. ante Ch. n. 516. cum Canacho floruit, et medium iam inter hos locum Angelio et Tectaeus circa Ol. LVIII. ante Ch. n. 548. obtinebunt, qua quidem

ratione continua haec artificum series exoritur, quae hucusque omnes archaeologos latuisse videtur:

Dipoenus et Scyllis Ol. L.

Tectaeus et Angelio Ol. LVIII.

|

Callo Aegineta Ol. LXVI.

De statua autem quam una fecerunt Apollinis Delii quum a Pausania (IX. 35, 1.) nihil traditum sit, quam eius manui tres Gratias impositas fuisse, Plutarchus de Musica T. III. p. 2081. St. p. 1136. Fr. hanc eius descriptionem paullo accuratiorem dedit: *ἡ ἐν Δήλῳ τοῦ ἀγάλματος αὐτοῦ (Ἀπόλλωνος) ἀφίδρυσις ἔχει ἐν μὲν τῇ δεξιᾷ τόξον, ἐν δὲ τῇ ἀριστερᾷ Χάριτας, τῶν τῆς μουσικῆς ὀργάνων ἑκάστην τι ἔχουσαν· ἡ μὲν γὰρ λύραν κρατεῖ, ἡ δὲ αὐλούς, ἡ δ' ἐν μέσῳ προκειμένην ἔχει τῷ στόματι σύριγγα. ὅτι δὲ οὗτος οὐκ ἐμοὶ ὁ λόγος, Ἀντικλῆς καὶ Ἴστρος ἐν ταῖς ἐπιφανείαις περὶ τούτων ἀφηγήσαντο. οὕτω δὲ παλαιόν ἐςι τὸ ἀφίδρυμα τοῦτο, ὥστε τοὺς εἰργασμένους αὐτὸ τῶν καθ' Ἡρακλέα Μερόπων φασὶν εἶναι.* In Pausaniae autem verbis, quae vulgo ita se habent: *Ἀγγελίων τε καὶ Τεκταῖος, οἵ γε Διονύσου τὸν Ἀπόλλωνα ἐργαζόμενοι Δηλίοις τρεῖς ἐποίησαν ἐπὶ τῇ χειρὶ αὐτοῦ Χάριτας*, grave mendum inest, et bene Siebelisius vocem *Διονύσου* in minore sua editione uncis inclusit. Müllerus quidem (Doriens. I p. 353.) monet, emendationem loci ex Philostrato petendam esse; sed Siebelisius, a me de hac re consultus, nihil quod eam suppeditaret apud Philostratum se invenisse humanissime respondit; ex Vita enim Apollon. III. 3. nihil nos lu-

crari. Ceterum optime Müllerus l. l. vidit, Angelionem et Tectaeum antiquissimam Apollinis Delii statuam, quam Herculis aetate factam fuisse Plutarchus tradit, imitatione expressisse. Restat ut Athenagoram (legat. pro Christ. 14. p. 61. ed. Dechair.) erroris illi aevo facile condonandi arguamus, qui non solum Apollinem sed Dianam quoque ab artificibus nostris fabricatam refert, quod tamen valde dubitandum est, quum neque Pausanias neque Plutarchus simile quid dicant. Verba Athenagorae haec sunt: ὁ Δήλιος καὶ ἡ Ἄρτεμις Ἰδεκταίου καὶ Ἀγγελίωνος τέχνη, ubi non erat, cur emendationem Τεκταίου tantis laudibus celebrarent.

ANTENOR.

Hic statuarius unice notus est statuis quas tyrannicidarum Harmodii et Aristogitonis fecit. His mira fortuna evenit. Quum enim Xerxes Athenas desertas cepisset, cum alia opera tum illas statuas ut spolia Graeciae secum abduxit et in urbe Susis constituit. (Arrian. E. A. III. 16, 13.) Athenienses post regem debellatum reversi, ne memoria civium de patria optime meritorum unquam deleretur, alias statuas vel a Critia (Pausan. I. 8, 5.) vel serius a Praxitele (Plin. H. N. XXXIV. 8, 19.) faciendas curarunt. Sed iam Alexander Magnus imperium Persarum evertit, et ut prudenter Atheniensibus blandiri solebat, illas quoque statuas libertatis antiquae quasi columnam funebrem Athenas reduci iussit (Arrian. l. l. et VII. 19, 4. Plin. H. N. l. l.), ubi in Ceramico iuxta eas, quas Critias vel Praxiteles fecerat, erectae sunt. (Pausan. l. l.)

Ab aliis vero scriptoribus non Alexander sed unus Antiochorum (Pausan.) vel Seleucus (Valer. Max. II. 10. ext.) eas remisisse dicitur, de quo tamen postremo recte statuisse videtur Siebelisius ad Paus. p. 32. Omnino v. Meursii Pisistrat. 14.

ANTEROS.

Scalptor secundi ut videtur seculi post Ch. n. (Bracci T. I. tab. 19. 20. p. 104.) siquidem gemma cum capite Antinoi, insignita literis ANT. eidem artifici tribuenda est.

ANTHERMUS.

Sculptor celeberrimus, qui artem marmoris sculpendi sibi traditam valde excoluit. Unus Plinius (XXXVI. 5.) mentionem eius iniecit, cui si locum Scholiastae Aristophanis misere lacerum, iam supra s. v. *Aglaophon* a nobis adductum addideris, omnia quae de Anthermo tradita sunt, habebis. *Cum ii* (Dipoenus et Scyllis) *essent, iam fuerat in Chio insula Malas sculptor, dein filius eius Micciades, ac deinde nepos Anthermus, cuius filius Bupalus et Athenis clarissimi in ea scientia fuere, Hipponactis poetae aetate, quem certum est LX. Olympiade fuisse. Quodsi quis horum familiam ad proavum usque retro agat, inveniet artis eius originem cum Olympiadum origine coepisse. Hipponacti notabilis foeditas vultus erat, quamobrem imaginem eius lascivia iocorum ii proposuere ridentium circulis. Quod Hipponax indignatus, destrinxit* (ita cod. Reg. I.) *amaritudinem carminum*

in tantum, ut credatur aliquibus ad laqueum eos compulisse: quod falsum est. Complura enim finitimis insulis (vulgo *in fin.* Praepositionem delet Reg I.) *simulacra postea fecere, sicut in Delo; quibus subiecerunt carmen: non vitibus tantum censeri Chion, sed operibus Anthermi filiorum. Ostendunt et Lasi* (ita scripsi ex cod. Reg. I. Fuit urbs Cretae; Plin. IV. s. 20. Vulgo *Iasi;* cod. Reg. II. Colbert. *Lascii,*) *Dianam manibus eorum factam, et in ipsa Chio narrata est operis eorum Dianae facies in sublimi posita, cuius vultum intrantes tristem, abeuntes hilaratum* (sic omnes codd.) *putant. Romae eorum signa sunt in Palatina aede Apollinis in fastigio, et omnibus* (sic cod. Reg. I. Dufresn. I. Colbert. Vulgo: *in o.*) *fere quae Divus Augustus fecit. Patris quoque eorum et Deli fuere opera et in Lesbo insula.* Nomen nostri artificis in vulgatis editt. *Anthermus* scribitur, quod unum Brotierium recte offendit. Cum ipsum enim nomen ferri non possit, quia Graecum omnino non est, tum in omnibus meis codd. varie exaratum inveni, ita ut iam hinc aliqua dubitatio oriri posset. In optimo cod. Reg. I. *Archermus* et infra *Achermi* legitur; illo in loco Reg. II. Dufresn. I. Colbert. *chermus* praebent, in hoc autem (*Anthermi filiorum*) inepte tantum exhibent. Sed alterum etiam argumentum accedit, quo lectio hucusque recepta valde labefactatur. Etenim Scholiastes ad Aristoph. Av. 573. de artifice nostro loquens Ἀρχέννους eum dicit, et quamquam cum alia illius loci vocabula, tum ipsum hoc nomen corruptum est, tamen similitudo aliqua

inter hoc et lectionem e cod. Reg. I. enotatam intercedit, et quaeri potest, annon fortasse *Archermus*, quod nomen Brotierius in textum recepit, verum sit, unde Ἀρχέννους emendare in promptu esset. De hoc certe mihi persuasum est, Junium in Catalogo Scholiastem Aristophanis male ex Plinii corrupta lectione emendare voluisse, cui Thierschius (loco statim laudando semper *Anthermus* scribens) et Welckerus (Hippon. fragm. p. 12.) calculum dare non debebant. Anthermus nemo unquam homo dictus est, et quum nomina propria a librariis latinis multo peius affici soleant, quam a Graecis, nomen Scholiastae a vero propius abesse puto, quam Plinii: et nisi omnia me fallunt, *Archeneus* sculptor ille dictus est, quod nomen inventum in inscript. Gr. ap. Boeckh. nr. 22. T. I p. 38 ad lectionem scholiastae Graeci proxime accedit. Fuit etiam cum cogitarem, artificem dictum fuisse *Archinum*, cuius nominis orator vixit celeberrimus. Ceterum autem terminationem vocis in οῦς non solicitandam esse, patet ex iis quae egregie disputavit Ruhnkenius in histor. crit. Orat. p XLII. — Quod alterum eius filiorum *Athenin* neque *Anthermum* scripsi, in hoc Pintianum, Brotierium et Thierschium (Epoch. art. Gr. II. adnot. p. 58.) secutus sum, qui ex Suida s v. Ἱππῶναξ (γράφει δὲ πρὸς Βούπαλον καὶ Ἄθηνιν ἀγαλματοποιούς, ὅτι αὐτοῦ εἰκόνα πρὸς ὕβριν εἰργάζοντο) cui grave Scholiastae ad Aristophanem testimonium accedit, illam lectionem, confirmatam quodammodo cod. Polling. Plin. in quo *Anthemus*, restituerunt, nisi quidem et hunc errorem non librario

sed Plinio ipsi tribuere velis. — De aevo autem Bupali et Athenidos tum demum iudicari potest, quum quo tempore Hipponax vixerit, viderimus. Et hic quidem iam Ol. LVIII. at item LXIV. floruit (v. infra *Bupalus*) ita ut et artificibus illis idem fere annus vindicandus sit. Inde autem Anthermus sive potius Archeneus pater Ol. L. probatus artifex esse potuit, et videmus Plinium, dum Hipponactem Ol. LX. vixisse dicit, bonis argumentis haud destitutum fuisse.

ANTHEUS.

Hunc statuarium suo saeculo satis probatum refert ad Olympiadem CLV. Plinius XXXIV. 8, 19. Vulgo huius artificis nomen *Antaeus* scribitur; at Junius in Catalogo et Heynius (Opusc. T. V. p. 389.) eam, quam et ego, scripturam praetulerunt.

ANTIDOTUS.

De hoc pictore Plinius XXXV. 11. s. 40. haec habet: *Euphranoris discipulus fuit Antidotus. Huius est clypeo dimicans Athenis, et luctator, tibicenque inter pauca laudatus. Ipse diligentior quam numerosior, et in coloribus severior, maxime inclaruit discipulo Nicia Atheniensi. Severior* quod cum Brotierio pro vulgato *severus* scripsi, firmatur cod. Reg. I. et Edit. princ. — Euphranor autem quum centesima quarta Olympiade floruerit, eius discipulum Olympiadi CXI. vindicare licebit.

ANTIGNOTUS.

Statuarius incertae aetatis et patriae, hucusque ne nomine quidem notus. Haec enim in omnibus Plinii editt. recentioribus verba leguntur: (XXXIV. 8, 19.) *Antigonus* (fecit) *et Perixyomenon tyrannicidasque supra dictos*, et censebant V. V. D. D. hunc artificem eundem esse, ad quem statim perveniemus. At cod. Voss. Reg. I. *Antignotus* praebent, suffragante quodammodo Dufresn. I. in quo *Antignonus* legitur, neque dubito, quin illa scriptura genuina sit. Praeterea in iisdem codd. Voss. et Dufresn. I. post *et* inseritur *luctatores*, neque videas causam, ob quam hoc vocabulum in uno omnium optimo codice Plinii exstans spurium habendum sit, quo igitur restituto locus ita scribi debet: *Antignotus et luctatores*, *perixyomenon tyrannicidasque supra dictos (fecit.)*

ANTIGONUS.

Statuarius incertae patriae. Commemorat eum Plinius XXXIV. 8, 19. *Plures artifices fecere Attali et Eumenis adversum Gallos proelia: Isigonus, Pyromachus, Stratonicus, Antigonus, qui volumina condidit de sua arte.* Attalus autem, primus huius nominis rex Pergami, Gallos Ol. CXXXV. 2. (239. ante Ch. n.) devicit, qua igitur aetate artifices illi floruerunt.

ANTIMACHIDES v. ANTISTATES.

ANTIMACHUS.

Statuarius incertae aetatis et patriae, qui nonnullas feminarum nobilium statuas fecit. Plin. XXXIV. 8, 19.

ANTIOCHUS.

Sculptor Atheniensis incertae aetatis, cuius exstat Minerva, quae in bibliotheca villae Ludovisianae spectabatur; num adhuc ibi inveniatur, nescio. Inscriptio, cuius literae deletae facile suppleri possunt, haec est:

. . . . . TIOXOC
. . . . INAIOC
. . . . . ΠOIEI

Vide Winckelm. Opp. T. VI. P. I. p. 279. et intpp. ad l. l. P. II. p. 343.

ANTIPATER.

Hic cum Calamide et Stratonico tertium inter argenti caelatores locum ex veterum sententia obtinuit; Plin. XXXIII. 12. s. 55.

ANTIPHANES.

Statuarius patria Argivus (Pausan. X. 9, 3. sq.) cuius aetas variis ex argumentis definiri potest. Maximo ad rem conficiendam momento locus Pausaniae (V. 17, 1.) est, ubi haec leguntur: *διδάσκαλος τοῦ Κλέωνος, ὄνομα Ἀντιφάνης, ἐκ φοιτήσεως Περικλείτου· Πολυκλείτου δὲ ἦν τοῦ Ἀργείου μαθητὴς ὁ Περίκλειτος.* His igitur ex verbis certo scimus, Antiphanem praeceptorem Cleonis fuisse, qui Ol. C. (380. ante Ch. n.) statuas fecit (Pausan. V. 21, 2. coll. VI. 1, 2.), et hinc colligere licet, Antiphanem Olympiade circiter XCIV. (404. ante Ch. n.) floruisse. Opera autem Antiphanis plura idem Pausan. X. 9, 3. 4. recenset. Finxerat

enim Dioscurorum aliorumque heroum statuas, praecipue autem equum aeneum ad imitationem Troiani factum, (cfr. ibid. §. 6. Alias eiusdem imitationes enumeravit Heynius Excurs. III. ad Aen. II. p. 323. ed. III.) quem Argivi Delphos ob pugnam Thyreaticam (quam circiter Ol. LVIII. evenisse V. V. D. D. probarunt; v. Mülleri Doriens. T. I. p. 158.) donarium miserunt. Facile quis hinc dubitationes contra aetatis Antiphanis a nobis constitutae rationem movere possit; sed Müllerus l. l. illud donarium, ut pariter alia Tegeatarum, diu post pugnas ipsas facta fuisse recte monuit. Fortassis illae civitates statuas hanc ob causam fundendas curaverunt, ut probarent, victorias, quae ipsorum hostibus tribuebantur, a se fuisse reportatas.

ANTIPHILUS.

I. Pictor in Aegypto natus, (v. infra) quem Quinctilianus XII. 10. facilitate praestantissimum dicit, et quem Apelli Protogenique, vel etiam Lysippo comparare haud dubitarunt, (Theon. Progymn. I. Varron. R. R. II. 2.) bis memoratus a Plinio XXXV. 11. s. 40. *Antiphilus puero ignem conflante laudatur* a), *ac pulchra* b) *alias domo splendescente ipsiusque pueri ore:*

---

a) Sic Reg. I. Vulgo *laudatus.* — b) Id e cod. Reg. I. retinui, cum in Reg. II. Dufresn. I. Colbert. Edit. I. *pulchre* legatur, quod primo adspectu praeferendum esse videtur. Sed et h. l. praestantia cod. Reg. I. apparet; *pulchra* enim non ablativus (ut Meyerus hist. art. T. I. p. 194. explicuit) sed neutrum numeri pluralis est, ad-

item lanificio, in quo properant omnium mulierum pensa: Ptolemaeo venante: sed nobilissimo satyro cum pelle pantherina quem Aposcopeuonta c) *appellant*; et XXXV. 10. s. 37. *Parva et Callicles fecit, item Calades comicis tabellis, utraque Antiphilus. Namque* d) *et Hesionam nobilem pinxit, et Alexandrum ac Philippum cum Minerva, qui sunt in schola in Octaviae porticibus, et in Philippi Liberum patrem, Alexandrum puerum, Hippolytum tauro emisso expavescentem* e), *in Pompeia vero Cadmum et Europen. Idem iocoso nomine Gryllum deridiculi* f) *habitus pinxit, unde hoc genus picturae grylli vocantur. Ipse in Aegypto natus didicit a Ctesidemo.* Causa iusta non adest, qua Harduinus ad s. 40. duos Antiphilos discernere potuerit, quum potius Aegyptus patria et pictura Ptolemaei venantis eundem artificem probare videantur. Floruit autem, quod post alios Tölkenius (Amalthea T. III. p. 121.) ex eius operibus recte collegit, Alexandri et Ptolemaei I. regis Aegypti aetate, et quum iuvenis in aula Philippi Macedonis vixisse

---

verbii vim habens. (Cfr. Vechneri Hellenol. p. 213. cum animadvss. Heusing. Heins. ad Claudian. Cons. Probi Olybr. 120. Ilgen. ad Copam p. 27. — c) *Aposcopeuonta*, ita codd. Voss. Reg. I. II. Dufresn. I. Vulgo *aposcoponta* vel *aposcopunta*, utrumque male. Vocem perperam interpretatus est Dalechampius, rectius Jos. Scaliger ad Priap. p. 148. ed. Sciop. et Böttigerus de archaeol. Pict. I. p. 202. — d) hoc exhibent Reg. I. Dufresn. I. Vulgo *nam*. — e) Talem picturam describit Philostrat. Imagg. II. 4. — f) *deridiculi*, ita cod. Reg. I. Ed. I.

videatur, ubi hunc ipsum regem et Alexandrum puerum pinxit, eum post huius mortem cum Ptolemaeo, cui Aegyptus administranda tradebatur, in patriam suam reversum fuisse haud improbabile est, ubi Ptolemaeum venantem fecerit. Hinc eius aetas his fere finibus circumscribitur, ut ab anno ante Ch. n. 356. (quo Alexander natus est) usque ad annum 320. (quo tempore Ptolemaeus iam in Aegypto fuit) artem exercuerit. Fuit igitur Apellis aequalis, cuius et aemulus in arte ab Luciano dicitur (v. infra s. v. *Apelles.*)

II. Architectus incertae patriae et aetatis, qui una cum Pothaeo et Megacle thesaurum, sive cellam donariorum Carthaginiensibus Olympiae fecit. Pausan. VI. 19, 4.

ANTISTATES.

Architectus, cuius mentionem iniicit Vitruvius VII. Praef. §. 15. *Athenis Antistates et Callaeschros et Antimachides et Porinos architecti Pisistrato aedem Jovi Olympio facienti fundamenta constituerunt. Post mortem autem eius propter interpellationem reipublicae incepta reliquerunt.* Historiam templi illius magnificentissimi narravit Meursius (Athenae Atticae I. 10.) Adde quae hanc in rem attulit Jacobs in Amalthea T. II. p. 248. sqq.

ANTORIDES.

Pictor Euphranori aequalis et fere in Ol. CX. collocandus, de quo Plinius XXXV. 10. s. 30. fin. haec habet: *Huius fuerat aetatis Aristides, Thebani disci-*

pulus, fuerunt et filii Niceros et Ariston, cuius est Satyrus cum scypho coronatus; discipuli Antorides et Euphranor, de quibus mox dicetur. Ita hunc locum cum Brotierio e codd. Voss. Reg. I. Ed. I. dedi, in quo constituendo a veritate paulum aberravit J. Fr. Gronovius; et stemma artificum a Plinio ibi commemoratorum ita disponendum esse puto:

Aristides Thebanus

Niceros filius — Aristo filius — Aristides discipulus

Antorides Euphranor discipuli.

APATVRIUS.

Pictor scenarum incerti aevi Alabandi natus, de quo historiolam narrat Vitruvius VIII. 5, 4. — Meyerus (hist. art. T. II. p. 204) eum ipsa Vitruvii aetate vixisse suspicatur, perperam, quod e verbis *videamus item nunc ne Apaturii scena efficiat et nos Alabandeos et Abderitas* et aliis paullo post sequentibus *Utinam Dii immortales fecissent, ut Licinius* (qui Apaturium coram reprehenderat) *revivisceret, et corrigeret hanc amentiam tectoriorumque errantia instituta!* facile colligi potest. Obiter hic animadvertamus, pro *Licinius,* quod nomen Graecum nunquam fuit, *Licymnius* scribendum videri.

APELLAS.

Statuarius, qui (Plin. XXXIV. 8, 19.) *adorantes feminas* fecit, et quem Tölkenius (Amalthea T. III. p. 128.) Cyniscae, quae Olympiae victoriam reportaverat, monumentum fecisse recte contendit. Vide enim quam apte tale monumentum cum adorantibus feminis, quas Plinius ei tribuit, conveniat, praesertim si meminerimus, statuas victorum in ludis gymnicis saepe in adorantis speciem, i. e. manibus expansis atque in altum sublatis (Böttigeri mythol. ex artis opp. illustrata T. I. p 51.) fictas fuisse, qua de re praestantissimum opus aeneum Berolinense verbo attigisse sufficit. Hac ratione et de Apellae (quem cum pictore confudit Winckelm. Opp. T. IV. p. 31.) aetate iudicare possumus. Pausanias enim VI. 1, 2. lectore ad eo remisso quae de Cynisca III. 8, 1. attulerat, ita pergit: *πεποίηται δὲ ἐν Ὀλυμπίᾳ παρὰ τὸν ἀνδριάντα τοῦ Τρωΐλου λίθου κρηπὶς καὶ ἅρμα τε ἵππων καὶ ἀνὴρ ἡνίοχος καὶ αὐτῆς Κυνίσκας εἰκὼν Ἀπελλοῦ τέχνη. γέγραπται δὲ καὶ ἐπιγράμματα ἐς τὴν Κυνίσκαν ἔχοντα.* Quum autem Cynisca filia esset Archidami II. soror Agidis II. et Agesilai II. celeberrimi regis, qui Ol. CIV. 3. ante Ch. n. 362. octoginta quatuor annos natus in Aegypto obiit, hinc anachronismus elucet, quem Winckelmannus l. l. commisit, statuarium cum pictore confundens, et aetatem artificis nostri quodammodo certe assequi possumus, qui fere Ol. LXXXVII — XCV. ante Ch. n. 430 — 400. floruerit necesse est.

APELLES.

I. Pictor, quem omnis antiquitas uno ore summum in arte pingendi artificem praedicavit, ita ut pictura ipsa *ars Apellea* a Martiali XI. 9. et Statio Silv. I. 1, 100. dicatur. Inter recentiores eius ingenium optime descripsit J. H. Vossius in epist. mythol. II. p. 230. cuius viri his rebus proh dolor immature erepti verba boni ominis causa praemittam: '*Am berühmtesten war die Anadyomene oder Auftauchende des Koischen Apelles, der mit feurigem Geist, geschärftem Urtheil und geübter Fertigkeit das feinste Gefühl der Anmuth und den Ehrenschmuck der Vortrefflichkeit, eine harmlose Seele, vereinigte.* Patriam Apellis alii aliam dixerunt; Plinius, Ovidius (A. A. III. 401. Pont. IV. 1, 29.) eum *Coum*, Suidas *Colophonium*, Strabo XIV. p. 642. et Lucianus T. III. p. 127. ed. R. *Ephesium* appellant, quod quo iure fecerint, docet Suidas: Ἀπελλῆς Κολοφώνιος, θέσει δὲ Ἐφέσιος, ζωγράφος, μαθητὴς Παμφίλου τοῦ Ἀμφιπολίτου, πρότερον δὲ Ἐφόρου τοῦ Ἐφεσίου, υἱὸς Πυθίου, ἀδελφὸς Κτησιόχου, καὶ αὐτοῦ ζωγράφου, neque iniuria, puto, Junius suspicatus est, pariter insulam Ceum civitatem in artificem detulisse, utpote quam Venere sua clarissimam fecisset. Aliam vero causam, cur Apelles Ephesius dicatur, Tölkenii sagacitas (Amalth. III. p. 123.) eruit, quod nimirum Ephesi artem edoctus est, atque nomen scholae nomen urbis patriae obscurius reddidit. De eius aetate lis esse non potest, siquidem meminimus, Alexandrum Magnum ab

hoc tantum artifice se pingi passum fuisse, et errorem vel fraudem quam Lucianus commisit, tam egregie nuper Tölkenius l. l. refutavit, ut lectores harum rerum studiosos ad ipsam Viri Doctissimi commentationem remittere quam eam in arctiores fines contractam hic repetere praestet. Praeceptoribus usus est Apelles *Ephoro Ephesio,* (Suidas) *Pamphilo Amphipolitano* (idem, Plinius XXXV. 10. s. 36. 11. s. 45.) et *Melanthio* (Plutarch. Arat. 12.) ad quos Sicyone tunc viventes Apelles iam inter artifices laudatus accessit. (Plutarch. Arat. 13. ὥστε καὶ Ἀπελλῆν ἐκεῖνον ἤδη θαυμαζόμενον ἀφικέσθαι καὶ συγγενέσθαι τοῖς ἀνδράσιν ἐπὶ ταλάντῳ τῆς δόξης ἢ τῆς τέχνης δεόμενον μεταλαβεῖν.) Quartum ei praeceptorem *Arcesilaum* tribuit Athenaeus X. p. 420. D. Quem eius fratrem *Ctesiochum* Suidas appellat, non diversus ab *Ctesilocho* esse videtur, qui a Plinio Apellis discipulus dicitur, ita ut alter scriptor ex altero corrigendus sit. (Plin. XXXV. 11. s. 40.) Quodsi ceterum accuratiora de aetate qua floruerit Apelles scire volumus, eum fere ab Ol. CVII. usque ad CXVIII. artem exercuisse colligi potest; argumentis afferendis supersedere possumus, quum et hic Tölkenius p. 117—119. omnia occuparit. Classicus, ut dicunt, locus de Apelle apud Plinium XXXV. 10. s. 36. legitur, quo e libris MSS. emendato ita utar, ut quidquid ab aliis scriptoribus traditum aliquam ad verba Plinii illustranda utilitatem afferre potest, adnotationis instar adiiciatur, ea vero, quorum memorandorum Plinius copiam non fecerit, pro corollario annectantur.

Verum et omnes [1]) *prius genitos futurosque postea superavit Apelles Cous Olympiade CXII. Pictura plura solus propinavit* [2]) *quam ceteri omnes; contulit voluminibus etiam editis,* [3]) *quae doctrinam eam continent. Praecipua eius in arte venustas fuit: cum eadem aetate maximi pictores essent, quorum opera cum admiraretur, omnibus collaudatis,* [4]) *deesse iis unam illam suam* [5]) *Venerem dicebat, quam Graeci*

---

1) *Verum et omnes,* ita scripsi e codd. Reg. I. II. Dufresn. I. Colbert. Ed. I. cum vulgo *et* omissum sit. Sed proba est coniunctio particularum *et — que* pro *et — et.* cfr. Horat. Tursell. part. p. 222. sq. Ramshorn Gr. L. p. 518. — 2) Antea: *picturae pl. s. prope quam ceteri omnes contulit, voluminibus etc.* Sed *propinavit* cod. Pint. [in quo et *pictura*] et Reg. I. quibus e libris difficiliorem lectionem, mutata in sqq. paululum interpunctione, restitui. *Propinandi* autem vocabulum proprie de eo qui poculum alteri ad bibendum tradit usurpatum, h. l. scite translatum est ad artificem, qui artem ad maiorem perfectionis gradum a se evectam serioribus artificibus relinquit. Fateor autem, vocem statim sequentem *contulit* ex glossa vocis *propinavit* in textum venisse videri, unde et lectionem *picturae* pro *pictura* ortam esse credo. — 3) *voluminibus,* v. infra, ubi haec leguntur: *Apellis discipulus Perseus, ad quem de hac arte scripsit.* — 4) vulgo: *collaudatis omnibus.* Nostrum tuentur Reg. I. Dufresn. I. Ed. I. — 5) *unam illam suam,* hoc ex Ed. I. restitui, quum vulgo *illam suam* haud legatur, cod. Reg. I. autem *illam unam* habeat, cui alterum praeferendum videtur; Colbertinus quodammodo lectionem Ed. I. firmat, in quo est *unam illam.* Vocabulum *suam* explicatur iis quae statim sequuntur. Ordo verborum *illam suam* idem est, quem

Charita vocant; cetera omnia attigisse, [6]) *sed hoc solo* [7]) *sibi neminem parem. Et aliam gloriam usurpavit, cum Protogenis opus immensi laboris ac curae supra modum anxiae miraretur. Dixit enim: Omnia sibi cum illo paria esse, aut illi meliora, sed uno se praestare, quod manum de tabula* [8]) *sciret tollere, memorabili praecepto, nocere saepe nimiam diligentiam. Fuit autem non minoris simplicitatis quam artis. Melanthio de dispositione cedebat, Asclepiodoro de mensuris, hoc est, quando quid a quoque* [9]) *distare deberet.*

Scitum est [10]) *inter Protogenem et eum quod accidit. Ille Rhodo vivebat, quo cum Apelles navigavisset,*

---

infra alii loco ex omnibus codd. reddidi. Semper ita dicunt Latini; v. Cic. ad Att. I. 19. II. 21. Ad sententiam ipsam cfr. Quinctil. XII. 10. *ingenio et gratia, quam in se ipso maxime iactat, Apelles est praestantissimus.* Plutarchus vero (Demetr. 22.) et Aelianus (V. H. XII. 41.) Apellem gratiam praedicasse dicunt, quum Protogenis opus contemplaretur, qua occasione Plinius eum *manum de tabula* commendasse refert. De eodem Apellis praecepto locutus quoque est Cic. Orat. 22. §. 73. et Quinctil. X. 4. — 6) *attigisse,* ita Reg. I. Vulgo *contigisse;* sed supplendum *eos* ex *iis* quod praecessit. (Ramsh. Gr. L p 433.) — 7) *hoc solo,* ita Reg. I. II. Colbert. *Hac soli* Brot. *hoc soli* Ed. I. — 8) ita Ed. I. Vulgo: *manum ille de tabula non sciret tollere.* At pronomen *ille* abest a codd. quos ego contuli omnibus, et legendum est aut: *ille — non,* aut utrumque omittendum; nam pronomine tantum omisso, negatione autem in textu relicta, inepta oriretur sententia. 9) v. supra in *Amphion.* — 10) De hac tabula qui an-

avidus cognoscendi opera eius, fama tantum sibi cogniti, continuo officinam petit. Aberat ipse, sed tabulam amplae magnitudinis in machina aptatam picturae una custodiebat anus. [11]) *Haec foris esse Protogenem respondit,* [12]) *interrogavitque, a quo quaesitum diceret. Ab hoc, inquit Apelles, arreptoque penicillo lineam ex colore duxit summae tenuitatis per tabulam. Reverso Protogene, quae gesta erant, anus indicavit. Ferunt artificem protinus contemplata subtilitate* [13]) *dixisse: Apellem venisse, non cadere* [14]) *in alium tam absolutum opus; ipsumque alio colore tenuiorem lineam penicillo* [15]) *duxisse, abeuntemque praecepisse,* [16]) *si redisset ille ostenderet adiiceretque hunc esse quem quaereret; atque ita evenit. Revertitur enim Apelles, sed vinci erubescens, tertio colore*

---

tiquiore tempore scripserunt, collegit Böttigerus (Archaeol. Pict. I. p. 153 sqq.) Adde Quatremère de Quincy in libro: Recueil de dissertations sur differens sujets de l'antiquité, (Paris 1817.) p. 388. et Meyerum (hist. art. T. I. p. 181.) — 11) *una custodiebat anus*, ita Reg. I. Dufresn. I. Vulgo: *a. u. c.* — 12) ita iidem codd. Vulgo: *Haec Protogenem foris esse respondit.* — 13) ita Reg. I. Ed. I. Vulgo: *contemplatum subtilitatem.* — 14) vulgo scribunt: *non* enim *cadere,* quae coniunctio abest a Reg. I. Dufresn. I. — 15) Quae in edd. recentioribus hic leguntur: *lineam in illa ipsa duxisse*, summam interpretibus huius narrationis difficultatem fecisse putanda sunt. At Dufresn. I. Reg. II. Colbert. Ed. I. pro *in illa ipsa* praebent *penicillo*, Reg. I. *in illa ipsa*, sed *penicillo* verbo *illa* suprascripto. — 16) ita Reg. I. Dufresn. I. Vulgo:

lineas secuit, nullum relinquens amplius subtilitati locum. At Protogenes victum se confessus, in portum devolavit hospitem quaerens. Placuitque sic eam tabulam posteris tradi, omnium quidem sed artificum praecipuo miraculo. Consumptam eam priore incendio Caesaris domus [17]*) in Palatio audio, spectatam olim tanto spatio nihil aliud continentem, quam III. lineas* [18]*) visum effugientes, inter egregia multorum opera inani similem et eo ipso allicientem omnique opere nobiliorem.*

Apelli fuit alioqui perpetua consuetudo, nunquam tam occupatam diem agendi, ut non lineam ducendo exerceret artem: quod ab eo in proverbium venit. Idem perfecta opera proponebat [19]*) in pergula transeuntibus, atque ipse post tabulam* [20]*) latens vitia quae notarentur auscultabat vulgum diligentiorem iudicem quam se praeferens. Feruntque a sutore reprehensum quod in crepidis una pauciores intus fecisset ansas: eodem*

---

praecepisseque abeuntem. — 17) ita codd. Voss. Reg. I. Dufresn. I. Vulgo, *domus Caesaris.* — 18) „Voss. *continentem quam in lineas.* Voluit *quam III. lineas* sive *tres lineas.*" I. Fr. Gronovius. Perperam neglexit palmariam hanc emendationem Brotierius; idem quod in Vossiano codice legitur, scriptum quoque fuisse videtur in eo libro, unde Ed. I. prodiit, in qua *illineas* exstat. — 19) Idem de Phidia narrat Lucianus pro imagg. 14. T. II. p. 492 sq. Ad Apellem alludit Valer. Max. VIII. 12. ext. 3. — 20) Antea *atque post ipsam tabulam latens.* Veram lectionem restitui e codd. Reg. I. Dufresn. I. Ed. I. —

postero die, superbo emendatione [21]) *pristinae admonitionis cavillante circa crus, indignatum prospexisse, denuntiantem ne supra crepidam sutor* [22]) *iudicaret, quod et ipsum in proverbium venit. Fuit* [23]) *enim et comitas illi: propter quod gratior Alexandro Magno frequenter in officinam ventitanti (unde ut iam diximus ab alio pingi se vetuerat edicto* [24])) *sed in officina imperite multa disserenti, silentium comiter suadebat, rideri eum dicens a pueris qui colores tererent.* [25])

21) Quum in omnibus, ut videtur, codd. *super vocem* legatur, dudum quidem recte restituerunt, quod supra posuimus; melius tamen Durandus hinc *superbo ex emendatione* coniecit. — 22) Adieci *sutor*, quae vox a recentt. editt. abest, e Reg. I. Dufresn. I. Colbert. Ed. I. — 23) Omnem hunc locum ex ed. princ. restitui, cuius lectionem codd. Parisini, maxime vero Reg. I. confirmant. *Quod*, ita ed. I. et Dufresn. I. At reliqui codd. et edd. *quam;* illud comprobant similia, unde hic Cornel. Cimon 3. laudabo: *testarum suffragiis, quod illi ostracismum vocant* et Thucyd. l. 59. τρέπονται ἐπὶ τὴν Μακεδονίαν, ἐφ' ὅπερ καὶ τὸ πρότερον ἐξεπέμποντο; post *Magno* inserebatur *erat*, expunctum auctoritate Ed. 1. Reg. I. Dufresn. I. ita ut haec verba statim cum *suadebat* cohaereant; deinde pro *unde*, quod Ed. I. Reg. II. Colbert. habent, vulgo *nam* legitur; *iam* ab edd. abest; tum vulgo *sed et in.* Nostrum tuentur Ed. I. Reg. I. Dufresn. I. — *pingi se vetuerat*, ita Ed. I. codd. Voss. Reg. II. Colbert. Vulgo *se pingi vetuerat.* — 24) de hoc edicto cfr. Cicero Fam. V. 12. §. 13. Horat. Epp. II. 1. 239. Valer. Max. VIII. 11. ext. 2. Arrian. Anab. I. 16, 7. Appul. Florid. (v. infra: Lysippus) Himerius p. 287. ed. Wernsd. — 25) Plutarchus de discrimine adulatoris atque amici p. 58. D.

Tantum erat auctoritati iuris in regem, alioquin iracundum, quamquam Alexander honorem ei clarissimo perhibuit exemplo. Namque cum dilectam sibi ex pallacis suis praecipue, nomine Campaspen, [26]) *nudam pingi ob admirationem formae ab Apelle iussisset, eumque, dum paret, captum amore sensisset, dono dedit,* [27]) *magnus animo, maior imperio sui, nec minor hoc facto quam victoria aliqua. Quippe se vicit, nec torum tantum suum, sed etiam affectum donavit artifici, ne dilectae quidem respectu motus, ut quae modo regis fuisset, modo pictoris esset. Sunt qui Venerem Anadyomenen illo pictam exemplari putant.* [28])

Apelles et in aemulis benignus, [29]) *Protogeni dignationem primus Rhodi constituit. Sordebat suis ut plerumque domestica: percunctantique, quanti liceret opera effecta, parvum nescio quid dixerat: at ille*

---

tranquill. animi p. 471. F. ed Fr. Apellem haec verba non Alexandro sed Megabyzo Persae respondisse dicit. Responsum ipsum Aelianus V. H. II. 2. Zeuxidi tribuit. — 26) Hanc feminam Aelianus V. H. XII. 34. Παγκάστην vocat, unde in Luciani Imagg. 7. T. II. p. 465. pro Πακάτην ex Harduini coniectura ad hunc Plinii locum proposita Παγκάστην restituendum esse videtur. — 27) vulgo: *dono eam dedit,* ut et in Reg. II. At abest pronomen a codd. Reg. I. Dufresn. I; in cod. Colbert. post *dedit* legitur, certissimo iudicio, illud ex margine in textum venisse. — 28) Athenaeus XIII. 590. F. Anadyomenen ab Apelle Phrynes exemplari pictam tradit, quae Eleusi Posidoniorum festo nuda mare ingressa est. (V. Ilgen. loco infra laudando.) — 29) Post *benignus*, ubi antea plene interpungebatur,

quinquagenis talentis poposcit, famamque dispersit, sese emere ut pro suis venderet. Ea res concitavit Rhodios ad intelligendum artificem, nec nisi augentibus pretium cessit. Imaginem adeo similitudinis indiscretae pinxit, ut (incredibile dictu) Apion grammaticus scriptum reliquerit, quendam ex facie hominem [30]) *addivinantem (quos metoposcopos vocant) ex iis dixisse aut futurae mortis annos aut praeteritae. Non fuerat* [31]) *ei gratia in comitatu Alexandri cum Ptolemaeo: quo regnante Alexandriam vi tempestatis expulsus, subornato fraude aemulorum plano regio, invitatus ad coenam venit: indignantique Ptolemaeo, et vocatores suos ostendenti, ut diceret a quo eorum invitatus esset, arrepto carbone exstincto e foculo, imaginem in pariete delineavit, agnoscente vultum plani rege, ex inchoato protinus. Pinxit et Antigoni regis imaginem altero lumine orbam,* [32]) *prius excogitata ratione vitia condendi: obliquam namque fecit, ut quod corpori deerat, picturae potius deesse videretur: tantumque eam partem e facie ostendit, quam totam po-*

---

virgulam posuimus. — 30) *hominem*, ita Reg. I. Dufresn. I. Ed. I. Referenda est vox ad *quendam*. — 31) Quae Lucianus de hac re narravit, hic repetere nolo; v. supra. In aemulorum quos Plinius memorat numero et Antiphilum fuisse, ex nonnullis argumentis suo loco prolatis verosimile fit. — 32) Quinctil. II. 13. *Habet in pictura speciem tota facies. Apelles tamen imaginem Antigoni latere tantum altero ostendit, ut amissi oculi deformitas lateret.* Unam Antigoni imaginem apud Coos fuisse, testatur Strabo XIV. p. 657. Utrum haec an una earum fuerit, quae in-

terat ostendere. Sunt inter opera eius [33]) *exspirantium imagines. Quae autem nobilissima sit, non est facile dictu.*

Venerem exeuntem e mari Divus Augustus dicavit in delubro patris Caesaris, quae Anadyomene vocatur, [34]) *versibus Graecis tali opere, dum laudatur, victo* [35]) *sed illustrato, cuius* [36]) *inferiorem partem corruptam qui refecerit, non potuit reperiri. Verum*

---

fra memorantur, discerni nequit. — 33) Vulgo *eius et;* coniunctionem omittunt Reg. I. II. Dufresn. I. Colbert. — 34) Hanc Venerem omnes primarium Apellis opus dixerunt; v. Propert. III, 7, 11. (ed. Burm.) Descriptionem eius qualemcunque epigrammata Graeca dederunt; Antipater Sidonius in Anth. Planud. IV. 12, 178. (Append. Anth. Palat. T. II. p. 679.) et alii 179 — 182. coll. Auson. Epigr. 104. quibus de carminibus omnino legi merentur quae Ilgenius (Opusc. 1. p. 34.) attulit, ubi et p. 15. sq. disputat ad cuius formam et quo tempore Venerem Apelles pinxerit. (Adde Jacobs. in Wielandi Museo Attico T. III. p. 56.) Strabo autem XIV. p. 657. quae Plinius de Augusto retulit confirmat et nonnulla addit: *ἐν δὲ τῷ προαστείῳ τὸ Ἀσκληπιεῖόν ἐστι σφόδρα ἔνδοξον καὶ πολλῶν ἀναθημάτων μεστὸν ἱερόν, ἐν οἷς ἐστι καὶ ὁ Ἀπελλοῦ Ἀντίγονος. Ἦν δὲ καὶ ἡ ἀναδυομένη Ἀφροδίτη, ἣ νῦν ἀνάκειται τῷ θεῷ Καίσαρι ἐν Ῥώμῃ, τοῦ Σεβαστοῦ ἀναθέντος τῷ πατρὶ τὴν ἀρχηγέτιν τοῦ γένους αὐτοῦ· Φασὶ δὲ τοῖς Κῴοις ἀντὶ τῆς γραφῆς ἑκατὸν ταλάντων ἄφεσιν γενέσθαι τοῦ προσταχθέντος φόρου.* 35) Num Venus Apellea versibus Graecis victa fuit? Hinc Brotierius recte coniecisse videtur: *non victo.* — 36) *cuius,* ita rescripsi e cod. Dufresn. I. Edit. I. Antea: *Huius.* —

ipsa iniuria cessit in gloriam artificis. Consenuit haec tabula carie: aliamque pro ea Nero principatu substituit suo, Dorotheі manu. Apelles inchoaverat et[37]) *aliam Venerem Cois, superaturus etiam illam suam priorem. Invidit mors peracta parte, nec qui succederet operi ad praescripta*[38]) *lineamenta inventus est.*[39]) *Pinxit et Alexandrum Magnum fulmen tenentem*[40]) *in templo Ephesiae Dianae viginti talentis auri. Digiti eminere videntur, et fulmen extra tabulam esse. Legentes meminerint omnia ea quatuor coloribus*[41])

37) coniunctionem vulgo omissam restitui e codd. Reg. I. II. Dufresn. I. Colbert. quibus ex libris rescripsi quoque *illam suam*, inverso antea verborum ordine. — 38) Sic scripsi ex omnibus, quos modo laudavi, libris. Vulgo: *scripta*. — 39) De hac altera neque perfecta Apellis Venere loquuntur Cicero Fam. I. 9. Off. III. 2. atque ipse Plinius XXXV. 11. s. 40. — 40) Alii scriptores de hac pictura haec tradiderunt. Plutarchus (fort. Alexandri M. 2. s. 3. init.) ait: *ἔγραψε τὸν κεραυνοφόρον οὕτως ἐναργῶς καὶ κεκραμένως, ὥστε λέγειν ὅτι δυοῖν Ἀλεξάνδροιν ὁ μὲν Φιλίππου γέγονεν ἀνίκητος, ὁ δὲ Ἀπελλοῦ ἀμίμητος* Vita Alexandri M. 4. *Ἀπελλῆς γράφων τὸν κεραυνοφόρον οὐκ ἐμιμήσατο τὴν χρόαν, ἀλλὰ φαιότερον καὶ πεπινωμένον ἐποίησεν· ἦν δὲ λευκός, ὥς φασιν, ἡ δὲ λευκότης ἐπεφοίνισσεν αὐτοῦ περὶ τὸ στῆθος μάλιστα καὶ τὸ πρόσωπον.* Quid Lysippus de hac pictura iudicaverit, v. Plutarch. Is. et Os. 22. *εὖ Λύσιππος ὁ πλάστης Ἀπελλῆν ἐμέμψατο τὸν ζωγράφον, ὅτι τὴν Ἀλεξάνδρου γράφων εἰκόνα κεραυνὸν ἐνεχείρισεν, αὐτὸς δὲ λόγχην, ἧς τὴν δόξαν οὐδὲ εἷς ἀφαιρήσεται χρόνος ἀληθινὴν καὶ ἰδίαν οὖσαν.* Cfr. Meyeri Hist. Artt. T. II. p. 176 — 41) Idem iam antea dixe-

facta. Immane tabulae pretium accepit aureos mensura non numero. 42)

Pinxit et Megabyzi 43) *sacerdotis Dianae Ephesiae pompam, Clitum equo ad bellum festinantem, galeamque* 44) *poscenti armigerum porrigentem. Alexandrum et Philippum quoties pinxerit, enumerare supervacuum est. Mirantur eius Abronem* 45) *Samii et Menandrum* 46) *regem Cariae Rhodii. Item Ancaeum,* 47) *Alexandriae Gorgosthenem tragoedum, Romae Castorem et Pollucem, cum Victoria et Alexandro Magno: item belli imaginem restrictis ad terga manibus Alexandro in curru triumphante. Quas utrasque tabulas*

---

rat Plinius 7. s. 32. At Ciceronis in Brut. 18. §. 70. diversa sententia esse videtur. — 42) Verba in omnibus codd. corrupta, quae fortasse ex una Edit. I., licet et in hac menda insint, quodammodo restitui possunt. In illa editione haec leguntur: *immane pretium eius tabula in nummo aureo mensuram accepit non numero.* Quale sit immane pretium, supra dixit, ubi tamen Ed. I. *X. talentis* habet. Praepositio *in* ex absorpta litera *e (tabulae)* et principio sequentis vocis orta esse videtur, et equidem Plinium ita fere scripsisse arbitror: *immane pretium eius tabulae nummorum aureorum mensura accepit, non numero.* — 43) de Megabyzis cfr. Hesych. s. v. Μεγαβύζιοι λόγοι cum intpp. Hemsterh. ad Lucian. T. I. p. 134 sq. Perizon. ad Aelian. V. H. II. 2. et quos praeterea laudat Wyttenb. ad Plut. Opp. Mor. p. 58. D. (Anim. p. 471.) — 44) ita scripsi e cod. Voss. Antea coniunctio *que* omissa. — 45) *Ábronem* v. Welcker ad Philostr. Imagg. p. 211. — 46) *Menandri* nomen vel error Plinii, vel gravis librariorum corruptela est. — 47) de variis Ancaeis v. Nitzschii

Divus Augustus in Fori sui celeberrimis partibus [48]) *dicaverat simplicitate moderata, Divus Claudius pluris existimavit, utrisque excisa Alexandri facie,* [49]) *Divi Augusti imaginem subdere. Eiusdem arbitrantur manu esse et in Antoniae templo Herculem aversum: ut quod est difficillimum, faciem eius ostendat verius pictura quam promittat. Pinxit et heroa nudum, eaque pictura naturam ipsam provocavit.* [50])

Est et equus eius, sive fuit pictus in certamine: quod iudicium ad mutas quadrupedes provocavit ab hominibus. Namque ambitu praevalere aemulos [51]) *sentiens singulorum picturas inductis equis ostendit: Apellis tantum equo adhinnivere,* [52]) *idque et postea semper illius experimentum artis ostentatur. Fecit et Neoptolemum ex equo adversus Persas, Archelaum* [53])

---

lexicon mythol. ed. Klopfer T. I. p. 191. — 48) ita quatuor quos contuli codd. Pariss. Antea: *partibus celeberrimis.* — 49) *Alexandri facie,* ita codd. Reg. I. Dufresn. I. Ed. I. recte. Vulgo *facie Alexandri.* — 50) in codd. Reg. II. Colbert. quibus ex Gronovii excerptis Acad. et Gud. addendi sunt, pro verbis *pinxit et heroa nudum— ipsam provocavit* leguntur haec: *pinxit et Hero et Leandrum, ad quam picturam natura eum provocavit.* Alias (Amalth. III. p. 297 sqq.) utrumque locum a Plinio scriptum fuisse suspicatus sum, ita ut alter ab altero in variis codd. expulsus fuerit. — 51) ita Reg. I. Antea *aemulos praevalere.* — 52) hanc historiolam paullo aliter narrat Aelian. V. H. II. 3. qui idem Hist. An. IV. 50. Apellem in equo pingendo aliqua ratione lapsum fuisse ait, simul tamen addens, alios hunc errorem non ab Apelle sed a Nicone commissum fuisse dicere. — 53) *Archelaum,* Susis ab Alexan-

cum uxore et filia, Antigonum thoracatum cum equo incedentem. Peritiores artis praeferunt omnibus eius operibus eundem regem sedentem in equo: Dianam sacrificantium virginum choro mixtam, quibus vicisse Homeri versus videtur id ipsum describentis. Pinxit et quae pingi non possunt, tonitrua, fulgetra et fulgura, quae Bronten, Astrapen, Ceraunobolian appellant. [54])

Inventa [55]) *eius et ceteris profuere in arte. Unum imitari nemo potuit, quod absoluta opera atramento illinebat ita tenui, ut id ipsum repercussu claritates colorum excitaret, custodiretque a pulvere et sordibus, ad manum intuenti demum appareret; sed et tum ratione magna, ne claritas colorum* [56]) *aciem offenderet, veluti per lapidem specularem intuentibus e longinquo, et eadem res nimis floridis coloribus austeritatem occulte daret.*

Praeter haec opera a Plinio memorata, aliorum alii scriptores mentionem fecerunt. Melanthium in

---

dro praefectum (Arrian. Exp. Al. III. 16. 15.) cfr. Meyeri hist. art. T. II. p. 177. — 54) Ita haec verba ex uno cod. Reg. I. restitui, (qui tamen minus recte *fulgora* habet.) quum in prioribus edd. satis inconcinne legeretur: *tonitrua, fulgura fulgetraque. Bronten etc.* De interpretatione verborum nonnulla monuit Welckerus ad Philostr. p. 290. — 55) *inventa.* Unum eius inventum laudat ipse Plinius XXXV. 6 s. 25. — 56) vulgo *ne colorum claritas oculorum aciem etc.* Emendavi hunc locum e codd. Reg. 1. II. Dufresn. I. (ubi tamen per errorem *colorem*) Colbert.

pingendo Aristrato Sicyoniorum tyranno adiuvit. (Polemo apud Plutarch. Arat. 13.) Smyrnaeis in odeo Gratiam Apelles pinxerat (Pausan. IX. 35, 2.) eumque Fortunam quoque pinxisse, ex Stobaei Sermone CCLI. p. 833. 22. ed. Gesneri. Francof. 1581. comperimus: Ἀπελλῆς ὁ ζωγράφος ἐρωτηθεὶς διὰ τί τὴν Τύχην καθημένην ἔγραψεν· οὐχ ἕστηκε γάρ, εἶπε. Fortasse de eodem opere agit Libanius Ecphras.

Picturam porro suppeditat Petronius loco corrupto atque a nonnullis infeliciter tentato (84. p. 410.) *In pinacothecam perveni, vario picturarum genere mirabilem. Nam et Zeuxidis manus vidi nondum vetustatis iniuria victas, et Protogenis rudimenta cum ipsius Naturae veritate certantia non sine quodam horrore tractavi. Jam vero Apellis quem Graeci* Monocnemon *dicunt etiam adoravi.* Ita Scaliger sine ulla veritatis specie locum correxerat; rectius Gonsalesius *Monochromon* emendavit, quod et Dati (Vite dei pittori p. 33.) et Böttigerus (Archaeol. Pict. I. p. 171.) calculo suo approbarunt. Agmen claudat Solinus 27. *Basilisci reliquias amplo Sestertio Pergameni comparaverunt; ut aedem Apellis manu insignem nec araneae intexerent neque alites involarent, cadaver eius reticulo aureo suspensum ibidem locarunt.* Adiiciam hic nonnulla apophthegmata Apelli tributa, ne quid eorum quae veteres scriptores de artifice tradiderunt, hic desideretur. Clemens Alexandr. Paedag. II. 12. Ἀπελλῆς ὁ ζωγράφος, θεασάμενός τινα τῶν μαθητῶν Ἑλένην ὀνόματι πολύχρυσον γράψαντα, ὦ μειράκιον, εἶπεν, μὴ δυνάμενος γράψαι καλὴν, πλουσίαν πεποίηκας. Plut. de educat. lib. 9.

T. VII. p. 25. ed Hutt. ζωγράφος ἄθλιος Ἀπελλῇ δείξας εἰκόνα, ταύτην ἔφη νῦν γέγραφα· ὁ δέ, καὶ ἢν μὴ λέγῃς, εἶπεν, οἶδα ὅτι ταχὺ γέγραπται· θαυμάζω δέ, πῶς οὐχὶ τοιαύτας πλείους γέγραφας. Eum cum Laide, quam forte conspicatus et eius pulchritudine captus domum secum deduxerat, consuevisse, tradit Athenaeus XIII. 588. D. de quo loco v. Jacobs. in Wielandi Museo Attico T. III. p. 177.

II. Scalptor incertae aetatis (Bracci tab. 27.) cuius nomen Bracci et Visconti minus recte legerunt.

III. Caelator (τορευτὴς) bis memoratus ab Athenaeo XI. p. 488. C. D.

APHRODISIUS.

Sculptor seculi post Ch. n. primi, Trallibus natus. Plin. XXXVI. 5. s. 4. *Palatinas domos Caesarum replevere probatissimis signis Craterus cum Pythodoro — et singularis Aphrodisius Trallianus.*

APOLLODORUS.

I. Pictor qui artem a se non parum perfectam Zeuxidi tradidit. Plin. XXXV. 9, s. 36. *In luminibus artis primus refulsit Apollodorus Atheniensis nonagesima tertia Olympiade. Hic primus species exprimere instituit, primusque gloriam penicillo iure contulit. Eius est sacerdos adorans et Aiax fulmine incensus, qui Pergami spectatur hodie: neque ante eum tabula ullius ostenditur, quae teneat oculos. Ab hoc artis fores apertas Zeuxis Heracleotes intravit. — — In eum Apollodorus supra scriptus* [ita Reg. I. Dufr.

I. Ed. I. Vulgo *dictus*] *versus fecit, artem ipsi ablatam Zeuxin ferre secum.* Non sine aliqua probabilitatis specie Welckerus imaginem, quam Philostratus II. 13. descripsit, ex Apollodori Aiace expressam fuisse putat. Alia quae partim Plinii verba illustrant et merita Apollodori comprobant, partim artificem arrogantiae arguunt, tradiderunt Plutarchus de gloria Atheniensium 2. *Ἀπολλόδωρος ὁ ζωγράφος, ἀνθρώπων πρῶτος ἐξευρὼν φθορὰν καὶ ἀπόχρωσιν σκιᾶς, Ἀθηναῖος ἦν, οὗ τοῖς ἔργοις ἐπιγέγραπται· Μωμήσεταί τις μᾶλλον ἢ μιμήσεται* (quem locum illustravit Facius in excerptis p. 175.) et Hesychius: *σκιά, σκίασις, ἐπιφάνεια τοῦ χρώματος ἀντίμορφος. Σκιαγραφίαν, τὴν σκηνογραφίαν οὕτω λέγουσι· ἐλέγετο δέ τις καὶ Ἀπολλόδωρος ζωγράφος σκιογράφος ἀντὶ τοῦ σκηνογράφος· οὗτος δὲ καὶ πῖλον ἐφόρει ὀρθόν, καὶ ἐν τοῖς ἔργοις ἐπιγράφεται· Μωμήσεται κ. τ. λ.* Ceterum Plinius l. l. hunc versum non ab Apollodoro sed a Zeuxide picturae cuidam suae subscriptum fuisse narrat. Denique Scholiastes ad Aristoph. Plut. 385. p. 113. ed. Hemst. Lips. Apollodoro picturam tribuit hancce: *γραφὴ μέντοι ἐστὶν οἱ Ἡρακλεῖδαι καὶ Ἀλκμήνη καὶ Ἡρακλέους θυγάτηρ Ἀθηναίους ἱκετεύοντες, Εὐρυσθέα δὲ δεδίοτες, ἥτις Παμφίλου οὐκ ἔστιν ὥς φασιν ἀλλ' Ἀπολλοδώρου.* De *Pamphilo* v. infra. Attamen alium quoque pictorem eandem historiam pingere potuisse, nemo negabit, praesertim quum secum reputarit, Apollodorum Atheniensem cives suos suae laudis et in picturis spectandae et in scena audiendae cupidissimos hac ratione non leviter sibi devinxisse.

II. Statuarius incertae patriae quem circa Olymp. CXIV. floruisse ex duobus Plinii locis inter se comparatis facile colligere possumus. Memorat eum XXXIV. 8. s. 19. *Silanion Apollodorum fudit fictorem et ipsum sed inter cunctos diligentissimum artis et inimicum sui iudicem, crebro perfecta signa frangentem, dum satiari cupiditate artis non quit, et ideo insanum cognominatum. Hoc in eo expressit, nec hominem ex aere fecit, sed Iracundiam.* De eodem Apollodoro Plinius paullo infra loqui videtur: *Nunc percensebo eos, qui eiusdem generis opera fecerunt, ut Apollodorus, Androbulus, Asclepiodorus, Aleuas philosophos* — Silanionem autem Ol. CXIV. vixisse, Plinius supra dixerat, ita ut de aevo Apollodori dubitari nequeat. Thierschius quidem (Epoch. Art. Gr. III. Adnot. p. 91.) mihi nondum persuadere potuit, Silanionem illam statuam post mortem demum Apollodori fecisse, et quod huius sententiae argumentum reperire sibi visus est Vir Doctissimus in consensu nominum Apollodori, de quo nunc agitur, et eius qui pater Cleomenis in basi Veneris Mediceae dicitur, nimium isti argumento tribuit, quum Apollodori nomen apud Graecos adeo frequenter inveniatur, ut hinc nihil colligere liceat. (V. Heynium ad fragmm. Apollodori p. 456. sqq.)

III. Architectus primi post Ch. n. seculi qui Traiano forum, odeum et gymnasium Romae exstruxerat, ab Hadriano autem propter verba nonnulla paullo liberiora primum in exsilium missus, postea morte multatus. Xiphilinus LXIX. p. 1152. C. ed. Reim.

APOLLODOTUS.

Scalptor incertae aetatis; ap. Bracci T. I. tab. 23. 24.

APOLLONIDES.

Scalptor qui post Pyrgotelem et Alexandrum M. vixit. Memoratur a Plinio XXXVII. 1. s. 4. *Post Pyrgotelem Apollonides et Cronius in gloria fuere, quique Divi Augusti imaginem similem expressit, qua postea principes signabant, Dioscurides.*

APOLLONIUS.

I. Sculptor fragmento Herculis nobilissimus, quod in museo Vaticano Romae servatur. Filius fuit Nestoris, Atheniensis, ut ex inscriptione ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ ΝΕΣΤΟΡΟΣ ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΕΠΟΙΕΙ apparet.

II. Statuarius Atheniensis, filius Archiae, notus ex inscriptione (ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ ΑΡΧΙΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΕΠΩΗΣΕ) quam capiti aereo iuvenis herois Herculani invento insculpsit V. Museum Herculan. Vol. I. tab. 45. Winckelm. Opp. II. p. 55 sqq. et p. 203.

III. Sculptor Satyri iuvenis, qui nunc in villa Egremontiana Pethworthi in Anglia asservatur, ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ ΕΠΟΙΕΙ. (V. Odofr. Müllerus in Amalthea Vol. III. p. 252.)

IV. Scalptor gemmae ap. Bracci T. I. tab. 25.

V. Sculptor, qui cum fratre Taurisco opus nobile fecit, quod olim Asinii Pollionis fuit, nunc vero nomine tauri Farnesini notum est, licet Viri artis pe-

riti plurima quae iam in eo conspiciuntur originis multo serioris esse contendant. Fratrem eius Tauriscum fuisse ex Plinio XXXVI. 5. s. 4 discimus: *Zethus et Amphion ac Dirce et taurus vinculumque ex eodem lapide Rhodo advecta opera Apollonii et Taurisci. Parentum ii certamen de se fecere: Menecratem videri professi, sed esse naturalem Artemidorum.* Trallibus autem Tauriscum natum esse Plinius paullo supra dixerat.

ARCESILAUS.

I. Statuarius incertae patriae, Aristodici filius, quem Dianam carmine Simonidis ornatam fecisse Diogenes Laertius IV. Arcesilaus §. 45. tradidit. Floruisse igitur eum probabile est circa Ol. LXX. a. Ch. n. 500.

II. Pictor Parius commemoratus a Plinio XXXV. 11. §. 38. qui, sententia eorum notata, qui picturam encausticam ab Aristide inventam fuisse dicerent, ita pergit: *Sed aliquanto vetustiores encaustae picturae exstitere, ut Polygnoti et Nicanoris et Arcesilai Pariorum.* Hic Arcesilaus facile Polygnoti aequalis (Ol. LXXX.) dici poterit, praesertim quum Plinium propriam vocis *aliquanto* significationem tenuisse statuimus. Fortasse etiam arbitrari possumus, eum circa Ol. XCVII. floruisse, si quidem Arcesilaus aliquis Apellis praeceptor ab Athen. X. p. 420. D. dicitur. Sed nomen quum adeo pervulgatum sit, alius quoque huius nominis pictor Apellem docere potuit, si in universum his Athenaei verbis tantum fidei tribuere velis.

III. Pictor illo posterior, Tisicratis, quem Lysippus artem statuariam docuerat (Plin. XXXIV. 8. s. 19), filius non ignobilis (id. XXXV. 11. s. 40.) Tisicrates quum Ol. CXX. floreret, eius filius fere Olympiadi CXXVIII. vindicandus erit. Vix dubito, quin ei pictura tribuenda sit, qua Leosthenem Ol CXIV. 2. a. Chr. n. 323. in bello Lamiaco occisum eiusque filios nobilitavit. (Paus. I. 1, 3.) Picturam postea in Piraeeo positam post Leosthenis demum mortem factam fuisse inde credibile est, quod et filii una cum patre in ea picti fuerant.

IV. Sculptor incertae patriae primi ante Chr. n. seculi. Plinius XXXV. 12. s. 45. *M. Varro magnificat Arcesilaum, Lucii Lentuli familiarem, cuius proplasmata pluris venire solita artificibus ipsis quam aliorum opera. Ab hoc factam Venerem Genetricem in Foro Caesaris et priusquam absolveretur, festinatione dedicandi positam. Eidem* (vulgo *Deinde etiam:* adverbium abest a Reg. I. II. Dufresn. I. Colbert.) *a Lucullo H. S. LX. signum Felicitatis locatum, cui mors utriusque inviderit. Octavio, equiti Romano cratera facere volenti exemplar a gypso factum talento.* Nonnulla de eo adiicit Plinius XXXVI. 5. s. 4. *Arcesilaum quoque magnificat Varro, cuius se marmoream habuisse leaenam tradit, aligerosque ludentes cum ea Cupidines quorum alii religatam tenerent, alii e cornu cogerent bibere, alii calcearent soccis, omnes ex uno lapide,* et praeterea ad eundem artificem cum Harduino verba Plinii, quae de Archesita paullo supra leguntur, refero.

ARCHELAUS.

Sculptor Prienensis, qui opus anaglyphum, apotheosin Homeri fecit. Fuit filius Apollonii, unde per errorem factum est, ut nonnulli Apollonio neque Archelao opus illud anaglyphum tribuerent. (Vid. Winckelm. Opp. T. VI. P. I. p. 70. et ind. Siebelis s. v.)

ARCHESITA.

Sculptor, ut quidem nunc eius nomen fertur, incertae patriae atque aetatis, memoratus a Plinio XXXVI. 5. s. 4. *Pollio Asinius, ut fuit acris vehementiae, sic quoque spectari monumenta sua voluit. In iis sunt Centauri Nymphas gerentes, Archesitae* etc. Sed neminem non insolita nominis forma offensum iri arbitror, quae potius patriae indicandae inservit, ut Ἀβδηρίτης, Χεῤῥονησίτης. Deinde in codd. Reg. II. Dufresn. I. Colbert. *Archesilaus* legitur, quod licet et ipsum falsum esse appareat, tamen ad veram scripturam reperiendam nos juvat. Cod. Reg. I. vulgatam retinet, unde Harduinus minima literarum mutatione veram lectionem feliciter eruisse mihi videtur. Is enim *Arcesilae* vel *Arcesilai* scribi vult, comparato eo artifice quem s. h. v. quartum memoravimus, neque ea mutatio offendere poterit, quum *Arcesilae* ea sit genitivi forma, quae saepe reperitur.

ARDICES.

Plinius XXXV. 3. s. 5. *Primi exercuere (picturam linearem) Ardices Corinthius et Telephanes Sicyonius*

sine ullo etiamnum hi colore, jam tamen spargentes lineas intus. De huius pictoris nomine acutissime disseruit Böttigerus Archaeol. Pict. I. p. 138. seq.

AREGON.

Ad ostia Alphei in Elide templum est Dianae Alpheoniae sive Alphiusiae quod Aregon et Cleanthes picturis suis ornarunt: *ἐν δὲ τῷ τῆς Ἀλφειονίας ἱερῷ γραφαὶ Κλεάνθους τε καὶ Ἀρήγοντος, ἀνδρῶν Κορινθίων, τοῦ μὲν Τροίας ἅλωσις καὶ Ἀθηνᾶς γοναί, τοῦ δὲ Ἄρτεμις ἀναφερομένη ἐπὶ γρυπὸς σφόδρα εὐδοκίμου.* Strabo VIII. p. 345. C. Vix dubito quin Cleanthes a Strabone memoratus idem sit, quem Plinius XXXV. 3. s. 5. picturam linearem invenisse tradit, ita ut Aregon quoque, si vere vixit, antiquissimo tempore vixerit.

ARELLIUS.

Pictor, cuius mentionem iniicit Plinius XXXV. 10. s. 37. *Fuit et Arellius Romae celeber paullo ante Divum Augustum, nisi flagitio insigni corrupisset artem, semper alicuius feminae amore flagrans et ob id Deas pingens sed dilectarum imagine. Itaque in pictura eius scorta numerabantur.*

ARETHON v. ALPHEUS.

ARGELIUS.

Architectus incertae aetatis et patriae de quo Vitruv. VII. Praef. 12. *Argelius* (volumen édidit) *de symmetriis Corinthiis et Ionico Trallibus Aesculapio quod etiam ipse sua manu dicitur fecisse.*

ARGIUS.

Statuarius, quem Polycletus artem docuerat. Plin. XXXIV. 8. 19. Thierschius autem in Epoch. III. adnot. p. 80. Plinium erroris arguit, monens verba *Polycletus discipulos habuit Argium Asopodorum* etc. explicanda esse de Asopodoro Argivo, neque infitior, hanc coniecturam mihi valde probari.

ARIDICUS.

Pictor et discipulus Arcesilai, a quo et Apelles in arte pingendi eruditus est. Athen. X. 420. D.

ARIMNA.

Pictor incertae patriae Apelle vetustior, memoratus a Varrone L. L. VIII. p. 129. ed. Bip. *Pictores Apelles, Protogenes, sic alii artifices egregii non reprehendendi, quod consuetudinem Myconis, Dioris, Arimnae et aliorum superiorum non sunt secuti?* Sed hic locus menda laborat, qua eum in transcursu liberare iuvat. Omnes enim et quae proxime antecedunt et sequuntur periodi hunc habent finem, ut doceant, esse seriorum et poetarum et artificum et omnino omnium, qui rem aliquam tractent, malam priorum consuetudinem deserere. Jam Varro variis hoc interrogationibus probat, et verba, de quibus nos nunc loquimur, eadem ratione intelligenda esse nemo negabit, qui ea accurate perlegit et cum reliquis comparavit. Hinc vero luce clarius patet, particulam *non* post *egregii* collocatam esse delendam, quae si retineatur, contrarius in loco sensus inest, quam quem Varro

voluit. Tum vero signum interrogationis ponendum. Dubito praeterea de vocula *sic*, valde mihi suspecta; praestat certe *sicut* legere.

ARISTANDER.

Statuarius in insula Paro natus qui tempore pugnae ad Aegospotamos (Ol. XCIII. 4.) floruit, et tripodem aeneum, quem Lacedaemonii de victoriae manubiis Amyclis dedicarunt, fecit. *Ἀρίςανδρος ὁ Πάριος — — γυναῖκα ἐποίησεν, ἔχουσαν λύραν, Σπάρτην δῆθεν. — — οὗτοι δὲ οἱ τρίποδες μεγέθει τε ὑπὲρ τοὺς ἄλλους εἰσί, καὶ ἀπὸ τῆς νίκης τῆς ἐν Αἰγοσποταμοῖς ἀνετέθησαν.* Paus. III. 18, 5.

ARISTARETE.

Femina pingendi arte clara, incertae aetatis et patriae, filia et discipula Nearchi, pinxit Aesculapium. Plin. XXXV. 11. s. 40.

ARISTEAS.

Sculptor, qui cum Papia duos centauros fecit. Uterque Aphrodisiensis incertae est aetatis. Nomina operi suo insculpserunt. Cfr. Foggini Mus. Capitol. T. IV. tab. 13. 14. Winckelmannus (Opp. T. VI. P. I. p. 300 sq.) artifices Hadriani tempore vixisse putat.

ARISTIDES.

I. Statuarius Polycleti discipulus, qui quadrigis bigisque factis celebratus est (Plin. XXXIV. 8, 19.); et fortasse Meyerus (hist. Art. T. I. p. 88.) recte suspi-

catus est, eundem Aristidem carcerum Olympicorum formam emendasse. (Pausan. VI. 20. 7. Idem sensit Böckhius in Inscrippt. Gr. T. I. p. 39.)

II. Pictor celeberrimus, Apellis aequalis ita tamen ut eum paullo praecessisse videatur, Thebis natus, filius Aristodemi, frater et discipulus Nicomachi (de his omnibus v. s. v. *Nicomachus*) et Euxenidae. Plinius XXXV. 10, 36. *Euxenidas hac aetate* (qua Parrhasius et Timanthes vixerunt) *docuit Aristidem praeclarum artificem, Eupompus Pamphilum Apellis praeceptorem.* Nonnullas autem eius picturas et omnino indolem Aristidis descripsit infra his verbis: *Aequalis Apellis fuit Aristides Thebanus. Is enim primus animum pinxit et sensus hominis expressit, quae vocant Graeci ἤθη, item perturbationes, durior paullo in coloribus. Huius pictura* (vulgo hic inseritur *est*, quod in nullo codice Paris. legitur) *oppido capto ad matris morientis ex vulnere mammam adrepens infans: intelligiturque sentire mater et timere, ne emortuo lacte sanguinem lambat, quam tabulam Alexander Magnus transtulerat Pellam in patriam suam. Idem pinxit proelium cum Persis, centum homines tabula ea complexus, pactusque in singulos mnas decem a tyranno Elatensium Mnasone. Pinxit et currentes quadrigas et supplicantem paene cum voce, et venatores cum captura et Leontionem pictorem, et anapauomenen propter fratris amorem, item Liberum patrem* *)

*) De hac tabula iam supra c. 4. s. 8. locutus est Plinius: *Tabulis externis auctoritatem Romae publice fecit primus*

et Ariadnen spectatos Romae in aede Cereris; tragoedum puerum (ita Ed. I. vulgo *tr. et p.*) *in Apollinis, cuius tabulae gratia interiit pictoris inscitia, cui tergendam eam mandaverat M. Junius praetor sub die ludorum Apollinarium. Spectata est et in aede Fidei in Capitolio imago senis cum lyra puerum docentis. Pinxit et aegrum sine fine laudatum. Qua arte* (sic omnes codd. Vulgo *Qua in arte*) *tantum valuit, ut Attalus rex unam tabulam eius centum talentis emisse tradatur.*

His a Plinio memoratis picturis adiicienda est Iris

---

omnium L. Mummius, cui cognomen Achaici victoria dedit. Namque cum in praeda vendenda rex Attalus denarium sex millium emisset tabulam Aristidae Liberum patrem pretio, miratus suspicatusque aliquid in ea virtutis, quod ipse nesciret, revocavit tabulam Attalo multum querente et in Cereris delubro posuit quam primam arbitror picturam externam Romae publicatam. Ita hunc locum maxime e cod. Vossiano, quo tamen rectius nonnulla dat Reg. I. eximio acumine restituit J. Fr. Gronovius. Quodsi vero pro *denarium sex millium* (quod e $X\overline{VI}$. egregie exsculpsit) legere mavult *denarium sexcentorum millium*, ut alium eiusdem Plinii locum (VII. 38. *Aristidis pictoris Thebani unam tabulam centum talentis rex Attalus licitatus est*) cum nostro congruum faciat, errat vir Summus; ibi enim Plinius non de pictura Liberi patris, sed de ea locutus esse videtur, quam et ipso hoc loco a nobis cum maxime illustrato statim infra memorat. Si enim pretium illud ingens pro Libero patre Attalus solvisset, Plinius, qui iam supra id retulerat, ibi quoque hoc

eiusdem artificis, quae licet haud perfecta esset, tamen omnium maxima admiratione fuit. Plin. c. 11. s. 40.

Excelluisse porro dicitur Aristides una cum Pausania atque Nicophane meretricibus pingendis, quamobrem hi tres πορνογράφοι dicebantur (Polemo apud Athen. XIII. p. 567. B.), atque nonnulli ceris pingendi artem eum invenisse tradiderant. Plin. XXXV. 11. s. 39. *Ceris pingere ac picturam inurere qui primus excogitaverit, non constat. Quidam Aristidis inventum putant, postea consummatum a Praxitele. Sed aliquanto vetustiores encaustae* (ita cod. Voss. Vulgo *encausticae*) *picturae extitere, ut Polygnoti et Nicano-*

---

memorare haud omisisset. Iam igitur rem ita explicandam puto, unam tabulam Attalum centum talentis emisse et Pergamum transportasse, alteram autem denariorum sex millibus emere quidem voluisse, sed Mummio reddere coactum fuisse. Ne forte autem putemus, centum illa talenta e Plinio eiicienda et illic cum Gronovio *tabulam talento* legendum esse, prohibent ea, quae infra s. v. *Nicias* de Ptolemaeo dicuntur. Ceterum de eadem pictura Bacchi insignis est locus apud Strabonem VIII. p. 381. *Φησὶ γὰρ* (Πολύβιος) *ἰδεῖν παρὼν ἐῤῥιμμένους πίνακας ἐπ' ἐδάφους, πεττεύοντας δὲ τοὺς ϛρατιώτας ἐπὶ τούτων. Ὀνομάζει δ' αὐτῶν Ἀριϛείδου γραφὴν τοῦ Διονύσου ἐφ' οὗ τινες εἰρῆσθαί φασι τό,* Οὐδὲν *πρὸς τὸν Διόνυσον· καὶ τὸν* Ἡ*ρακλέα τὸν καταπονούμενον τῷ τῆς Δηϊανείρας χιτῶνι.* (Num et haec pictura Aristidae fuit?) *τοῦτον μὲν οὖν οὐχ ἑωράκαμεν ἡμεῖς, τὸν δὲ Διόνυσον ἀνακείμενον ἐν τῷ Δημητρείῳ τῷ ἐν* Ῥ*ώμῃ κάλλιστον ἔργον ἑωρῶμεν.* Ἐ*μπρησθέντος δὲ τοῦ νέω, συνηφανίσθη καὶ ἡ γραφὴ νεωστί.*

ris et Arcesilai Pariorum. Eius filii et discipuli fuerunt Niceros et Aristo, discipulus autem praeterea Aristides III.

III. Pictor eius, de quo modo scripsimus, discipulus. Plin. XXXV. 10. s. 36. fin.

ARISTO.

I. Statuarius incertae aetatis in Laconia natus, frater Telestae, quocum Jovis colossum a Clitoriis propter multas urbes expugnatas Delphis positum, fecit. Epigramma statuae inscriptum, sed mutilum servavit Pausan. V. 23, 6.

II. Argenti caelator et statuarius incertae aetatis Mytilenes natus. (Plin. XXXIII. 12, 55.) De eodem valent verba eiusdem Plin. XXXIV. 8, 19. *Praeter ea sunt aequalitate celebrati artifices sed nullis operum suorum praecipui, Aristo — Calliades — — argenti caelatores.*

III. Pictor filius Aristidis celeberrimi et frater Nicerotis. Eius est Satyrus cum scypho coronatus, et artem ipse docuit Antoridem atque Euphranorem. (Plin. XXXV. 10. s. 36.) Ita enim Plinii verba intelligenda sunt; v. stemma artificum ab eo illic commemoratorum s. v. ANTORIDES.)

ARISTOBULUS.

Pictor, quem pictoribus non ignobilibus adnumerat Plinius XXXV. 11. s. 40. qui eum Syrum appellat, quod de Syro, una de insulis Cycladibus intelligo.

ARISTOCLES.

I. II. Huius nominis duo statuarii fuerunt, probe a se discernendi. Uterque autem notatu dignissimus est, quum ab iis artificum genus derivandum esse videatur, in quo ars quasi hereditaria facta a patre ad filium transiit, atque ipsi omnino aetatibus variorum artificum definiendis inservire possint. Prioris Aristoclis patrem non novimus, Cydoniatem autem eum appellat Pausanias V. 25, 6. et floruisse dicit antequam Zancle Messene vocaretur, quod Ol. LXXI. 3. factum fuisse constat. (Bentl. resp. ad Boyle p. 28. sqq ed. Batavae. Larcher ad Herod. T. V. p. 257. Clinton Fasti Hellen. ad ann. 476. Jacobs in Amalthea Praef. T. III. p. VIII.) Aristoclis autem filius Cleoetas nominatur, (Pausan. VI. 20. 7.) neque iusta causa nobis est, cur hunc Aristoclem a Cydoniata diversum esse statuamus, et quum porro Cleoetae quoque filius et discipulus Aristocles Sicyonius appelletur (Paus. V. 24, 1.) merito colligere possum, alterum Aristoclem alterius nepotem fuisse, ita ut observatio notissima, nomina apud Graecos hac ratione in gentibus servata fuisse, nunc denuo confirmetur. Sicyonii autem Aristoclis frater fuit Canachus vetustior, cuius gloriae ille non multum cessit (Paus. VI. 9, 1.), et quin Aristocles, qui cum Canacho et Agelada Musas fecit (v. epigr. s. v. *Ageladas*) posterior iste fuerit, nemo puto dubitabit. Huius autem Aristoclis discipulus Synnoon fuit, Synnoontis porro filius et discipulus Ptolichus Aegineta (Paus. l. l.)

Septimus autem aetate discipulus Aristoclis fuit Pantias, discipulus Sostrati (Paus. VI. 3, 4.) et iam Ptolichi discipulum Sostratum ipsum fuisse certum est, quum ordo artificum continuus sit. Stemma enim eorum hoc est:

I.	Aristocles Cydoniates	Ol.	54.
II.	Cleoetas - -	-	61.
III.	Aristocles - Canachus	-	68.
IV.	Synnoon - -	-	75.
V.	Ptolichus - -	-	82.
VI.	Sostratus - -	-	89.
VII.	Pantias - -	-	96.

Septimus vero Aristoclis discipulus Pantias dicitur ex consueta Graecis Romanisque numerandi ratione, ut et initium et finis alicuius seriei una numerentur. Jam disquirendum nobis est, quo tempore uterque Aristocles vixerit, et quum infra visuri simus Canachum maiorem usque ad Ol. LXVIII. floruisse, Aristoclis minoris aetas in eandem Olympiadem incidit, unde huius avum LIV. circiter Olympiade artem statuariam exercuisse probabile est, ita ut Bupali atque Athenidis fere aequalis esset. Locupletissime de omnibus istis aliisque artificibus, qui vel genere, vel disciplina cum iis coniuncti fuisse traduntur, Thierschius in Epoch. III. Adnot. p. 81. sqq. disputavit, unde alia me profecisse gratus profiteor, in alia vero ante ipsius dissertationem conspectam pariter incidisse non exiguo mihi gaudio est. Egit quoque de iis Böckhius ad Inscriptt. Tom. I. p. 39. qui tamen nonnulla, quae

litem conficiunt, non satis animadvertit. Ac primum quidem valde erravit Vir Egregius, quod et l. l. et p. 237. Cleoetam Phidiae adiutorem fuisse putat, de qua re apud antiquos scriptores nec vola nec vestigium. An forte Boeckhius de *Colota* tum cogitabat? Non magis recte prioris Aristoclis aetatem in Ol. LXX. vel LXXV. collocavit, nimis premens verba Pausaniae (V. 25, 6.) qui tantum id notare vult, eum *ante* mutationem nominis Zancles vixisse, et p. 237. minorem Aristoclem Ol. 95, 3. superstitem fuisse pronuntiavit. Quomodo autem tum Pausanias (V. 25, 6.) maiorem Aristoclem vetustissimis artificibus accensere potuit? Nobis quidem nunc de una re disserendum est, quae sententiae nostrae adversari videtur. Prior enim Aristocles a Pausania (V. 26, 5.) Cydoniates dicitur, altero vero loco (VI. 3, 4.), ubi Pantiam septima post eum aetate vixisse dicit, Sicyonium eum appellat; minor enim Aristocles quo minus ibi intelligatur prohibet omnis temporum ratio, qua Sostratus et Pantias nimis deprimerentur. At haec controversia ita tollenda est, ut in insula Cydonia Aristoclem quidem natum fuisse, Sicyone vero artem exercuisse statuamus in qua urbe eum vixisse inde patet, quod proximi, qui ab eo descenderunt, artifices omnes Sicyonii fuerunt. Longum est exempla cumulare, viris quocunque vitae genere claris modo hanc, modo illam patriam tribui (v. O. Mülleri Doriens. T. I. p. 122, 3.), cuius rei, si de artificibus agitur, duplex causa esse potuit, una quod vir patria relicta alius urbis civitatem nanciscebatur (v. Paus.

VI. 4, 7.) altera, quod non a patria, sed ab ea urbe ubi potissimum artem exercuit et scholam aperuit, cognomen accepit (v. supra *Apelles*). Quod iam ad eorum opera attinet, maior Aristocles sive Cydoniates Herculem cum equestri Amazone pro baltheo pugnantem fecit, quod opus Evagoras Zanclaeus Olympiae dedicavit. (Paus. V. 25, 6.) Minoris Aristoclis memoratur et Musa (v. supra) et Jupiter cum Ganymede Olympiae ab Gnothi Thessalo dedicatus (V. 24, 1.)

III. Sculptor in inscriptione ap. Böckh. 23. memoratus: * * *ἀνέθηκεν, Ἀριστοκλῆς ἐποίησεν,* qui lapis quum in Attica inventus fuerit, Böckhius inde collegit, de neutro eorum, quos supra commemoravimus, cogitandum esse. Nonne tamen Aristocles minor, multa gloria usus monumentum aliquod facere potuit, quod civis Atticus in patria sua dedicavit?

IV. Sculptor, qui in inscript. ap. Böckh. 150. basin statuae Minervae Virginis, quam Phidias finxerat, Ol. 95, 3. refecisse traditur (p. 237.)

V. Pictor, filius et discipulus Nicomachi. Plin. XXXV. 10. s. 36. Floruit circa Ol. CXIII.

ARISTOCLIDES.

Pictor incertae patriae atque aetatis, de quo Plin. XXXV. 11. s. 40. *Hactenus indicatis in genere utroque proceribus, non silebuntur et primis proximi: Aristoclides qui pinxit aedem Apollinis* etc.

ARISTODEMUS.

I. Pictor incertae patriae, pater et praeceptor Nicomachi, quem cum suo loco circa Ol. CV. floruisse demonstraverimus vel certe demonstrare conati fuerimus, Aristodemus circiter Ol. XCVII. vixerit necesse est. Plin. XXXV. 10, 36.

II. Statuarius incertae patriae, qui post Alexandri M. tempus floruit. Plin. XXXIV. 8, 19. *Aristodemus* (fecit) *et luctatores, bigasque cum auriga, philosophos, anus, Seleucum regem. Habet gratiam suam huius quoque Doryphoros.* Seleucus autem Ol. CXVII. 1. ante Chr. n. 312. rex Babyloniae factus est. Tatianus in orat. adv. Graec. 55. p. 120. ed. Worth. Aesopi statuam ab Aristodemo factam memorat, quae utrum nostro artifici an alii idem nomen gerenti tribuenda sit, nescimus.

III. Pictor in Caria natus, aequalis Fl. Philostrati maioris, cuius hospes fuit, et qui se ei multum obstrictum esse ait. Scripsit opus de claris pictoribus, de urbibus, in quibus pingendi ars potissimum floruerit et de regibus, qui arti faverint. Philostr. Prooem. Icon. p. 4. ed. Jacobs.

ARISTODOTUS.

Statuarius fecit statuam Mystidis meretricis. Tatianus adv. Graecos 52. p. 114. ed. Worth.

ARISTOGITO.

Statuarius Thebanus, quem una cum Hypatodoro donaria Argivorum Delphis posita fecisse dicit Pau-

san. X. 10, 2. *πλησίον δὲ — καὶ ἄλλα ἀναθήματά ἐςιν Ἀργείων, οἱ ἡγέμονες τῶν ἐς Θήβας ὁμοῦ Πολυνείκει στρατευσάντων, Ἄδραστός τε Ταλαοῦ, καὶ Τυδεὺς Οἰνέως καὶ οἱ ἀπογόνοι Προίτου, καὶ Καπανεὺς Ἱππόνου, καὶ Ἐτέοκλος ὁ Ἴφιος, Πολυνείκης τε καὶ Ἱππομέδων ἀδελφῆς Ἀδράστου παῖς· Ἀμφιαράου δὲ καὶ ἅρμα ἐγγὺς πεποίηται, καὶ ἐφεστηκὼς Βάτων ἐπὶ τῷ ἅρματι, ἡνίοχός τε τῶν ἵππων, καὶ τῷ Ἀμφιαράῳ καὶ ἄλλως προσήκων κατὰ οἰκειότητα· τελευταῖος δὲ Ἀλιθέρσης ἐστὶν αὐτῶν· οὗτοι μὲν δὴ Ὑπατοδώρου καὶ Ἀριστογείτονός εἰσιν ἔργα, καὶ ἐποίησαν σφᾶς, ὡς αὐτοὶ Ἀργεῖοι λέγουσιν, ἀπὸ τῆς νίκης, ἥντινα ἐν Οἰνόῃ τῇ Ἀργείᾳ αὐτοί τε καὶ Ἀθηναίων ἐπίκουροι Λακεδαιμονίους ἐνίκησαν.* Thebanum utrumque fuisse ex inscriptione Graeca (ap. Böckh. 25.) compertum habemus. Valde memorabile est, in ista quoque inscriptione eorum nomina iungi: statua, cui titulus subscriptus fuerat, civi Orchomeniaco, qui in ludo aliquo gymnico (Böckhius Pythia recte coniecit, cum lapis Delphis inventus sit) victoriam reportasse videtur, erecta erat. Tempus autem, quo et Aristogito et Hypatodorus vixerint, variis ex argumentis certo definiri potest. Et primum quidem Plinius XXXIV. 8, 19. Hypatodorum cum Polycle, Cephisodoto et Leochare Ol. CII. vixisse tradit. Deinde Böckhius p. 42. praeclare vidit, inscriptionem Delphicam non post Ol. 104. 1. incisam esse, quo nimirum anno Orchomenos a Thebanis penitus diruta est (Fr. Aug. Wolfius ad Demosth. Lept. p. 328. Böckhius Oecon. civ. Att. II. p. 371) Tertium est, quod Pausanias l. c. addit de clade, qua Argivi et Athenienses

Lacedaemonios apud Oenoen Argivam affecerint. Nihil quidem certi de hac pugna scimus, tempus tamen, quo fere commissa fuerit, coniectando assequi possumus. Celeberrimum enim est foedus, quod auctore Alcibiade Athenienses cum Argivis Ol. XC. 1. icerunt. (v. Clintonem ad h. a. p. 68.) Inde ortum est bellum inter utrosque foederis participes, quod ab Argivis maximam partem adverso Marte gerebatur. (v. Poppo Prolegg. ad Thucyd. Vol. II. p. 210 seq.) Attamen probabile est, eos quoque parvam aliquam victoriam reportasse, certe ut ipsi dicebant, (*ὡς αὐτοὶ Ἀργεῖοι λέγουσι.* Pausan.) et ex praeda illas statuas faciendas curaverunt, hac potissimum mente, ut cladium, quibus ipsi afflicti fuerant, memoriam quadamtenus delerent. Hinc Aristogito et Hypatodorus ab Ol. XC. usque ad CII. artem exercuisse putandi sunt. Ceterum Böckhius h. l. quod dixit, Hypatodorum Aristogitonis patrem fuisse, vereor ne hoc paucis probaturus sit. Argumenta nobis certe valde infirma sunt visa.

ARISTOLAUS.

Pictor, filius et discipulus Pausiae. Plin. XXXV. 11, 40. *Pausiae filius et discipulus Aristolaus e severissimis pictoribus fuit, cuius sunt Epaminondas, Pericles, Medea, Virtus, Theseus, imago Atticae plebis, boum immolatio.* Floruit igitur circa Ol. CXVIII.

ARISTOMACHUS.

Statuarius Strymone natus incertae aetatis, fecit

primus meretricum statuas, in quas Antipatri epigramma legitur in Anthol. Palat. VI. 268.

ARISTOMEDES.

Statuarius Thebanus, qui una cum Socrate cive suo Cybeles statuam in templo prope Thebas sito, fecit, quam Pindarus dedicaverat. (Paus. IX. 25, 3.) Pindarus ab Ol. LXV. 3. — LXXXV. 2. vixit; quem si in medio fere vitae decursu statuam illam dedicasse statuimus, illi statuarii Ol. LXXV. floruerunt.

ARISTOMEDON.

Statuarius Argivus, qui paullo ante primam et secundam a Persis in Graeciam susceptam expeditionem floruit. Fecit enim donaria, quae Phocenses propter magnam de Thessalis tunc reportatam victoriam Delphis dedicarunt. (Paus. X. 1, 4.) Cfr. quae supra de hoc bello s. v. *Ageladas* disserui. Optime omnia conspirant, et Aristomedon septuagesima quarta circiter Olympiade floruit.

ARISTOMENES.

„Pictor Thasius a Vitruvio III. prooem. §. 2. refertur inter illos pictores, qui nullam assecuti sunt memoriam, quod non ab industria artisve sollertia sed a felicitate fuerunt deserti.“ Junius.

ARISTONIDAS.

I. *Aristonidas artifex cum exprimere vellet Athamantis furorem Learcho filio praecipitato residentem*

poenitentia, aes ferrumque miscuit, ut rubigine eius per nitorem aeris relucente, exprimeretur verecundiae rubor. Hoc signum exstat Thebis hodierno die. Plin. XXXIV. 14, 40.

II. In pictoribus non ignobilibus ponit Plinius XXXV. 11, 40. Aristonidem, cuius filius et discipulus Mnasitimus fuit.

ARISTONOUS.

„Statuarius incertae aetatis, in insula Aegina natus, Jovis a Metapontinis Olympiae dedicati auctor. (Paus. V. 22, 4.)" Mülleri Aegin. p. 107.

ARISTOPHON.

Pictor, quem Plinius (XXXV. 11. s. 40.) iis accenset qui *primis proximi* putandi sint. Filius fuit et discipulus Aglaophontis, frater Polygnoti et, ut saltem valde probabile est, Thasi natus, atque pater Aglaophontis minoris (v. supra sub v. *Aglaophon.*) Quum autem frater Polygnoti esset, circa Ol. LXXX. floruisse credendus est (cfr. l. l. et *Polygnotum*); quae enim de pictura qua Alcibiadem pinxisse dicitur, a Plutarcho referuntur, iam supra refutare conatus sum. Plinius l. c. haec eius opera memorat: *Aristophon (laudatus) Ancaeo vulnerato ab apro, cum socia doloris Astypale, numerosaque tabula, in qua sunt Priamus, Helena, Credulitas, Ulysses, Deiphobus, Dolus;* et Plutarch. de audiend. poet. 3. p. 69. T. VII. ed. Hutt. ait: τὸν Ἀριστοφῶντος Φιλοκτήτην καὶ τὴν Σιλανίωνος Ἰοκάστην ὁμοίως φθίνουσι καὶ ἀποθνήσκουσι πεποιημένους ὁρῶντες χαίρομεν.

ARTEMIDORUS.

Pictor incertae patriae qui primo post Chr. n. seculo exeunte vixit. Martial. V. 40.

Pinxisti Venerem, colis Artemidore Minervam,
Et miraris opus displicuisse tuum?

Hoc epigramma ita capiendum esse puto, ut Martialis Artemidorum vituperet, quod Venerem quidem pinxerit, at ei non illam gratiam dederit, quam reliqui pictores ei dent, sed potius aliquid severi Minervae proprii ei tribuerit. Quid Larcherus (mémoire sur Venus p. 250) dixerit, nescio.

ARTEMO.

1. Pictor incertae patriae et aetatis, de quo Plinius XXXV. 11. 40. haec dicit: *Artemon Danaen, mirantibus eam praedonibus: reginam Stratonicen, Herculem et Deianiram, nobilissimas autem, quae sunt in Octaviae operibus: Herculem ab Oeta monte Doridos exuta mortalitate consensu Deorum in coelum euntem: Laomedontis circa Herculem et Neptunum memoriam.* Quodsi sciremus quam reginam Stratonicen ex multis, quae huius nominis in historia regnorum Asiaticorum post Alexandri M. mortem conditorum a scriptoribus veteribus memorantur, Artemo pinxisset, de eius aetate iudicium ferre liceret. Nota est prae ceteris omnibus ea Stratonice, quam Demetrii et Philae filiam Seleucus duxerat, sed postea Antiocho filio perdite eam amanti in matrimonium dedit. Plutarch. Demetr. fin. Valer. Max. V. 7. ext. 1.

Hanc si pinxit Artemo, circa annum 280. a. Chr. florere potuit. Sed omnia incerta manebunt.

II. Sculptor primi post Chr. n. seculi, qui cum Pythodoro Palatinas domos Caesarum probatissimis signis replevit. Plin. XXXVI. 5, 4.

ASCARUS.

Statuarius Thebanus, qui Jovem a Thessalis Olympiae dedicatum fecerat. (Paus. V. 24, 1.) Quae de hoc artifice mihi dicenda videbantur, dixi s. v. *Ageladas*, ubi eum a Canacho Sicyonio institutum fuisse cum Heynio conieci. Floruit autem, quum Darius et Xerxes Graeciae bellum inferrent.

ASCLEPIODORUS.

I. Pictor Atheniensis, quem cum Euphranore et Nicia comparare haud dubitat Plutarchus de gloria Athen. 2. Aequalis fuit Apelli, *qui eum in symmetria mirabatur eique de mensuris cedebat, hoc est, quanto quid a quoque distare deberet. Huic Mnason Tyrannus pro duodecim diis dedit in singulos μνᾶς tricenas.* Plin. XXXV. 10, 36. Eundem de arte sua libros composuisse recte coniicere videtur Meyerus (Hist. art. T. II. p. 172. sq.)

II. „Statuarius, quem recenset Plinius XXXIV. 8, 19. inter eos artifices, qui optime expresserunt philosophos." Junius.

ASOPODORUS.

Statuarius, probabiliter Argis natus (Thierschius

Epoch. III. adnot. p. 80.) quem Polycletus discipulum habuit. Plin. XXXIV. 8, 19.

ASPASIUS.

Scalptor gemmae ap. Bracci I. p. 142.

ASSALECTUS.

Sculptor qui Romae post Chr. n. artem exercuisse videtur. Superest eius statua Aesculapii, cui nomen artificis inscriptum est. Valde mediocre opus dicit Winckelmannus (Opp. T. V. p. 289.)

ASSTEAS.

Pictor vasculorum Graecorum ap. Millin peintures de vases T. I. tab. 10. Millingen peintures de vases de div. collect. tab. 46. et ancient unedited monuments T. I. tab. 27. p. 69. De scriptura huius nominis per duplex sigma v. Osanni syllogen Inscript. T. I. p. 96. Böckh. Corp. Inscr. T. I. p. 42. et Rose in prolegg. ad inscript. Gr. vetustiss. p. XLVI.

ASTERIO.

Statuarius, filius Aeschyli cuiusdam, auctor statuae Chaereae, pugilis Sicyonii. (Pausan, VI. 3, 1.) Et patria et aetas artificis incerta.

ATHENAEUS.

Statuarius, quem probatum artificem Olymp. CXV. fuisse dicit Plinius XXXIV. 8, 19. Sed v. infra *Polycles.*

ATHENIO.

I. Pictor Maroneae natus, quem Nicia aetate paullo minorem fuisse haud iniuria suspicari videtur Meyerus Histor. artt. Gr. in ind. artificum s. h. v. De eo agit Plinius XXXV. 11. s. 40. *Niciae comparatur et aliquanto praefertur Athenion Maronites Glaucionis Corinthii discipulus, austerior colore et in austeritate iucundior, ut in ipsa pictura eruditio eluceat. Pinxit in templo Eleusine Phylarchum et Athenis frequentiam, quam vocavere syngenicon: item Achillem virginis habitu occultatum, Ulysse deprehendente. Et in una tabula insigni, quaque maxime inclaruit, agasonem cum equo. Quod nisi in iuventa obiisset, nemo ei compararetur.* In hoc loco cod. Voss. Dufresn. I. Ed. I. pro *et in una tabula insigni* exhibent *et in una tabula ut signa*, unde J. Fr. Gronovius felicissime excogitavit *VI. signa*, ut iam reliqua sic mihi constituenda videantur: *item Achillem* — *et* (i. e. et quidem) *in una tabula sex signa, quaque* etc.

II. Scalptor camei ap. Winckelm. monum. ined. nr. 10. Bracci T. I. p. 160.

ATHENIS v. ANTHERMUS.

ATHENOCLES.

Caelator clarus, incertae patriae et aetatis. Athen. XI 781. E. (ubi v. VV. DD.) et 782. B. T. IV. p. 212 et 215. ed. Schw.

ATHENODORUS.

I. Statuarius Arcas Clitore natus, (Paus. X. 9, 4.) quem inter Polycleti discipulos recenset Plinius XXXIV. 8, 19. ubi aliquanto post nobiles feminas felicissime expressisse dicitur. Paus. l. l. eius statuas Apollinem et Jovem memorat, quas Lacedaemonii Delphis dedicarunt. Athenodori autem praeceptor Polycletus maior fuit; nam Dameas vel frater Athenodori vel certe ei aequalis (Pausan. l. c.) Lysandrum fecit, et omnes statuae illic commemoratae pugnam ad Aegospotamos spectant, ita ut et Dameas et Athenodorus circa Ol. XCIII. floruerint, aequali ergo ipsis Polycleto *minore*.

II. Sculptor, qui cum Agesandro et Polydoro Laocoontem fecit; v. sub *Agesander*.

ATTALUS.

Statuarius Atheniensis incertae aetatis qui signum Apollinis Lycii in eius templo fecit. Paus. II. 19, 3. Cur Intpp. Winckelm. T. III. p. 281. illam statuam antiquissimam dixerint, divinare haud potui.

ATTILIANUS.

Sculptor Aphrodisiensis incertae aetatis cuius nomen Musae ab ipso confectae in museo Florentino subscriptum est. (Intpp. Winckelm. T. VI. P. II. p. 341.) *Opus Attiliani Aphrodisienis* (sic.) Bracci memorie T. II. p. 263. *Atticianus* legit.

AULANIUS EVANDER.

Sculptor et caelator Athenis natus, qui tempore Octaviani Augusti vixit. Ad locum enim Horatii Sat. I. 3, 80. *Comminxit lectum potus, mensave catillum Evandri manibus detritum* Scholiastes Cruquianus haec adnotavit: *Evandrum ferunt caelatorem ac plasten Atheniensem a M. Antonio Alexandriam perductum, et inde inter captivos Romam venisse ibique multa admiratione digna finxisse.* Totum vero artificis nomen prodit Plinius XXXVI. 5, 4. *Timothei manu Diana Romae est in Palatio Apollinis delubro, cui signo caput reposuit Aulanius Evander.* Eos autem qui in loco Horatiano de Evandro antiquissimo rege Italiae cogitarant, bene refutavit Thiersch. Epoch. III. adnot. p. 98.

AULUS.

I. Scalptor clarissimus, qui tempore Augusti floruisse putatur. Bracci T. I. p. 164.

II. Scalptor filius Alexandri, atque ab illo priori loco commemorato qui nunquam patris nomen suo addidit, sine dubio diversus. ΑΥΛΟC ΑΛΕΞΑ ΕΠ. V. Bracci T. I. p. 40. et Osanni inscr. T. I. p. 198. Eius frater *Quintus;* v. infra.

AUTOBULUS.

Pictor aetatis et patriae incertae, discipulus Olympiadis, quae femina artem pingendi exercuit. Plin. XXXV. 11. s. 40.

AXEOCHUS.

Scalptor incertae aetatis. Bracci T. I. p. 226.

B.

BATHYCLES.

Artifex celeberrimus, qui simulacro Apollinis Amyclaei thronum fecit, de quo v. Paus. III. 18, 6. sq. Natum eum fuisse Magnesiae ad Maeandrum primus Heynius (Antiquar. Aufs. I. p. 108.) acutissime inde collegit, quod in eodem illo templo Amyclaeo statuam Dianae Leucophrynes dedicavit, sub quo nomine Dea Magnesiae colebatur. Quod cum a nemine impugnatum sciam, multae dubitationes de eo motae sunt, quo tempore Bathycles vixerit. Aliis enim eum ante Solonis mortem (Ol. 55, 2) floruisse statuentibus (Winckelm. Opp. T. VI. P. I. p. 7. sq. Böttiger Andeutungen p. 51. Meyer hist. Artt. I. p. 17. II. p. 23.) Thierschius (Epochen II. adn. p. 53 sq.) cui quodammodo iam Heynius l. l. p. 113. sq. praeierat, pro Ol. XXIX. pugnat, qua fere Magnesia per Cimmerios expugnata sit, unde explicari possit, cur Lacedaemonii, qui Croeso regnante opera sacra per discipulos Dipoeni et Scyllidis facienda curare potuissent, thronum illum Bathycli peregrino fabricandum commiserint. Confirmare hanc sententiam studet explicatione verborum Pausaniae: *ὅτου δὲ οὗτος ὁ Βαθυκλῆς μαθητὴς ἐγεγόνει, ἢ τὸν θρόνον ἐφ' ὅτου βασιλεύοντος Λακεδαιμονίων ἐποίησε, τάδε μὲν παρίημι*, in quae nonnulla infert, quae in iis vere non leguntur. Rectius enim Thierschio illa explicuit Siebelisius, ne-

que videmus, qui factum sit, ut ne unus quidem scriptorum veterum summam illam Bathyclis aetatem (Ol. 29.) verbo memorarit. Huc accedit, quod Vossius in epp. myth. II. p. 188. argumentis ex mythologia petitis demonstravit, Bathyclem Croesi demum aetate florere potuisse, cui Vir doctissimus Francogallus Quatremère de Quincy in Jove Olympico p. 200. et Welckerus in Zeitschrift für Geschichte der alten Kunst I. p. 283. assenserunt, ita ut nobis hoc unum probandum restet, artifices Magnesiae natos, plures enim cum Bathycle Spartam venerant (Paus. §. 8.), illud opus facere potuisse. Terra Cariensium, in qua urbs Magnesia quoque sita fuit, vel a Croeso vel ab Alyatte eius patre Lydorum imperio addita fuerat (Clinton Fasti Hellen. p. 273.), et quum reges Lydorum artium amore excellerent, familiam artificum, cuius caput Croesi tempore Bathycles haberi potest, Magnesiae vixisse valde est probabile. Regno autem Lydico a Cyro Ol. LVIII. 3. ante Ch. n. 546. deleto, multi incolae urbes quas in Asia minore hucusque habitaverant, reliquerunt, partim in Italiam et Galliam partim in Graeciam confugientes. Hoc et multos Magnetes imperium Persarum detrectantes fecisse, nemo negabit; et cur hi in Peloponnesum potissimum se contulerint, non amplius ambiguum erit, si memineris, Croesum Spartanis valde favisse. (Herodot. I. 69. coll. Pausan. III. 10, 10. c. adnot. Siebelisii p. 28.) A veritate igitur non multum me aberraturum esse puto, si Bathyclem Ol. LX. Spartae artem exercuisse contendo, neque frustra haec me

disseruisse dicam, si iis iudicium Vossii quodammodo confirmasse videbor. Historiola autem de Bathyclis poculo, quae errorum supra notatorum praecipuus fons habendus est, ad Magnetem nostrum non pertinet. Ille enim Arcas fuit, neque poculum caelavisse sed modo hereditate reliquisse dicitur (Athenaeus XI. p. 211. T. IV. ed. Schw.), et permirum est, Heynium, qui hanc utriusque viri diversitatem bene perspexerat (l. l. p. 112. adde Facii Excerpta e Plutarcho p 29 sq.) de Magnetis aetate rectiora non statuisse.

BATRACHUS.

Architectus et sculptor, qui cum Sauro a Plinio XXXVI. 5. s. 4. commemoratur: *Nec Sauram atque Batrachum obliterari convenit, qui fecere templa Octaviae porticibus inclusa, natione ipsi Lacones. Quidam et opibus praepotentes fuisse eos putant ac sua impensa construxisse inscriptionem sperantes. Qua negata, hoc tamen alio modo usurpasse. Sunt certe* (hanc vocem cod. Reg. I. egregie inserit) *etiamnunc in columnarum spiris inscalpta nominum eorum argumento* (sic bene Reg I. Dufr. I. Vulgo *argumenta*) *lacerta atque rana.* Cum exstructio templorum a porticibus Octaviae inclusorum iis tribuatur, Meyerus ad Winckelm. T. VI. P. II. p. 281. Pompeii Magni aetate eos vixisse recte contendit. Illa enim opera ab Octaviano anno ante Ch. n. 33. aedificata sunt (v. Amaltheae T. III. p. 296.) Nunc quoque fragmentum unius illarum columnarum superstes esse vulgo dicitur (v. Winckelm. Opp. T. I. p. 379. sqq. T. II. p. 585.) Sed et Winckelmannus

ipse (Praef. ad Opp. T. III. p. VIII.) et Fernow ad eundem T. I. p. 461. recentioris originis illud fragmentum esse affirmant. Ceterum de verbis Plinii conferendus est Thierschius in Epoch. art. Gr. III. Adnot. p. 96. sq.

BATTO.

Statuarius incertae patriae et aetatis, quem Plinius XXXIV. 8. s. 19. Apollinem et Junonem, qui fuerunt Romae in Concordiae templo, et paullo infra athletas, armatos, venatores sacrificantesque fecisse refert. Utroque loco optimi codd. Pariss. *Batton* exhibent, cum alii *Baton* praestent.

BEDAS.

Statuarius, filius et discipulus Lysippi, frater Laippi sive potius Daippi *adorantem* fecit (Plin. XXXIV. 8. s. 19.), ad cuius exemplum auctore Viscontio et Böttigero (Amalth. I. Praef. p. VII.) iuvenis adorans Berolinensis expressus est. Dubitatur vero, Bedasne Byzantius, quem Vitruvius (III. Praef. §. 2.) iis artificibus accenset, qui nullam assecuti sint memoriam, quod non ab industria neque artis sollertia sed a felicitate fuerint deserti, idem sit, quem statuam adorantis fecisse Plinius tradit.

BIO.

Duo huius nominis sculptores erant, quorum alterum *Milesium* ex Polemone, alterum *Clazomenium* vel *Chium* ex Hippocrate memorat. Diog. Laert. IV. 58.

BISITALUS.

Scalptor gemmae apud Bracci T. I. p. 232.

BOETHUS.

Statuarius et argenti caelator Carthagine natus (Pausan. V. 17, 1.), qui proinde ante excidium huius urbis floruit. Certiora de eius aetate non constant. Auro caelando eum excelluisse Plinius XXXIII. 12. s. 55. narrat, cuius verba, quum de Acragante ageremus, emendavimus; hydriam ab eo factam praeclaro opere et grandi pondere Cicero Verr. IV. 14. memorat, quibus scriptoribus, si tanti est, tertius addatur Pseudo-Virgilius in Culice 66. Licet autem illa peritia praecelleret, tamen statuariam quoque artem exercuit, et si ex iis quae veteres scriptores de eo tradiderunt colligere aliquid licet, maxime pueris fingendis operam navasse videtur. Pausanias enim l. l. eum puerulum nudum inauratum in templo Junonis Olympiae sese vidisse dicit, et Plinius XXXIV. 8. s. 19. ait: *Boethi quamquam argento melioris infans eximie anserem strangulat;* cuius infantis plures imagines exstare putant.

Aesculapii statua a Boetho facta commemoratur in duobus epigrammatis Nicomedis qui signum dedicaverat, quae primus Falconerius in Inscr. Athl. Rom. 1668. Sponius in Miscellan. Erud. antiq. p. 131. sqq. postque alios Brunckius in Anal. T. II. p. 384. et Jacobsius in Append. Anthol. Palat T. II. p. 777 sq. ediderunt. Utriusque epigrammatis quae huc faciunt verba sunt haec:

Τὰν παιδὸς καλλίσταν εἰκὼ τάνδε θεοῖο,
Παιᾶνος κούρου ματρὸς ἀπ' ἀρτιτόκου,
δαιδάλλων μερόπεσσιν ἐμήσαο, σεῖο, Βοηθέ,
εὐπαλάμου σοφίης μνᾶμα καὶ ἐσσομένοις.
θῆκε δ' ὁμοῦ νούσων τε κακῶν ζωάγρια Νικο-
μήδης, καὶ χειρῶν δεῖγμα παλαιγενέων.

et

Οἷον ἐμαιώσαντο νέον τόκον Εἰλήθυιαι
ἐκ Φλεγύου κούρης Φοίβῳ ἀκερσεκόμῃ,
τοῖόν τοι Παιὰν Ἀσκληπιὲ σεῖο Βοηθὸς
χειρὸς ἄγαλμ' ἀγαθῆς τεῦξεν ἑαῖς πραπίσιν.

Incertum est, utrum Boethus Carthaginiensis an alius quispiam sit intelligendus; hoc unum notandum restat, ex duabus vocibus in utroque poematio lectis σεῖο Βοηθός novum finxisse artificem *Sioboethum*, ut ipsum Falconerium l. l. p. 153. Braccium T. II. p. 273. quos recte refutarunt Bimard de la Bastie obss. ad novum thesaur. Murat. Suppl. collectore Sebastiano Donato Vol. I. p. 500. et Gorius in Inscr. Antiq. I. p. 271. Addatur Heynius in „artis opp. ex epigrr." p. 84. sqq. (Commentatt. Soc. Gotting. Vol. X.)

BOISCUS.

Statuarius incertae aetatis et patriae, qui statuam Myrtidis meretricis fecit. Tatian. adv. Graec. 52. p. 113. ed. Worth. ubi Gesnerus Βοηθός legendum suspicatur.

BRIETES.

Pictor, cuius filius et primo discipulus Pausias

Sicyonius fuit. (Plin. XXXV. 11. s. 40.) Fuit igitur aequalis Pamphili, qui et Apellem et Pausiam docuit.

BRYAXIS.

Statuarius et sculptor Atheniensis (Clem. Alexandr. Protr. p. 31. D. fin) Scopae quidem aequalis fuit, ita tamen, ut illo serius natus esset. Quodsi enim de eius aetate quaerimus, duorum potissimum ratio habenda est. Ac primum quidem Seleucum aere fudit (Plin. XXXIV. 8. s. 19.), qui quum nullus alius nisi Syriae rex esse possit, post Alexandri M. mortem artificem nostrum vixisse sumamus oportet, atque ut certum aliquem annum ponamus, anno 312. ante Ch. n. quo Seleucus cum Ptolemaeo Demetrium vicerunt, imaginem illam factam esse statuimus. Idem vero Scopae, Timothei et Leocharis socius in Mausoleo celeberrimo aedificando fuit (Plin. XXXVI. 5. s. 4. Vitruv. VII. Praef. §. 13.), quod quum anno 352. (Ol. CVII. 1.) inchoatum esse sciamus (Amalthea T. III. p. 286.), quadraginta anni prodeunt, quibus artem suam Bryaxis exercuit, ita ut fere anno 372. natus, a 312. senex sexagenarius esset. Nihil in hac computatione inest, quod a verosimilitudine abhorreat, et nunc ad reliqua artificis nostri opera enarranda transeamus. Memorantur Plinio XXXIV. 7. s. 18. quinque eius colossi deorum qui Rhodi spectabantur, eidemque scriptori Bryaxidis Aesculapius (XXXIV. 8. s. 19.) cui Hygiea adstitit (Pausan. I. 40, 5.) et Liber Pater Cnidi (XXXVI. 5.) Tatianus adv. Graec. 54. p. 117. ed. Worth. statuae Pasiphaes mentionem

iniicit. Dubito autem an Cedreno, qui ut illius temporis scriptores de arte eiusque historia omnino nihil scivit, fides haberi queat, qui egregium Apollinis simulacrum manu Bryaxidis factum Antiochiae stetisse sed Juliani imperatoris tempore igni coelesti tactum combustumque fuisse refert. (ed. Venet. p. 242. B.) Quanta cum peritia in artem incubuerit, hinc patet quod quondam dubitarunt nonnulli, statuae Jovis et Apollinis utrum ipsi an Phidiae tribuendae sint. (Clem. Alexandr. Protr. p. 30. C.)

Quae autem Clemens Alexandrinus l. l. p 31. D. de alio Bryaxide narrat qui iussu Sesostridis regis Aegypti statuam Osiridis fecerit, quis haec ficta esse non videat.

BULARCHUS.

Pictor antiquissimus, cuius aetas certius definiri potest. Plinius enim, qui solus nomen servavit (XXXV. 8. s. 34.) haec de eo scripsit: *In confesso est, Bularchi pictoris tabulam, in qua erat Magnetum proelium, a Candaule rege Lydiae Heraclidarum novissimo, qui et Myrsilus vocitatus est, repensam auro? Tanta iam dignatio picturae erat. Id circa aetatem Romuli acciderit necesse est: duo enim de vicesima Olympiade interiit Candaules, aut ut quidem tradunt eodem anno quo Romulus:* coll. VII. 38. De tempore quo Candaules mortuus et Gyges regnum adeptus sit, accuratissime ut solet egit Clintonus in Append. ad Fast. Hellen. p. 271. sq. et ista narratio novo eique gravissimo argumento est, Asiam minorem antiquissimo

iam tempore artibus excultam fuisse, quum in Graecia et literae et artes tenue tantum incrementum cepissent.

BUPALUS.

I. Sculptor et architectus in insula Chio natus, Anthermi seu potius Archenei filius et frater Athenidis, de quibus quae s. v. *Anthermus* disputavi, hic in lectorum memoriam revocare liceat. Omnibus nota sunt, quae de gravi inter Bupalum et Hipponactem inimicitia veteres scriptores retulerunt, memorata quoque ab Callimacho fragm. 90. p. 460. ed. Ern., cuius causam alii in matrimonio quod Hipponax cum filia Bupali inire voluit recusato, alii in statua a Bupalo Hipponactis irridendi causa facta quaesiverunt. (Welckeri fragmenta Hipponactis p. 12. sq.) Photius vero in bibliotheca ex Ptolemaeo Hephaestione p. 248. ed. Höschel. de Bupalo haec tradit: Ἀρχέλαος ὁ Κύπριος Στησιχόρου φησὶ τοῦ ποιητοῦ Ἑλένην Ἱμεραίαν ἐρωμένην γενέσθαι Μικύθου θυγατέρα, ἀποστᾶσαν δὲ Στησιχόρου καὶ πρὸς Βούπαλον πορευθεῖσαν· ἀμυνόμενον τῆς ὑπεροψίας τὸν ποιητὴν γράψαι· Ἑλένη ἑκοῦσα ἀπῆρε, quae verba tamen nil nisi errorem aut commentum Archelai continere puto. Iste enim ex Helena Lacedaemonia puellam Himeraeam fecit, et praeterea temporum rationem haud ita valde curasse videtur. Nimirum Stesichorus octoginta quinque annos natus Ol. LVI. 4. ante Ch. n. 553. obiit. (Clintoni fasti Hellen. ad h. a.) Bupalus autem qui Hipponactis aequalis fuit, non solum Ol. LVIII. sed etiam LXIV. vixit, quum

Hipponax Dario etiam rege floruisse dicatur (Proclus ad calc. Hephaest. p. 380. ed. Gaisf.), atque ineptum foret credere, unam puellam et ab Stesichoro qui anno 553. summa senectute obiit et a Bupalo, qui anno 520. etiam artem exercuit, amatam fuisse. Grandaeva certe fuisset ista puellula. Multo satius est dicere, Archelaum confudisse Stesichorum cum Hipponacte, quod iam Junius suspicatus est, qui tamen illi narrationi iusto plus tribuere videtur, quae ex mea quidem sententia ab Archelao hoc tantum consilio ficta est, ut nonnullos viros literis artibusve claros secum coniungere posset, parum diligens, utrum bene an secus fieret. Praeter illam statuam qua Hipponactem ridentium circulis proposuerat, partim Plinius l. l. plura Bupali Athenidisque opera recenset, partim Pausanias Bupali simulacra memorat IV. 30, 4. *Βούπαλος δὲ ναούς τε οἰκοδομήσασθαι καὶ ζῶα ἀνὴρ ἀγαθὸς πλάσαι, Σμυρναίοις ἄγαλμα ἐργαζόμενος Τύχης πρῶτος ἐποίησεν ὧν ἴσμεν πόλον τε ἔχουσαν ἐπὶ τῇ κεφαλῇ, καὶ τῇ ἑτέρᾳ χειρὶ τὸ καλούμενον Ἀμαλθείας κέρας ὑπὸ Ἑλλήνων.* IX. 35, 2. *Σμυρναίοις — ἐν τῷ ἱερῷ τῶν Νεμέσεων ὑπὲρ τῶν ἀγαλμάτων χρυσοῦ Χάριτες ἀνάκεινται, τέχνη Βουπάλου. — — Περγαμηνοῖς δὲ ὡσαύτως ἐν τῷ Ἀττάλου θαλάμῳ, Βουπάλου καὶ αὗται. — — καὶ ταῦτα μέν ἐστιν ὁμοίως ἅπαντα ἐν ἐσθῆτι.* Quae de Junone Samia, opere Lysippi et Bupali dixit Cedrenus p. 274, 10. ed. Regiae, verbo tetigisse sufficiet.

II. Sculptor illo multis annis recentior, qui fecit Venerem nudam inflexis genibus sedentem, inscriptis

in basi verbis: ΒΟΥΠΑΛΟΣ ΕΠΟΙΕΙ. V. Museo Pio-Clement. I. tab. 10.

BYZES.

Sculptor vel statuarius Naxius qui circa Ol. L. vixit et tegulis inventis maxime inclaruit. Neque tamen hanc ob causam eum huic libello insererem, nisi et ex Pausania V. 10, 2. (cuius loci verum sensum nuper demum aperuit Siebelisius in progr. „pauca exempla proposita sunt errorum, quibus adhuc veterum artificum historia laborat. Budissae. 1823." et postea ad l. l.) sciremus, eum statuas quoque (ἀγάλματα) proli Latonae (γένει Λητοῦς) fecisse. Ipse patrem cognominem habuit. (Cfr. Siebelis ad Pausan. V. 4, 4. et quos laudat.)

C.

CALAMIS.

Statuarius et argenti caelator nobilissimus, qui ubi natus fuerit artemque exercuerit, scriptores veteres non tradiderunt. Quod autem ad aetatem qua floruerit attinet, ea a Phidiae tempore haud multum abesse videtur. Et illud quidem eius opus, quod ultimum fuisse verosimile est, Apollo Alexicacus fuit, qui pesti Athenis grassanti finem fecit. Pausanias certe (l. 3, 2.) haec scripsit: ὃν δὲ καλοῦσιν Ἀλεξίκακον, Κάλαμις ἐποίησε. τὸ δὲ ὄνομα τῷ θεῷ γενέσθαι λέγουσιν ὅτι τὴν λοιμώδη σφίσι νόσον ὁμοῦ τῷ Πελοποννησίῳ πολέμῳ πιέζουσαν κατὰ μάντευμα ἔπαυσεν ἐκ Δελφῶν. Morbus autem ille pestifer Ol. LXXXVII. 3. ante Ch. n. 429. desiit, quo igitur tempore Calamis adhuc vixit. Particeps idem fuit operis celeberrimi, quod Onatas iussu Dinomenis in memoriam victoriae Olympicae ab Hierone patre reportatae faciendum curavit, qui Ol. LXXVIII. 2. ante Ch. n. 467. supremum diem obiit. Quodsi iam sumere licet, utrumque artificem in monumento illo faciendo operam anno ante Ch. n. 465. collocasse, triginta sex anni oriuntur, quos Calamidi vindicare tuto possumus, ita tamen ut iam aliquot annis ante celeber fuerit, quia Onatas eum adiutorem sibi esse permisit. Meyerus ad Winckelmannum T. VI. P. II. p. 122. Calamidem in Olympiadem LXXV. reiicere vult, quia Pausanias (V. 25, 2.)

eum pueros fecisse dixerit, quos Agrigentini urbe Motya devicta Olympiam dicaverant. Et negare quidem nolo, hanc Agrigentinorum victoriam de urbe a Phoenicibus Carthaginiensibusque habitata (Thucyd. VI. 2.) eodem tempore evenisse, quo Siculi duce Gelone Carthaginienses ad Himeram fuderunt. (Olymp. LXXV. 1. ante Ch. n. 480.) Attamen huic argumento nihil fere ponderis tribuendum esse videtur, quia tempus victoriae neque certo scimus, nec si sciremus, statim inde sequeretur ut eodem anno, quo Motya victa est, Calamis signa illa fecisset. Aliud opus, unde ad aevum Calamidis accuratius definiendum aliquid lucrari possemus, veteres scriptores non commemorarunt; statuam enim Ammonis, quam Pindarus poeta lyricus Thebis dedicavit, hic quidem non curamus, cum Pindarus iam Ol. LXXXV. 2. ante Ch. n. 439. sit mortuus. (Clintoni fasti Hellen. ad h. a.)

Et nunc ad opera, quae a Calamide facta scimus, indicanda transeamus, indicia deinde veterum scriptorum de ipso artifice addituri. Hic quoque rursus ab illo *Apolline* Alexicaco initium faciamus, quem Junius in Catal. p. 42. et Harduinus ad Plin. H. N. XXXVI. 4. s. 5. eundem esse putant, de quo Plinius l. l. ait: *In hortis Servilianis reperio laudatos Calamidis Apollinem illius caelatoris* etc. refutante Thierschio (Epoch. II. Adnot. p. 44.) qui recte monet, neque Junium neque Harduinum temporum rationem satis attendisse, quum statuam aetate Plinii Romae fuisse dicerent, quam Pausanias Athenis ipse vidit. Praeterea aliud argumentum accedit, quod Thierschii

opinionem confirmat, si vel maxime concedere vellemus, statuam Roma Athenas retro remissam fuisse. Illud enim opus Calamidis, quod Plinius memorat, marmoreum fuit; quod in statuam a Pausania visam non cadere videtur, quippe quae sub dio staret (*πρὸ τοῦ νέω*) et religioni suam originem deberet. Pleraeque vero imagines sacrae illo quidem tempore e metallo conficiebantur. His autem duabus *Apollinis* statuis *tertia* accedit humanam magnitudinem excedens, quam Calamis incolis Apolloniae urbis Illyricae fecerat, M. Lucullus autem Romam deductam ibi in Capitolio dedicavit. (Strabo VII. p. 319. A. *Ἀπολλωνία — ἄποικος Μιλησίων — ὅπου ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνος. ἐξ οὗ Μάρκος Λεύκυλλος τὸν κόλοσσον ἦρε καὶ ἀνέθηκεν ἐν τῷ Καπετωλίῳ τὸν τοῦ Ἀπόλλωνος, Καλάμιδις ἔργον.*)

Aesculapius imberbis, opus Calamidis, ex auro et ebore, in templo Corinthi videbatur; altera manu sceptrum tenet, altera sativae pinus fructum. (Pausan. II. 10, 3.)

Victoria, quam Mantineenses Elide dedicaverant. *Κάλαμις δὲ οὐκ ἔχουσαν πτερὰ ποιῆσαι λέγεται, ἀπομιμούμενος τὸ Ἀθήνησι τῆς ἀπτέρου καλουμένης ξόανον.* Pausan. V. 26, 5.

Ammonis statuam supra memoravimus.

Bacchus, de quo Pausan. IX. 20, 4. haec tradit: *ἐν δὲ τοῦ Διονύσου τῷ ναῷ (ἐν Τανάγρᾳ) θέας μὲν καὶ τὸ ἄγαλμα ἄξιον, λίθου δὲ ὂν Παρίου καὶ ἔργον Καλάμιδος*; et in eadem urbe *Mercurius* eius stetit, quem *Κριοφόρον* appellabant. (Pausan. IX. 22, 2.)

Venerem ab Callia Atheniensi ad portas arcis dedicatam, Calamidis opus, vidit Pausanias I. 23, 2. *Alcmenam* egregie fictam laudat Plinius XXXIV. 8. s. 19. eiusque *Hermionen*, Menelai filiam, Lacedaemonii Delphis dedicarunt. (Pausan X. 16, 2.)

Sosandram summis laudibus extollebant, de qua quae scimus, Luciano debemus. Hic enim in Imagg. 6. T. II. p. 464. ed Wetst. praedicat huius statuae pudicitiam, *καὶ τὸ μειδίαμα λεπτὸν καὶ λεληθὸς — καὶ τὸ εὔσταλὲς δὲ καὶ τὸ κόσμιον τῆς ἀναβολῆς*, et ex iis, quae paullo post addit, Sosandrae caput veste velatum comperimus; eamque omnino eximiae artis fuisse, idem Lucianus Dial. Meretr. 3. T. III. p. 225. testatur: *Δίφιλος δὲ ὑπερῄνει τὸ εὔρυθμον καὶ τὸ κεχορηγημένον, καὶ ὅτι εὖ πρὸς τὴν κιθάραν ὁ πούς, καὶ τὸ σφυρόν, ὡς καλόν, καὶ ἄλλα μυρία, καθάπερ τὴν Καλάμιδος Σωσάνδραν ἐπαινῶν.*

Praeter has vero Deorum hominumque statuas et in animalibus fingendis admirabilis fuit Calamis. De leaena quidem, quam Atheniensibus fecisse vulgo ex Pausania (I. 23, 2.) demonstrare sibi videntur, v. s. v. *Amphicrates.* Magnam inprimis gloriam Calamis equis suis sibi comparavit, quapropter veteres scriptores certatim eum praedicant. Sic Plinius XXXIV. 8. s. 19. eum *equos semper sine aemulo fecisse* testatur; Propertius III. 7, 10. ait:

Exactis Calamis se mihi iactat equis,

Ovidius autem Pont. IV. 1, 33. haec dicit:

Vendicat ut Calamis laudem, quos fecit, equorum.

Eadem de causa Onatas in donario Dinomenis equos cum pueris illis insidentibus ab eo faciendos curavit (Pausan. VI. 12, 1.), *aliasque quadrigas bigasque fecit,* (Plin. l. l.) quas ab victoribus ludorum gymnicorum dedicatas fuisse credere licet.

Quae omnia si collegeris, Calamidem unum e diligentissimis totius antiquitatis artificem dicendum esse apparebit, ut qui et aere et lapide et auro una cum ebore in statuis omnium generum faciendis uteretur. Neque tamen his contentus fuit, sed et aurum caelavit, quod et ipsum in magnam ei gloriam cessit. Plinius certe XXXIII. 12. s. 55. alteras ei post Mentorem, cui primae in hac arte deferebantur partes, vindicavit et duo pocula manu eius caelata Zenodorus primo post Ch. n. seculo aemulatus est. (Plin. XXXIV. 7. s. 18.) Fatendum tamen est, illo in loco *Calamidis* nomen ab omnibus meis codd. abesse, ita ut posterior tantum remaneat, qui vero omnem dubitationem nobis eximit.

Jam restat, ut suffragia colligam quae veteres scriptores de artis peritia Calamidis tulerunt. Et Cicero in Bruto 18. §. 70. ait: *Quis enim eorum, qui haec minora animadvertunt, non intelligit, Canachi signa rigidiora esse, quam ut imitentur veritatem? Calamidis dura illa quidem, sed tamen molliora quam Canachi; nondum Myronis satis ad veritatem adducta,* etc. Ex hoc sua desumsit Quinctilianus XII. 10. *Duriora et Tuscanicis proxima Callon atque Egesias; iam minus rigida Calamis, molliora adhuc supra dictis Myron fecit.* Dionysius Halicarn. Isocrat. p. 95.

Sylb. Calamidis et Callimachi opera τῆς λεπτότητος ἕνεκα καὶ τῆς χάριτος magni aestimata fuisse refert.

Calamidis discipulum Praxiam quendam alias ignotum dicit Pausanias (X. 19, 4.) et Calamidis ipsius nomen V. V. D. D. Luciani Nigrino T. I. p. 111. restituerunt. Cfr. Rob. Titius in assertione locor. controv. II. 17. Ceterum eius nomen in inscriptione apud Sponium in Miscellan. Erud. Antiquar. p. 138. legitur, nomine viri, cui statua dedicata est, mutilato.

CALATES.

Pictor cuius nomen alii aliter scripserunt, incertae patriae atque aetatis. Haud improbabile tamen est, eum Alexandri Magni tempore floruisse. Unus, in quo memoratur, locus est apud Plin. XXXV. 10. s. 37. *Parva et Callicles fecit: item Calates comicis tabellis: utraque Antiphilus.* Ita Brotierius e codd. Regiis [Reg. I. Dufresn. I. In Reg. II Colbert. *achaltes* legitur], Vossiano et Edit. I. edidit. Editiones veteres et *Calaces* et *Colaces* habent; Meursius vero (Ceram. Gem. 4.) permira hariolatione *Calades* legere vult, recte vituperatus atque refutatus a Siebelisio in Commentatt. Societ. Philol. Lips. IV. 1, 2. cfr. ad Pausan. I. 8, 5. p. 31.

CALLAESCHRUS v. ANTISTATES.

CALLIADES.

I. Pictor incertae patriae atque aetatis, memoratus a Luciano dial. meretr. 8. p. 300. T. III. ed. Wetst. Nomen fictum esse videtur.

II. Statuarius incertae patriae atque aetatis, qui statuam Neaerae scorti fecit. Tatiani orat. c. Gr. 55. p. 120, 39. ed. Worth.

CALLIAS.

Architectus, ut Vitruvius* quidem X. 16, 5. eum dicit. Fuit Aradi natus, et Demetrii Poliorcetae aetate vixit. Machinis potissimum struendis operam dedisse videtur.

CALLICLES.

I. Statuarius Megarae natus, filius Theocosmi. Fecit statuam Diagorae, qui pugil victoriam Olympiae reportaverat (Pausan. VI. 7, 1.), quam in Olympiadem LXXIX. ante Ch. n. 464. incidisse scimus; fecit quoque statuam Gnathonis, qui pugilatu puerili vicerat. (Pausan. l. l. §. 3.) Nunc de aetate, qua floruerit Callicles, quaerendum esset, nisi hoc nobis Siebelisius occupasset, qui ad Pausan. T. III. p. 29. sq. haec adnotavit: „Aetas huius Diagorae et filiorum „eius filiarumque non est incerta. Victoria Diagorae „Olympica refertur ad Ol. LXXIX. 1. Eius statuam „fecit Callicles filius Theocosmi, qui Jovis simulacrum „I. 40, 3. memoratum absolvere propter belli, quod „incidit, Peloponnesiaci impetum non potuit. [Ol. „LXXXVII. 2. ante Ch. n. 431.] Ergo statua haec „Diagorae diis post illam eius victoriam est collocata;" et ut breviter hoc addam, Callicles circa Ol. XCV. floruerit necesse est. Meminit eiusdem artificis Plinius XXXIV. 8. s. 19, qui eum philosophos fecisse tradit.

II. Pictor incertae patriae atque aetatis, quem tamen circa Alexandri M. aevum vixisse haud improbabile est, quia a scriptoribus eum commemorantibus una cum Antiphilo et Euphranore producitur. Plinius enim XXXV. 10 s. 37. ait: *Parva et Callicles fecit, item Calates comicis tabellis, utraque Antiphilus,* quae egregie a Varrone apud Sosipatr. (fragm. p. 236. ed Bip.) confirmantur, haec dicente: *Neque ille Callicles, quaternum digitum tabellis nobilis cum esset factus, tamen in pingendo adscendere potuit ad Euphranoris altitudinem.*

CALLICRATES.

I. Architectus qui cum Ictino Parthenona Hecatompedon in acropoli Attica fecit, et longos muros σκέλη dictos, faciendos redemit. (Plutarch. Pericl. 13.) Floruit igitur Ol. LXXX vel LXXXV.

II. Sculptor, qui operibus suis ambitu minimis inclaruit. Fuit Lacedaemonius, (Aeliani V. H. I. 17. Galenus ἐν προτρεπτικῷ πρὸς τὰς τέχνας 9. T. I. p. 20. ed. Kühn. Choeroboscus in Schol. ad Dionys. Thrac. Gram. p. 651, 32. Anecd. Bekk.) a quibus omnibus cum Myrmecide componitur, quocum currus fecisse dicitur, qui muscae alis tegerentur, et in sesamo incidisse versus Homericos. (Plutarch. adv. stoic. T. X. p. 459. ed. R.) Similia de isto artifice, quem tamen et vasa caelasse auctor est Athenaeus XI. p. 782. B. T. IV. ed. Schw.), Plinius tradit VII. 21. XXXVI. 5. s. 4. et qui plura de hoc ματαιοτέχνῃ, ut Galenus eum recte dicit, legere vult adeat Facium ad Plutarchi

Excerpt. p. 217. sq. Eius aetas est incerta. Adde s. v. *Myrmecides*.

III. Pictor, cuius meminit Theophylactus Simocatus epist. 6.

CALLIDES.

Statuarius et argenti caelator incertae patriae atque aetatis, quin adeo nominis. Hucusque enim hic artifex et *Calliades* et *Callias* dicebatur, mira perseverantia Virorum D. D. qui apud Plinium XXXIV. 8. s. 19. *Praeterea sunt aequalitate celebrati artifices sed nullis operum suorum praecipui Ariston — Calliades,* omnes codd. prorsus aliud nomen exhibere viderunt quidem, at iidem neglexerunt. Unus hic est locus, quo artifex memoratur, ac valde praepropero iudicio usus est Harduinus, quum invitis codd. ex Tatiano in Plinium *Calliades* inferret. Altera lectio *Callias* in editionibus modo vetustis exstare videtur, neque video, quidni artifici suum nomen restituere velimus. In codice enim Reg. I. *Callides* legitur, cui scripturae Reg. III. IV. haud leve pondus adiiciunt, qui *Gallides* dant. Lectio codicis Dufresn. II. *Callicles* nil aliud est, nisi interpolatio librarii doctiusculi, cui haec nominis forma notior fuit; *Callases* autem (Dufresn. I) merus est error calami festinantis.

CALLIMACHUS.

I. Artifex notissimus incertae patriae, qui non solum statuis fingendis verum etiam auro caelando et picturae operam impendit. Primus de eo testis pro-

ducatur Plinius XXXIV. 8. s. 19. *Ex omnibus autem maxime cognomine insignis est Callimachus, semper calumniator sui nec finem habentis* (sic Reg. I. Dufresn. I. Vulgo *habens*) *diligentiae, ob id κακιζότεχνος appellatus, memorabilis* (sic Reg. I.) *exemplo adhibendi curae modum. Huius sunt saltantes Lacaenae, emendatum opus, sed in quo gratiam omnem diligentia abstulerit. Hunc quidem et pictorem fuisse tradunt.* Vitruvius autem, postquam IV. 1. §. 9. historiolam de calatho acanthi foliis circumfuso narravit, §. 10. ita pergit: *Tunc* (l. *tum*) *Callimachus, qui propter elegantiam et subtilitatem artis marmoreae ab Atheniensibus κατάτεχνος fuerat nominatus, praeteriens hoc monumentum animadvertit eum calathum et circa foliorum nascentem teneritatem, delectatusque genere et formae novitate ad id exemplar columnas apud Corinthios fecit, symmetriasque constituit ex eo, quod in operum perfectionibus Corinthii generis distribuit rationes.* Pausanias porro I. 26, 7. haec tradit: λύχνον δὲ τῇ θεῷ (Ἀθηνᾷ) χρυσοῦν Καλλίμαχος ἐποίησεν. — — ὁ δὲ Καλλίμαχος ὁ τὸν λύχνον ποιήσας, ἀποδέων τῶν πρώτων, ἐς αὐτὴν τὴν τέχνην οὕτω σοφίᾳ πάντων ἐστὶν ἄριστος, ὥστε καὶ λίθους πρῶτος ἐτρύπησε καὶ ὄνομα ἔθετο κακιζότεχνον, ἢ θεμένων ἄλλων, κατέστησεν ἐφ' αὐτῷ. Quos omnes locos si inter se comparaverimus, Callimachum multis nominibus sollertem atque probatum fuisse reperiemus, ita tamen ut summis artificibus adnumerandus non esset. Etenim non modo ipse artis opera varii generis fecit (iis quae iam memorata sunt adde Junonis νυμφευομένης imaginem

sedentem in templo Plataeensi, Pausan. IX. 2, 5.), verum etiam artem a se magis excultam et locupletatam posteris tradidit. Primus scilicet lapides terebravit, novumque columnarum ordinem invenit, unde Winckelmannus (Opp. I. p. 382.) aetatem nostri artificis ingeniose exsculpsit. Floruit enim ex huius observatione ante Ol. XCVI. qua Olympiade Scopas templum Minervae columnis *Corinthiis* ornatum Tegeae exstruxit. Dionysius autem Halicarn. de Isocrat. p. 95. Sylb. eius opera *τῆς λεπτότητος ἕνεκα καὶ τῆς χάριτος* Lysiae orationibus comparare non dubitat.

Jam nobis transeundum esse videtur ad cognomen quo Callimachus prae reliquis artificibus insignis factus est, quod alii *κακιζότεχνος* alii *κατάτεχνος* scribunt, recentioribus Viris Doctis ambigentibus, utra praeferenda sit scriptura. (V. Meyeri histor. art. I. p. 95.) Ceteris uberius Siebelisius ad Pausan. T. I. p. 93. sq. rem tractavit, qui Pausaniam et Plinium se invicem illustrare contendens Vitruvio *κατάτεχνος* suum concedere quidem, Pausaniae vero et Plinio *κακιζότεχνος* vindicare vult, provocans ad vulgatam apud utrumque scriptorem lectionem. Assentimus Viro Doctissimo in eo, quod Vitruvianam lectionem intactam reliquit, quae illic codd. MSS. firmatur et ipsius loci nexu defenditur. Vitruvius enim, quum linguae Graecae bene gnarus esset, apud Graecum, unde sua desumpsit, scriptorem verbum *κατάτεχνος* inveniens, nihil vituperii in ea inesse scivit, unde Callimachum ita propter summam elegantiam dictum fuisse addidit; et valde erravit Schneiderus, cum in lexico

Graeco *κατάτεχνος*, *gekünstelt* verteret praeoccupati ut quisque perspicit iudicii. Quidni, quod iam Siebelisius recte sensit, sumere possumus, ab aliis propter summam elegantiam Callimachum *κατάτεχνον* vocatum esse, quod cognomen alii, qui non summam sed nimiam illam iudicabant, in eius vituperium detorquerent? De falsa enim scriptura, qua Graecus, quo Vitruvius usus est, auctor contaminatus fuerit, cogitare nolim. Nunc ulterius progredi licet. Pausaniam enim et Plinium isto cognomine addito Callimachum laudare noluisse non est quod demonstremus, et obiter notandus est Pausanias, qui qualecunque cognomen ignominiosum ab ipso artifice sibi tributum esse putat, quod tum etiam de voce Vitruviana *κατάτεχνος* valere posset. Jam vero secundum vulgatas utriusque scriptoris editiones illud *κακιζότεχνος* fuisse dicitur, et Siebelisius hanc vocem ita interpretari studet, ut cum Matthia Gesnero in thesauro L. L. vertendum ducat: *improbans suum artificium*, laudans hanc in rem Phavorini glossam, *κακίζω τὸ ψέγω, κακίζει, ἐπισκώπτει*, qua facile carere possumus, quum de sensu verbi *κακίζειν* nemo unquam dubitaverit. V. Schneider in lex. Gr. Quam Phavorini interpretationem qui presse sequetur, vocem *κακιζότεχνος* nihil aliud significare dicet, nisi *is qui artem vituperat*, ubi neque de *sua* arte, neque de artifice sua opera improbante cogitari potest; et tale cognomen cuivis alii homini, artibus pulchris haud faventi, quam Callimacho ipsi artifici conveniret. Illam igitur lectionem et Plinii et Pausaniae verbis ineptam esse, hinc demonstrasse mihi videor,

et dispiciendum, annon melius quid alicubi inveniatur. Et puto me invenisse, quod quisque alius invenire potuit, dum codicum lectionem animum adverteret, qui mire cum apud Plinium tum apud Pausaniam secum consentiunt. In Pausaniae enim verbis cod. Vatic. Paris. 1410. 1411. κατκτηξίτεχνον exhibent, Paris. 1400. κατηξότεχνον aperta illius scripturae corruptela, et unus tantum 1399. κακιζότεχνον. Horum vero codicum is qui 1411. numeratur, reliquos libros Pariss. longe superat, qui autem 1399. est, fiduciam haud adeo magnam meretur, utpote qui a Graeco quodam docto Milani interpolatus sit (V. Praef. ad Siebel. Pausan. T. III. p. III. De codice 1410. v. Bekkeri Praef. ad Pausan.), ita ut numerus et auctoritas codicum eam quam primo loco posuimus lectionem commendet. Haec de Pausania dicta sunto; pergamus ad Plinium, apud quem quid priores interpretes in suis codd. invenerint, non retulerunt, nisi quod Dalechampius Callimachum etiam τηξίτεχνον (sic) dictum fuisse, et in uno cod. *cacotexitechnus* legi tradit. Et nos quidem in Reg. I. optimo, III. IV. Dufresn. I. II. *catotexitechnus* invenimus, ubi suspicari licet, et Dalechampium idem invenisse, sed literas *c* et *t* non satis accurate inspexisse. Utut sit, codices Pausaniae et Plinii mirifice secum congruere patet, et quovis pignore contenderim, κατατηξίτεχνον (quamquam Immanuelis Bekkerus, qui κατὰ τηξίτεχνος in suo codice scriptum invenit, vulgatum retinuit) unice veram lectionem et utrique illi scriptori restituendam esse. Nemo nobis obiiciet, illam vocem nusquam alibi legi;

pari iure enim quaerere possemus, ubi *κακιζότεχνος* legatur. Videamus potius de sensu, quo nihil aptius toti sententiae reperiri potest. Vocabulum *κατατηξίτεχνος* ex *κατατήκειν* et *τέχνη* compositum indicat talem, qui artem debilitat atque infirmam reddit, quod de Callimacho elegantiae nimis studioso hincque roboris cuiusdam servandi parum curioso optimo iure dici potest. Omnis vero dubitatio, quae adhuc remanere possit, prorsus evanescet, si locum nobis a Schneidero in lex. Gr. suppeditatum (Dionys. Halicarn. de vi Demosth. T. VI. p. 1114. ed. R.) apprime huc facientem comparare velis, ubi haec leguntur: *οὐ γὰρ δή τοι πλάσται μὲν καὶ γραφεῖς ἐν ὕλῃ φθαρτῇ χείροντες πόνους, ὥστε καὶ φλέβια καὶ πτίλα καὶ χνοῦς, καὶ τὰ τούτοις ὅμοια εἰς ἄκρον ἐξεργάζεσθαι καὶ κατατήκειν εἰς ταῦτα τὰς τέχνας.*

II. Sculptor operis anaglyphi notissimi, quod in Museo Capitolino exstat. (Cfr. T. IV. tab. 42.) Quae de hoc opere a V. V. D. D. varie disputata sunt, sciens praetereo, ut quae ad meam rem nihil faciant.

CALLIPHON.

I. Pictor Sami natus, qui templum Dianae Ephesiae picturis ornavit. Floruit igitur seculo ante Ch. n. IV. nisi putare velis, eum serius demum templum pinxisse. Argumentum sui operis ex Iliade desumpsisse videtur, quod quidem ex verbis Pausaniae V. 19, 1. colligi potest: *Καλλιφῶν Σάμιος ἐν Ἀρτέμιδος ἱερῷ τῆς Ἐφεσίας ἐποίησεν Ἔριν, τὴν μάχην γράψας τὴν ἐπὶ ταῖς ναυσὶν Ἑλλήνων*, et X. 25, 2. *καὶ ἐν Ἀρτέμιδος*

τῆς Ἐφεσίας (ἱερῷ), Καλλιφῶν ὁ Σάμιος Πατρόκλῳ τοῦ θώρακος τὰ γύαλα ἁρμοζούσας ἔγραψε γυναῖκας.

II. Pictor vasculi Graeci ap. Millinum Peintures T. I. tab. 44. Καλλιφον εποιεσεν.

CALLISTONICUS.

Statuarius Thebanus, de quo Pausan. IX. 16, 1. haec refert: Θηβαίοις δὲ μετὰ τοῦ Ἄμμωνος τὸ ἱερὸν οἰωνοσκοπεῖόν τε Τειρεσίου καλούμενον, καὶ πλησίον Τύχης ἐστὶν ἱερόν· φέρει μὲν δὴ Πλοῦτον παῖδα· ὡς δὲ Θηβαῖοι λέγουσι, χεῖρας μὲν τοῦ ἀγάλματος καὶ πρόσωπον Ξενοφῶν εἰργάσατο Ἀθηναῖος, Καλλιστόνικος δὲ τὰ λοιπὰ ἐγχώριος. Ex ultimis Pausaniae verbis aetas, qua Callistonicus floruit, perspici potest. Xenophon enim Atheniensis cum Cephisodoto maiore imaginem urbis Megalopolis (Pausan. VIII. 30, 5.) fecerat, quae urbs Ol. CII. 1. ante Ch. n. 371. condita est. Hinc Callistonicus circa eundem annum vixit.

CALLISTRATUS.

Statuarius incertae patriae, a Plinio XXXIV. 8. s. 19. iis adnumeratus, cum quibus Ol. CLV. ars antehac cessans denuo revixerit. Memoratur etiam a Tatiano orat, c. Graec. p. 183.

CALLITELES.

Statuarius, qui cum Onata statuam Mercurii arietem portantis fecit, a Pheneatis Olympiae dedicatam. Fuit autem Calliteles Pausania auctore Onatae discipulus vel filius. (Pausan. V. 27, 5.)

CALLIXENUS.

De hoc artifice valent quae supra de Callistrato ex Plinio retulimus.

CALLO.

I. Difficillima est quaestio de Callonis Aeginetae aetate, in qua definienda V. V. D. D. adeo dissentiunt, ut alii eum ad finem primi belli Messeniaci reiiciant, alii circa tempus proelii ad Aegospotamos commissi floruisse putent. Refutatione singularum opinionum omissa satis habeo, ea quae mihi certa videntur, argumentis qualibuscunque comprobata hic exponere, partim iis usus, quae Müllerus (Aeginet. p. 100. sq.) et maxime Thierschius (Epoch. II. Adnot. p. 40. sqq.) disputarunt. Ut initium a talibus faciam, de quibus vix quisquam dubitare ausit, *Callo Aegineta* a *Callone Eleo* probe discernendus est, de quo infra dicetur, quamquam utrumque mirabili errore confudit Meyerus (hist. art. Gr. T. I. p. 78. T. II. p. 74. sq.) Ille autem Canacho Sicyonio aequalis fuit (Pausan. VII. 18, 6. *τεκμαίρονται σφᾶς* Κανάχου *τοῦ* Σικυωνίου *καὶ τοῦ Αἰγινήτου* Κάλλωνος *οὐ πολλῷ γενέσθαι τινὶ ἡλικίαν ὑστέρους*), et quum Canachus Sicyonius circa Ol. LXV. vel LXX. vixerit, eidem fere aetati Callo vindicandus est. Hinc alii Pausaniae loco claram lucem affundi supra s. v. *Angelio* demonstravi, unde Dipoenum et Scyllidem (Ol. L.) praeceptores Angelionis et Tectaei (Ol. LVIII.), hos vero Callonis Aeginetae (Ol. LXVI.) fuisse comperimus. Bene quidem scio, nonnullos mihi orbem in concludendo factum exprobraturos esse,

quod scilicet Callonis aetatem haud prorsus certam cum Angelionis et Tectaei non magis certa coniunxerim; sed mirum tamen est, omnia iam egregie inter se consentire, neque ullius loci condemnatione opus esse. Mihi potius ipse hic orbis, quo cuncta bene inter se clauduntur, non exigui ponderis esse videtur. Videamus, quae sequuntur. Sunt duo eiusdem Pausaniae loci (III. 18, 5. IV. 14, 2.), qui inter se comparati cum omnia, quae aliunde de historia artis Graecae scimus, mire perturbant, tum huic ipsi quaestioni impedimenta obiiciunt. In hoc enim loco Pausanias haec refert: *Λακεδαιμόνιοι δὲ* (post finem primi belli Messeniaci Ol. XIV. 1. Pausan. IV. 13, 5.) *πρῶτα μὲν τὴν Ἰθώμην καθεῖλον ἐς ἔδαφος· ἔπειτα καὶ τὰς λοιπὰς πόλεις ἐπιόντες ᾕρουν· ἀνέθεσαν δὲ καὶ ἀπὸ τῶν λαφύρων τῷ Ἀμυκλαίῳ τρίποδας χαλκοῦς. Ἀφροδίτης ἄγαλμά ἐστιν ἑστηκὸς ὑπὸ τῷ τρίποδι τῷ πρώτῳ, Ἀρτέμιδος δὲ ὑπὸ τῷ δευτέρῳ, Κόρης δὲ τῆς Δήμητρος ὑπὸ τῷ τρίτῳ. ταῦτα μὲν δὴ ἀνέθεσαν ἐνταῦθα.* Quisque videt, haec verba cum iis quae statim afferam, verbo tenus consentire, ut scriptor ea quae uno in loco scripserat in alterum transtulerit. Etenim ait III. 18, 5. *τὰ δὲ ἐν Ἀμύκλαις θέας ἄξια, ἀνὴρ πένταθλός ἐστιν ἐπὶ στήλης ὄνομα Αἴνητος· — — τούτου τε οὖν ἐστὶν εἰκὼν καὶ τρίποδες χαλκοῖ. τοὺς δὲ ἀρχαιοτέρους δεκάτην* (sic Jacobsius et Bekkerus) *τοῦ πρὸς Μεσσηνίους πολέμου φασὶν εἶναι. ὑπὸ μὲν δὴ τῷ πρώτῳ τρίποδι Ἀφροδίτης ἄγαλμα ἑστήκει, Ἄρτεμις δὲ ὑπὸ τῷ δευτέρῳ· Γιτιάδα καὶ αὐτοὶ τέχνη καὶ τὰ ἐπειργασμένα. ὁ τρίτος δέ ἐστιν Αἰγινήτου Κάλλωνος· ὑπὸ τούτῳ δὲ ἄγαλμα Κόρης τῆς*

Δήμητρος ἕστηκεν. Ἀρίστανδρος δὲ Πάριος καὶ Πολύκλειτος Ἀργεῖος, ὁ μὲν γυναῖκα ἐποίησεν ἔχουσαν λύραν, Σπάρτην δῆθεν, Πολύκλειτος δὲ Ἀφροδίτην παρὰ Ἀμυκλαίῳ καλουμένην. οὗτοι δὲ οἱ τρίποδες μεγέθει τε ὑπὲρ τοὺς ἄλλους εἰσι, καὶ ἀπὸ τῆς νίκης τῆς ἐν Αἰγὸς ποταμοῖς ἀνετέθησαν. Tria hic tripodum genera discernenda sunt, unum eorum qui de victoria ad Aegospotamos dedicati sunt, opus Aristandri et Polycleti; alterum Aeneti quinquertionis; tertium vetustiorum, quam proxime memorati, qui ex praeda belli Messeniaci facti fuerant. Jam quaeritur, utrius generis auctores Gitiadas et Callo fuerint, eorumne qui Messeniaci dicuntur, an qui Aeneti memoriae dedicati fuerant. Comparatio illorum locorum indicare videtur, Callonem et Gitiadam sub tempus primi belli Messeniaci vixisse, quod tamen si statuere velis, neque perspicis, quo modo Callo Aegineta Canachi aequalis, neque quomodo Angelionis discipulus dici potuerit. Alia eodem pertinentia iam Müllerus (l. l. p. 101. n.) protulit, qui praeclara ingenii sagacitate verba (IV. 14, 2.) Ἀφροδίτης ἄγαλμα usque ad ἀνέθεσαν ἐνταῦθα emblema e loco altero male intellecto verbotenus descriptum esse perspexit, cui iudicio Thierschius l. l. et Schornius de studiis p. 195. sq. maximam partem subscripserunt. (Ante Müllerum iam Hirtius in Amalthea Vol. I. p. 260. in eandem suspicionem devenerat; neuter neutrius sententiam noverat.) Male autem illum locum a librario sciolo intellectum fuisse, docent ipsa verba quae illic leguntur, ubi φασίν accuratae descriptioni statim sequenti inepte adversatur, et om-

nino omnis verborum ordo errorem librarii arguit, quem ne Pausaniae imputemus, sedulo cavendum est. Idem Müllerus aeque praeclare pronuntiavit, verba *τοὺς δὲ ἀρχαιοτέρους — εἶναι* parenthetice legenda esse, ita ut oratio a *τρίποδες χαλκοῖ* statim ad *ὑπὸ μὲν δὴ κ. τ. λ.* transeat. Haec quum Müllerus et Thierschius (nam de meis paucissima tantum attuli) recte disputaverint, Calloni Aeginetae, ut et Gitiadae aetas supra dicta manet, et nihil restat, nisi ut unicum opus, cuius notitia praeter tripodem Amyclaeum cum imagine Proserpinae ad nos pervenit, ipsis Pausaniae verbis (II. 32, 4.) commemoremus: *ἐν δὲ τῇ ἀκροπόλει* (Κορίνθου) *τῆς Σθενιάδος ναός ἐστιν Ἀθηνᾶς. αὐτὸ δὲ εἰργάσατο τῆς θεοῦ τὸ ξόανον Κάλλων Αἰγινήτης.* Non autem dubium esse potest, utrum de hoc an de altero Callone verba Quinctiliani XII 10. valeant: *Duriora atque Tuscanicis proxima Callon atque Egesias (fecerunt): iam minus rigida Calamis* etc.

II. Statuarius Eleus, memoratus a Pausania V. 27, 5. *οὐ πόῤῥω δὲ τοῦ Φενεατῶν ἀναθήματος* (*ἐν* Ὀλυμπίᾳ) *ἄλλο ἐστὶν ἄγαλμα, κηρύκιον Ἑρμῆς ἔχων. ἐπίγραμμα δὲ ἐπ' αὐτῷ Γλαυκίαν ἀναθεῖναι γένος Ῥήγῖνον, ποιῆσαι δὲ Κάλλωνα Ἠλεῖον,* et altero loco V. 25, 1. *Μεσσηνίους τοὺς ἐπὶ τῷ πορθμῷ* (*Σικελικῷ*) *κατὰ ἔθος δή τι ἀρχαῖον κατ' ἔτος πέμποντας ἐς Ῥήγιον χορὸν παίδων πέντε ἀριθμὸν καὶ τριάκοντα καὶ διδάσκαλόν τε ὁμοῦ τῷ χορῷ καὶ ἄνδρα αὐλητὴν ἐς ἑορτήν τινα ἐπιχώριον Ῥηγίνων, κατέλαβεν αὐτούς ποτε συμφορά, μηδένα ὀπίσω τῶν ἀποσταλέντων σφίσιν ἀποσωθῆναι, ἀλλὰ ἡ ναῦς ἡ ἄγουσα τοὺς παῖδας ἠφανίσθη σὺν αὐτοῖς κατὰ τοῦ βυ-*

θοῦ. — — τότε δὲ ἐπὶ τῇ ἀπωλείᾳ τῶν παίδων οἱ Μεσσήνιοι πένθος ἦγον, καὶ ἄλλα τέ σφισιν ἐς τιμὴν αὐτῶν ἐξευρέθη καὶ εἰκόνας ἐς Ὀλυμπίαν ἀνέθεσαν χαλκᾶς, σὺν δὲ αὐτοῖς τὸν διδάσκαλον τοῦ χοροῦ καὶ τὸν αὐλητήν. τὸ μὲν δὴ ἐπίγραμμα ἐδήλου τὸ ἀρχαῖον ἀναθήματα εἶναι τῶν ἐν πορθμῷ Μεσσηνίων· χρόνῳ δὲ ὕστερον Ἱππίας ὁ λεγόμενος ὑπὸ Ἑλλήνων γενέσθαι σοφὸς τὰ ἐλεγεῖα ἐπ' αὐτοῖς ἐποίησεν. ἔργα δέ εἰσιν Ἠλείου Κάλλωνος αἱ εἰκόνες. Inde quod Hippias Sophista illi donario carmen licet seriore tempore inscripsisse narratur, Thierschius (Epoch. II. Adnot. p. 62.) recte collegit, Callonem Eleum iam ante Ol. LXXXVI vixisse, et artificem huius nominis, quem Plinius XXXIV. 8. s. 19. Olympiadi LXXXVII. adscripserit, illum ipsum Eleum esse.

CALUS.

Statuarius incertae patriae atque aetatis, quem unice ex Clementis Alexandr. Protreptico p. 30. Sylb. novimus. Verba eius haec sunt: *μὴ ἀμφιβάλλετε εἰ τῶν Σεμνῶν Ἀθήνῃσιν καλουμένων θεῶν τὰς μὲν δύο Σκοπᾶς ἐποίησεν ἐκ τοῦ καλουμένου λυχνέως λίθου· Κάλως δέ, ἣν μέσην αὐταῖν ἱστοροῦνται ἔχουσαι, Πολέμωνα δεικνύναι ἐν τῇ τετάρτῃ τῶν πρὸς Τίμαιον.* Hisce de statuis, quarum tamen artifices nominare neglexit, Pausanias loquitur I. 28, 6. *τοῖς δὲ ἀγάλμασιν οὔτε τούτοις ἔπεστιν οὐδὲν φοβερόν, οὔτε ὅσα ἄλλα ἀνάκειται θεῶν τῶν ὑπογαίων*, et quaeritur, quo modo fieri potuerit, ut Polemo tres eas esse diceret, Phylarchus autem ap. Schol. ad Soph. Oed. Col. 39. duas tantum memoraret, (*Φύλαρχός φησι δύο αὐτὰς εἶναι, τὰ δὲ*

Α'θήνησιν ἀγάλματα δύο. Πολέμων δὲ τρεῖς αὐτάς φησι.) Id vero inde explicandum esse puto, quod Phylarchus ille, qui duas Scopae statuas vidit, ante Polemonem et Calon vixit, qui duabus a Scopa factis tertiam adiecit et hac de causa post Ol. CVI. floruerit oportet. Tragicos autem, qui de tribus semper Furiis loquuntur, ad Cali aetatem definiendam nil valere, inde sequitur, quod tum Calos ante Aeschylum (v. Reisigii Enarrat. ad Oed. Col. p. XXXIV.) ponendus esset; poetae aut statuas non curantes mythologicis rationibus sunt ducti, aut, siquidem de statuis cogitabant, vetustiora signa innuebant, quas ut reliquorum Deorum Dearumque sic et Eumenidum exstitisse satis est probabile. Hinc ordo artificum et scriptorum, qui nobis memorati sunt, ita se excipit: Scopas, Phylarchus, Calos, Polemo; et, si Phylarchus a Scholiasta Sophoclis laudatus, idem est, qui inter historicos non infimum locum tenuit, Calos post annum fere 220. ante Ch. n. artem exercuit, quo tempore Phylarchum floruisse scimus.

CALYNTHUS.

Statuarius incertae patriae, Onatae aequalis. Pausan. X. 13, 5. *Ταραντῖνοι δὲ καὶ ἄλλην δεκάτην ἐς Δελφοὺς ἀπὸ βαρβάρων Πευκετίων ἀπέστειλαν· τέχνη μὲν τὰ ἀναθήματα Ο'νατᾶ τοῦ Αἰγινήτου καὶ Καλύνθου τε ἑστήκασιν ἔργα, εἰκόνες δὲ καὶ πεζῶν καὶ ἱππέων.*

CALYPSO.

Pictrix incertae aetatis et patriae, *pinxit senem et praestigiatorem Theodorum.* Plin. XXXV. 11. s. 40.

CANACHUS.

Ex quo in vitas artificum Graecorum accuratius inquiri coeptum est, nullum fere artificis nomen maiores difficultates movit, resque alioquin expeditas magis perturbavit, quam *Canachi,* qui partim statuam Apollinis Philesii fecisse perhibetur, quae ante Ol. LXXV. facta fuerit necesse est, partim vero Ol. XCV. floruisse dicitur, unde hic vir per octoginta et quod excurrit annos artem exercuisse putandus sit. Quae huic difficultati multae aliae accedunt, omnes dilucide exposuit Thierschius (Epoch. II. Adnot. p. 38—44.), quas ut denuo colligam, post huius viri diligentiam et doctrinam non opus est. Comprobavit autem inde Thierschius l. l. sententiam a Schornio (de studiis artific. Graec. p. 199.) antea breviter indicatam, duos Canachos, utrumque Sicyone natum et fortasse avi nepotisque consanguinitate inter se coniunctum, probe discernendos esse, quod Odofr. Müllerus (Kunstblatt. 1821. nr. 16.) et Böckhius (Corp. Inscriptt. Gr. I. p. 39.) suffragio suo corroborare haud dubitarunt, ita ut mirandum sit, Henricum Meyerum ne verbo quidem illud virorum praestantissimorum repertum memorare dignatum esse; (cfr. potissimum histor. art. Gr. T. II p. 74.) Meum iam est, quae veteres scriptores de utroque Canacho, ab ipsis tamen non distincto, attulerunt hic enumerare et disponere, quo facto discrimen utriusque artificis luce, ut aiunt, clarius apparebit.

I. *Canachus* Sicyonius, filius Cleoetae, frater Aristoclis fuit, qui illi gloria artis non multum cessit,

(Pausan. VI. 9, 1. et v. supra.) Cum hoc et Agelada aequali Musarum triadem confecit (v. supra s. v. *Ageladas*), et quum Ageladam Argivum circa Ol. LXX. floruisse suo loco demonstraverimus, Canacho quoque eadem aetas est vindicanda, quae insuper aliunde etiam confirmatur. Praestantissimum enim aeque ac celeberrimum eius opus statua aenea magnitudine humanam excedente Apollinis Philesii ab vetustis scriptoribus praedicatur (Plin. XXXIV. 8. s. 19. Paus. II. 10, 4. IX. 10, 2.) De hac statua Müllerus l. l. egregie disseruit, cuius dissertationem hic repetere liceat. Stetit ea in templo Didymaeo prope Miletum usque ad Xerxis expeditionem, qui redux factus (Ol. LXXV. 2.) eam Ecbatana secum duxit (I. 16, 3. VIII. 46, 2.) unde a Seleuco Nicatore demum restituta est. Post hunc igitur annum illa statua facta esse non potuit, et pari acumine Müllerus perspexit, eam ante Ol. LXXI. 3. factam non fuisse, quo quidem anno Miletus a Dario capta et excisa est. (Herod. VI. 18.) Talem autem colossum, qualis Apollo Philesius fuit, communem urbis ruinam superasse, nemo credet et Müllerus inde recte collegit, Canachum circa Ol. LXXIII. huic imagini faciendae operam navasse. — Praeter hunc vero colossum et Musam supra memoratam *celetizontas pueros* aere fecit (Plin. l. l.), *effigiem Veneris* in templo Corinthi (de qua Pausan. II. 10, 4. haec tradit: *τὸ μὲν δὴ ἄγαλμα καθήμενον* Κάναχος Σικυώνιος ἐποίησε, ὃς καὶ τὸν ἐν Διδύμοις τοῖς Μιλησίων καὶ Θηβαίοις τὸν Ἰσμήνιον εἰργάσατο Ἀπόλλωνα· πεποίηται δὲ ἔκ τε χρυσοῦ καὶ ἐλέφαντος φέρουσα ἐπὶ τῇ

κεφαλῇ πόλον, τῶν χειρῶν δὲ ἔχει τῇ μὲν μήκωνα τῇ δὲ ἑτέρᾳ μῆλον) et *statuam Apollinis* Ismenii in templo huius Dei prope Thebas (Pausan. l. 1. et IX. 10, 2.) τὸ δὲ ἄγαλμα [Ἀπόλλωνος] μεγέθει τε ἴσόν ἐστι τῷ ἐν Βραγχίδαις, καὶ τὸ εἶδος οὐδὲν διαφόρως ἔχων· ὅστις δὲ τῶν ἀγαλμάτων τούτων τὸ ἕτερον εἶδε καὶ τὸν εἰργασμένον ἐπύθετο, οὐ μεγάλη οἱ σοφία καὶ τὸ ἕτερον θεασαμένῳ Κανάχου ποίημα ὂν ἐπίστασθαι. διαφέρουσι δὲ τοσόνδε· ὁ μὲν γὰρ ἐν Βραγχίδαις χαλκοῦ, ὁ δὲ Ἰσμήνιός ἐστι κέδρου.) Aliud argumentum, quod docere possit, Canachum circa Ol. LXXV. floruisse, supra quidem s. v. *Callo Aegineta* protuli, quo vero hic uti nolo, ne scilicet Canachi aetatem per Callonem, huius autem per illum finibus suis describere videar. Ad utrum vero artificem, maiorem an minorem Canachum verba Plinii XXXVI. 5. s. 4. (*Invenio et Canachum, laudatum inter statuarios, fecisse marmorea*) referenda sint, diiudicare nemo poterit. Ciceronis certe iudicium, quod supra s. v. *Calamis* apposui, de natu maiore valere, nemo non intelliget.

II. *Canachus* minor et ipse Sicyonius, prioris fortasse nepos, a Polycleto Argivo natu maiore artem edoctus fuerat. (Pausan. VI. 13, 4.) Una cum Patrocle aeneas statuas Epicyridae et Epeonicae Spartanorum fecit, qui pugnae ad Aegospotamos (Ol. XCIII. 4.) interfuerant (X. 9, 4.), et Bycellum aere fudit, qui primus Sicyoniorum puerorum in pugilatu palmam retulerat. (Pausan. VI.) De hoc igitur Canacho Plinius XXXIV. 8. s. 19. locutus est, qui hu-

ius nominis artificem cum Naucyde, Patrocle et Dinomene Olympiadi XCV. adscripsit.

CANTHARUS.

Statuarius et argenti caelator Sicyone natus, quem Plinius XXXIV. 8. s. 19. iis artificibus adnumerat, qui aequalitate quidem, at nullis operum suorum celebrati fuerint. Filius Alexidis (v. supra), discipulus Eutychidis fuit. (Pausan. VI. 3, 3.) Athleticis potissimum statuis operam dedisse videtur (Pausan. l. l. et 17, 5.), et quum Eutychides Ol. CXX. floreret (Plin. l. l.), Cantharus fere Ol. CXXVIII. vixerit necesse est.

CARMANIDES.

Pictor non ignobilis, Euphranoris discipulus. Plin. XXXV. 11. s. 40.

CARPIO.

Architectus, qui cum Ictino librum de Parthenone scripsit, in quo templo struendo eundem adiuvisse videtur. Vitruv. VII. Praef. §. 12.

CARPUS.

Scalptor, qui nomen suum variis gemmis incidit. (Winckelmann description des pierres gravées n. 1456. Gori in gemmis Etruscis T. II. pl. 6. Bracci T. I. p. 250. Raspe nr. 6019.)

CENCHRAMIS.

Statuarius, quem Plinius XXXIV. 8. s. 19. inter

eos artifices ponit, qui optime comoedos et athletas expresserint.

CEPHIS.

Statuarius de quo Plinius eadem narrat, quae l. l. de Cenchramide dixerat.

CEPHISIAS.

Sculptor notus ex inscriptione Tanagraea ap. Rosium in inscriptt. vetustiss. p. 308.

Εἰκόνα τήνδε ἀνέθηκε (Rosius l. — κα), Φορυστὰς
παῖς Ὀτρίακος,
Κῆρυξ κινήσας καλὸν ἄγωνα Διός,
Ἄλλους τε ἀθλοφόρους πτανοῖς ποσὶν εἷλον ἄγωνας,
Εὐόλβου δὲ πάτρας ἄστυ καλὸν στεφανῶ.
Καφίσιας ἐπόεισε.

CEPHISODORUS.

I. Pictor, qui cum Aglaophonte minore et Euenore patre Parrhasii a Plinio XXXV. 9, s. 36. Ol. XC. adscribitur. Omnes quidem hos pictores iam illustres fuisse dicit, neque tamen in quibus expositio haerere deberet. Ceterum notandum est, omnes codd. Parisinos *Cephissodorum* tueri. De scriptura autem per simplicem literam σ v. *Cephisodotus.*

II. Sculptor qui cum Aeschramio opus fecit, cuius imaginem Montfaucon in antiquit. illustr. T. III. pl. 158. edidit.

CEPHISODOTUS.

Cur utrumque hunc artificem, de quo iam agendum est, *Cephisodotum*, neque Junium secutus *Cephis-*

sodorum scripserim, infra demonstrabitur. Duos autem Cephisodotos fuisse, ipse Plinius XXXIV. 8. s. 19. dicit, quo loco omnia, quae iam sequuntur, velut fundamento niti debent. Plinius enim haec habet: *Cephisodoti duo fuere: prioris est Mercurius, Liberum patrem in infantia nutriens: fecit et concionantem, manu elata; persona in incerto est.* In hoc loco cod. Reg. I. *Cephisodoti* recte habet (de qua scriptura per simplex σ v. Jacobs ad Anthol. Palat. p. 886. De similibus geminationibus eiusdem literae v. Boissonad. ad Nicet. Eugen. p. 214.) codd. Reg. III. IV. Dufresn. I. II. Polling. *Cephissodoti;* in codicibus Reg. II. Colbert. magna hic est lacuna. — Aetatem utriusque artificis ipse Plinius accurate tradidit, unum Ol. CII. cum Polycle (sc. natu maiore) Leochare et Hypatodoro (ubi cod. Reg. I. III. IV. Dufresn. I. II. Polling. *Cephissodotus,* Reg. II. *cepis sicotus,* Colbert. *cepis sicrotus* exhibent, quibus ex corruptelis vera tamen lectio comprobatur, cuius rei novum exemplum statim infra videbimus), alterum Olymp. CXX. (multi codd. CXXI.) cum Eutychide, Euthycrate aliisque artificibus floruisse. In hoc loco ne unus quidem codicum Plinianorum *Cephisodotus* tuetur, sed omnes valde sunt corrupti; attamen iidem omnes librariorum errores arguunt lectionem primariam et h. l. *Cephisodotus,* neque *Cephisodorus* fuisse. Nam in Reg. I. *thepis sicrotus,* Reg. II. *cepis sicotus,* Dufresn. I. II. Reg. IV. Polling. *chepis. Sicrotus,* Colbert. *cepis, sicrotus* Reg. III. *chephis, Sicrotus* legitur. Variae hae scripturae et in edd. antiquis apud Thierschium (Epoch. III.

Adnot. p. 90.) obviae inveniuntur, quas omisi, cum codd. sufficere mihi viderentur. Animadvertendum potius est, Pausaniam, sicubi alterutrius Cephisodoti nomen affert, nunquam *Cephisodorum* sed semper *Cephisodotum* scribere, unde codicum Plinianorum lectio confirmatur; et praeterea in codd. Graecis Κηφισόδοτος et Κηφισόδωρος consueto errore confundi (Clintoni fasti Hellen. Ol. CV. 3. p. 114.), quae observatio in nostra quoque quaestione non omni utilitate carebit. Plinius enim XXXVI. 5. s. 4. *Praxitelis filium Cephisodorum* dicit, ubi codex Pintian. vulgatam lectionem defendit; in Reg. I. ultima syllaba evanuit (cuius igitur summa auctoritas nobis hic deest); Reg. II. Colbert. *ephissodonus*, et Dufresn. I. *ephisodone* exhibent, quibus portentosis lectionibus nihil tribuendum est. Thierschius l. l. etiam hic *Cephissodotus* rescripsit, rei veritatem bene perspiciens, internis tamen magis quam externis rationibus motus. At ne hae quidem nos deficiunt. Etenim Praxitelis filius *Cephisodotus* una cum fratre Timarcho ligneas imagines Lycurgi Atheniensis fecisse a Pseudo-Plutarcho (Vitae X. Oratt. p. 843. E. p. 258. T. IV. ed. W.) narratur, ita ut iam de vera huius quoque loci Pliniani scriptura dubitatio esse nequeat. Unus Plinii restat locus (XXXIV. 8. s. 19.) *Cephissodorus fecit Minervam mirabilem,* ubi Reg. I. quidem literam *R* tuetur, Dufresn. I. *cephis ysidorus,* et Colbert. *cephis hisidorus* exhibent; at hic etiam in uno certe licet non optimae notae codice (Reg. II.) *Cephissodotus* exstat, quod cur respuatur non video, cum codex aliquis,

quamquam omnino est interpolatus, tamen singula antiquae et verae scripturae vestigia bene servare potuerit.

Qualicunque hac critica diatriba de nomine artificum praemissa, ad ea quae de unoquoque eorum constant enarranda progredi nobis licet, ubi consuetudinem nostram sequentes ignorantiam potius confitebimur, quam ad coniecturas, quae fundo omni destitutae hariolationes recte dicantur, nos abripi patiemur.

I. *Cephisodotus* statuarius Ol. CII. ante Ch. n. 372. fuit Atheniensis. Colligere hoc ex eo possumus, quod prior uxor Phocionis, qui Ol. CXV. 4. ante Ch. n. 317. veneno necatus obiit, Cephisodoti soror fuit. Atheniensi vero civi non nisi Atticam virginem ducere licuit. (Plutarchi Phoc. 19. *τῶν δὲ γυναικῶν, ἃς ἔγημε, περὶ τῆς προτέρας οὐδὲν ἱστορεῖται, πλὴν ὅτι* Κηφισόδοτος *ἦν ὁ πλάστης, ἀδελφὸς αὐτῆς.*) De eo artifice, ut iam supra s. v. *Callistonicus* indigitavi, valere videntur verba Pausan. VIII. 30, 5. qui de porticu urbis Megalopolis (conditae Ol. CII. 2.) agens addit: *ταύτης τῆς στοᾶς ἐστιν ἐγγυτάτω ὡς πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα ἱερὸν* Σωτῆρος *ἐπίκλησιν* Διός· *κεκόσμηται δὲ πέριξ κίοσι. καθεζομένῳ δὲ τῷ* Διῒ *ἐν θρόνῳ παρεστήκασι τῇ μὲν ἡ* Μεγάλη *πόλις, ἐν ἀριστερᾷ δὲ* Ἀρτέμιδος Σωτείρας *ἄγαλμα· ταῦτα μὲν λίθου τοῦ* Πεντελησίου Ἀθηναῖος Κηφισόδοτος *καὶ* Ξενοφῶν *εἰργάσατο.* Cur vero huic Cephisodoto neque minori illud opus tribuendum censeam, causa haec est, quod cives Megalopolitanos Jovi Servatori templum et statuam simul fere cum urbe condita dedicasse satis est probabile. Idem vero, et hoc certo

scimus, Cephisodotus Mercurium fecit, qui Liberum patrem infantem nutrit, et concionantem manu elata, cuius persona in incerto fuit. (Plinius XXXIV. 8. s. 19.

II. Cephisodotus minor et ipse statuarius, quamquam et picturae et arti sculpendi vacasse videtur, Ol. CXX. vel ut alii codd. CXXI. florens, filius Praxitelis, qui Ol. CIV. vixit, et frater Timarchi fuit (Pseudo-Plutarch. l. l.), quod ignorasse videtur Plinius XXXIV. 8. s. 19. Rem maximi momenti Pseudo-Plutarchus l. l. narravit, Cephisodotum cum Timarcho imagines ligneas Lycurgi Atheniensis eiusque filiorum Abronis, Lycurgi et Lycophronis in Erechtheo Athenis dedicatas pinxisse. Lycurgus Ol. CXIV. 2. ante Ch. n. 323. vita excesserat (Clintoni fasti Hellen. ad h. a. p. 147.), eique statua Ol. CXVIII. 2. ante Ch. n. 307. est decreta. (Clinton l. l. p. 155.) Plinius igitur cum Pseudo-Plutarcho egregie consentit, praesertim quum meminerimus, non Lycurgi solum, sed eius filiorum quoque imagines pictas fuisse. Praeterea idem Cephisodotus philosophos (Plin. l. l.) et nonnullas meretricum statuas fecit. (Tatian. adv. Gr. 52. p. 114. ed. Worth.) De minore enim Cephisodoto sermonem esse, inde patet, quod Tatianus eum in his statuis faciendis una cum Euthycrate operam collocasse dicit, qui a Plinio eius aequalis Ol. CXX. nominatur.

Restant nonnulla Cephisodoti opera, quae utri vindicanda sint, in ambiguo est. Si quid tamen coniectura assequi velis, facile priori ea dabis, utpote qui

minore clarior atque artis peritior fuisse videatur. Plinius enim XXXIV. 8. s. 19. *Minervam eius mirabilem (aeream) in portu Atheniensium* laudat, *et aram ad templum Jovis Servatoris in eodem portu, cui pauca comparantur.* Pausanias IX. 16, 1. ait: *οὗτος (Κηφισόδοτος) τῆς Εἰρήνης ἐν ἄγαλμα Ἀθηναίοις Πλοῦτον ἔχουσαν πεποίηκεν*; et idem 30, 1. novem Musarum et rursus trium aliarum imagines a Cephisodoto factas in Helicone vidit, neque tamen addens, qua materia in iis faciendis artifex usus fuerit. Qua de causa arbitrari possis, has certe Musas prioris Cephisodoti opus fuisse, exposui infra s. v. *Strongylio.* Adde *Praxiteles* I. sub fin. et *Timarchus.*

CHAEREAS.

Statuarius de quo Plinius XXXIV. 8. s. 19. haec tradit: *Chaereas Alexandrum Magnum et Philippum patrem eius fecit.* Alium eiusdem nominis *χρυσοτέκτονα* memorat Lucianus in Lexiphane p. 334. edit. Wetst.

CHAEREMO.

Scalptor gemmae apud Winckelm. descript. n. 238.

CHAEREPHANES

Pictor incertae aetatis et patriae, de quo cfr. Plutarch. aud. poet. p. 18. B. *γράφουσι καὶ πράξεις ἀτόπους ἔνιοι, καθάπερ — Χαιρεφάνης ἀκολάστους ὁμιλίας γυναικῶν πρὸς ἄνδρας*, ubi Wyttenbachius Animadvss. p. 200. hoc nomen ex Nicophane (quem vide) corruptum esse suspicatur, forsitan recte.

CHALCOSTHENES.

Statuarius incertae patriae atque aetatis, quem comoedos et athletas fecisse ait Plinius XXXIV. 8. s. 19. Valde equidem dubito, an alter Chalcosthenes, auctor operum fictilium Athenis, unde locus ubi officinam habuit Ceramicus appellatur, (Plin. XXXV. 12. s. 45.) idem sit atque ille modo memoratus. Quamquam enim de aetate utriusque viri nihil scimus, tamen origo nominis Ceramici antiquiori tempori tribuendum esse videtur, quam quo comoedorum statuae fieri solebant. Neque unius artificis esse videntur cruda opera et aenea, praesertim quum Chalcosthenes figulum nulla alia arte praestitisse ex Plinio coniicere possimus.

CHARES.

Statuarius Lindi in insula Rhodo natus a Lysippo artem statuariam edoctus, qui eum prae ceteris suis discipulis dilexisse videtur. Auctor enim ad Herennium IV. 6. ait: *Chares a Lysippo statuas facere non isto modo didicit, ut Lysippus caput ostenderet Myronis, brachia Praxitelis, pectus Polycleti, sed omnia coram magistrum facientem videbat, ceterorum opera vel sua sponte considerare poterat.* Lindium eum et Plinius XXXIV. 7. s. 18. et Strabo XIV. p. 652. dicunt, uterque de eius colosso Solis agens. Et hic quidem ait: τὸν τοῦ Ἡλίου κολοσσόν φησιν ὁ ποιήσας τὸ ἰαμβεῖον, ὅτι

— — ἑπτάκις δέκα
Χάρης ἐποίει πηχέων ὁ Λίνδιος

unde eidem carmini in Anthol. Planud. IV. 82. (An-

tholog. Palat. T. II. p. 648.) ubi Simonidi tribuitur, pro Λάχης restituendum est Χάρης. (V. ibi Jacobs. T. III. p. 847.) De ipsius colossi fatis hic agere non attinet; addenda potius haec sunt verba Plinii l. l. *Habent in Capitolio admirationem et capita duo, quae P. Lentulus Consul dicavit: alterum a Charete supra dicto factum; alterum fecit Decius, comparatione in tantum victus, ut artificium minime probabilis artificis videatur,* ubi pro *probabilis* invitis omnibus codd. *improbabilis* emendandum videtur. Syllaba *im* a praecedente voce *minime* facile absorberi potuit. Sententia vero hanc mutationem prorsus requirit. — His iam scriptis vidi etiam Thierschium (Epoch. III. Adnot. p. 94.) in eandem coniecturam incidisse.

CHARITO.

Pictor vasculi Graeci apud Millingen peintures — de la collection de Coghill. tab. 11.

CHARMADAS.

Pictor aetatis atque patriae incertae, quem Plinius XXXV. 8. s. 34. pictoribus monochromatum vetustissimis accenset, quo loco paullo festinantius inspecto Henricus Meyerus hist. artt. Gr. T. I. p. 39. eo se adduci passus est, ut quae de Eumaro dicenda fuerunt, ad Charmadam referret. Ipsum nomen, quod Durando certe teste in Ed. I. recte legitur, in codd. varie corruptum est, ita tamen ut omnia vestigia eo ducant, *Charmadas* neque quod Junius habet, *Charmas* legendum esse.

CHARTAS.

Statuarius qui una cum Syadra (uterque vero Spartanus fuit) Euchirum Corinthium artem fingendi docuit. A Charta vero et Syadra quarto gradu (si Graecam numerandi rationem sequare) artem accepisse dicebatur Pythagoras Rheginus (Paus. VI. 4, 2.), unde tamen de aetate utriusque artificis quidquam extricari posse frustra speres, nisi quidem ea quam infra (*Euchir* II.) ingressus sum via pergere velis, quae mens fuisse videtur Odofredi Mülleri, qui in Dorr. II. p. 494. Olymp. LIX. eum vixisse statuit.

CHERSIPHRO.

Architectus Cnosius (Plin. VII. 37. s. 38. Vitruv. VII. Praef. §. 16. coll. §. 12.) male interdum Ctesiphon dictus, qui cum filio Metagene primam Dianae Ephesiae aedem Ionico genere aedificavit, vel certe aedificare incepit (Strabo XIV. p. 640. C.) quae deinde ab Herostrato incensa est. Mira de eodem templo protulit Pausanias VII. 2, 4. qui aperte vetustius quoddam cum eo quod Chersiphro exstruxit confudit; et Plinius quoque (XXXVI. 14. s. 21.) magno errore versatus est, quum ultimum ac celeberrimum Dianae templum a Chersiphrone conditum fuisse traderet. Thierschius vero (Epoch. II. Adnot. p. 37.) inde quod Diogenes Laert. II. 9. Aristippi §. 19. Theodorum Samium, Rhoeci filium, eiusdem templi fundamentum carbonibus stratis munivisse narrat, recte colligit, Chersiphronem circa Olympiadum initium vixisse.

CHIMARUS.

Statuarius qui circa Tiberii tempora vixit. Mentionem eius facit inscriptio apud Donati Suppl. Inscriptt. ad nov. thes. Murat. Vol. II. p. 210. *Germanico Ti. Caesaris F. Divi Augusti N. C. Julius Chimarus idem statuas et aediculam effecit, sedes marmoreas posuit.*

CHIO.

„Chio Corinthius a Vitruvio in Prooemio lib. III. [§. 2.] recensetur inter artifices qui nullam memoriam sunt consecuti, quod non ab industria artisve sollertia, sed a felicitate fuerunt deserti." Junius in Catalogo.

CHIONIS.

Statuarius hic Corinthius statuas Minervae et Dianae fecit, quae partes magni donarii a Phocensibus Delphos dedicati fuerunt. (Pausan. X. 13, 4.) Quum vero Pausanias dicat, in bello, cuius in memoriam illud opus factum fuerit, Telliam vatem Eleum Thessalos contra Phocenses duxisse (coll. X. 1, 4.), Chionidem paullo ante Darii et Xerxis expeditiones in Graeciam susceptas floruisse probabile est. Cfr. quae supra s. v. *Ageladas* p. 15. sq. de his bellis disputavi. Eos vero qui aliud etiam opus a Chionide factum esse credebant, cum potius Myronis esset, refutavit Pausan. VI. 13, 1.

CHIRISOPHUS.

Statuarius patria Cretensis, de cuius aetate et magistro Pausanias (VIII. 53, 3.) nihil comperti se ha-

bere dicit. Fecit inauratum Apollinis simulacrum Tegeae cui Chirisophus ipse e marmore adsistit. Boeckhius quidem (Corp. Inscr. I. p. 19.) hunc artificem non valde antiquum fuisse suspicatur, quod tamen suspicaretur non necesse fuit, cum Pausanias non tradiderit, Chirisophum ipsum se lapide sculpsisse. Mihi potius ipsum nomen aliis multis similibus comparatum summae antiquitatis indicium esse videtur. Adde Hermannum in libro: Ueber H. Prof. Böckh's Behandlung der Griech. Inschriften p. 204.

CHRYSOTHEMIS.

Statuarius Argivus qui una cum Eutelida et ipso Argivo statuas Demarati eiusque filii Theopompi athletarum fecerunt. (Pausan. VI. 10, 2.) Vicerat Demaratus Olympiade LXV. et LXVI. ita ut illi artifices eodem fere tempore floruisse credi possint. Pausanias ipsam inscriptionem statuis incisam attulit, qua uterque a maioribus suis artem se edoctum fuisse profitetur.

CIMO.

I. Pictor Cleonis natus, qui artem adhuc rudem magis perfecit, et post Eumarum Atheniensem, cuius inventa excoluit, vixit. Locus de eo, ut dicunt, classicus (a nobis e cod. Reg. I. emendatus) est apud Plinium XXXV. 8. s. 34. *Hic* (Cimo) *catagrapha invenit, hoc est, obliquas imagines, et varie formare vultus respicientes, suspicientes vel despicientes, articulis membra distinxit, venas protulit, praeterque in veste rugas et sinus invenit.* Eundem Cimonem spe-

ctant quae Aelianus V. H. VIII. 8. narrat, ubi pro Κόνων legendum esse Κίμων dudum V. V. D. D. perspexerunt. Κίμων ὁ Κλεωναῖος ἐξειργάσατό, φασι, τὴν τέχνην τὴν γραφικὴν, ὑποφυομένην ἔτι καὶ ἀτεχνῶς ὑπὸ τῶν πρὸ αὐτοῦ καὶ ἀπείρως ἐκτελουμένην καὶ τρόπον τινὰ ἐν σπαργάνοις καὶ γάλαξιν οὖσαν. διὰ ταῦτά τοι καὶ μισθοὺς τῶν πρὸ αὐτοῦ ἔλαβεν ἁδροτέρους. Bis eum memorat Simonides in Anthol Palat. IX. 758. et Append. T. II. p. 648. (Anth. Planud. IV. 6, 84.) unde vero nihil ad eius ingenium cognoscendum proficimus. Inter recentiores de eo potissimum egit Böttigerus Archaeol. Pict. T. I. p. 235. sqq. qui et primus de aetate Cimonis sententiam tulit. Quod enim Simonides l. l. unam valvam templi nobis ignoti a Cimone, alteram a Dionysio, qui nullus alius nisi Colophonius esse potest, pictam fuisse tradit, Cimo et Dionysius inde maxima cum probabilitate aequales efficiuntur. Dionysius vero Polygnoti quoque aequalis fuit, ita ut et Cimo et Dionysius Ol. LXXX. floruerint. Haud quidem negare voluerim, haec a Böttigero recte disputata esse posse; attamen hoc unum mihi etiamnum dubium est, an Cimo, quem quidem bonum artificem at in limine artis subsistentem novimus, Polygnoti aequalis dici possit, praesertim quum Dionysium tabulas Polygnoti imitari studuisse sciamus. Proinde nondum hanc litem dirimere ausim; Dionysii nomen adeo vulgare est, ut tantum de uno illo Colophonio cogitetur haud necesse sit.

II. Nobilis sculptor vel caelator poculorum. Athen. XI. p. 781. E. T. IV. p. 212. ed. Schw. ubi v. V.V.D.D.

III. Hoc nomen reperitur in multis numis Syracusanis, vel totum exscriptum vel per KIM et simplex K indicatum, et Payne-Knight in dissertatione (Archaeologiae Vol. XIX. p. 369. sqq.) cuius notitiam humanitati Henrici Hasii archaeologi Dresdensis debeo, recte censet, monetarium illo nomine significari.

CLEANTHES.

Pictor Corinthius, a quo nonnulli graphicen inventam dixerunt. (Plin. XXXV. 3. s. 5.) Eum certe inter primos graphices inventores recenset quoque Athenagoras legat. pro Christianis 14. p. 59. ed. Dechair. Strabo autem VIII. p. 343. C. eum cum Aregonte Corinthio (quem vide supra) templum Dianae Alpheoniae picturis ornasse dicit. Et Cleanthes quidem Τροίας ἅλωσιν καὶ Ἀθηνᾶς γονὰς pinxit, cuius rei locuples testis est Athen. VIII. 346. C. referens, in hac tabula fuisse Neptunum parturienti Jovi thynnum offerentem.

CLEARCHUS.

Statuarius Rheginus, praeceptor Pythagorae Rhegini circa Ol. LXVIII. (v. *Pythagoras*); et Clearchum quidem Euchirus Corinthius artem docuisse putabatur (Pausan. VI. 4, 2.), incertum quo gradu. Nam Euchirum multo ante Pythagoram vixisse satis constat; adde quae breviter in eandem sententiam s. v. *Chartas* disseruimus, quamquam fortasse alia ratione rem expedire possumus. (V. *Euchir* II.)

CLEO.

I. Statuarius Sicyonius, de quo Pausan. V. 17, 1.

Κλέωνος Σικυωνίου διδάσκαλος, ὄνομα Ἀντιφάνης, ἐκ φοιτήσεως Περικλείτου. Πολυκλείτου δὲ ἦν τοῦ Ἀργείου μαθητὴς ὁ Περίκλειτος. Et aetas quidem Cleonis hactenus definiri potest, ut Olympiade XCVIII. ante Ch. n. 388. (Pausan. V. 21, 2.) et Ol. C. a. Ch. n. 380. (Pausan. VI. 1, 2.) artem exercuerit. Plinius XXXIV. 8. s. 19. eum felicissime philosophos expressisse dicit; sed et Veneris aeream imaginem (Paus. V. 17, 1.) et duo Jovis signa ex pecunia multaticia (Pausan. V. 21, 2.) fecit. Potissimum vero athletarum statuis operam navasse videtur, quum Pausanias haec athletarum simulacra ab eo facta memoret: Alceti Arcadis (VI. 9, 1.) Damocriti sive Critodami (VI. 8, 3.) Dinolochi Elei fratris Troili qui Ol. CII. vicerat (VI. 1, 2.) Hysmonis Elei (VI. 3, 4.) et Lycini Heraeensis (VI. 10, fin.)

II. Pictor, cuius Cadmus a Plinio XXXV. 11. s. 40. memoratur. Unus Vossianus et Reg. I. veram lectionem *Cleon Cadmo* praebent; reliqui libri mirum quantum corrupti sunt.

III. Scalptor gemmae ap. Bracci pl. 47.

CLEOETAS.

I. Statuarius, qui Sicyone vel natus fuit vel ibi certe artem exercuit, pater et praeceptor Aristoclis minoris Sicyonii, et filius, uti supra s. v. *Aristocles* probare studui, Aristoclis maioris Cydoniatae. Floruit vero circa Ol. LXI. (vide supra l. l.) eiusque haec opera a Pausania memorantur I. 24, 3. *κράνος ἐστὶν ἐπικείμενος ἀνὴρ Κλεοίτου, καὶ οἱ τοὺς ὄνυχας ἀργυ-*

ρους ἐνεποίησεν ὁ Κλεοίτας. VI. 20, 7. ei emendatio formae carcerum Olympicorum tribuitur, quod ipse de se testatus est in basi simulacri ab eo facti, quod Athenis stetit. Multa de hoc artifice docte disseruit Thierschius Epoch. III. Adnot p. 83. ad quae lectores remittendi sunt. De opinione Boeckhii, Cleoetam Phidiae adiutorem in Jove Olympico faciendo fuisse, v. s. v. *Aristocles.*

II. Pictor, de quo vide s. v. *Ludius.*

CLEOMENES.

Plures huius nominis artifices nobis noti sunt; semel quidem tantum unius eorum Plinius XXXVI. 5. s. 4. mentionem facit; at saepius inscriptionibus veteribus memorantur. De variis istis artificibus Visconti (cuius dissertationem ex Jacobsii versione in nova biblioth. liter. eleg. T. LXVIII. p. 1—28. novi) et Thierschius Epoch. III. adnot. p. 88. sq. disseruerunt, unde, coniecturis missis, ea quae certa sunt, hic apponam:

I. *Cleomenis* Thespiadas Asinius Pollio in opera sua transtulit (Plin. l. l.) Ante eversam Corinthum eum floruisse, et Visconti et Thierschius comprobarunt. Noli vero cum Heynio observatt. ad Apollodor. p. 136. cogitare de Thespii filiabus ab Hercule compressis, sed sunt intelligendae Musae, ut iam Harduinus intellexit.

II. *Cleomenes* filius Apollodori Atheniensis statuam Veneris Mediceam fecit.

III. *Cleomenes* Cleomenis filius Atheniensis statuam, cui male Germanici nomen tribuunt, sculpsit, et Thierschius Viscontium secutus eum Cleomenem, cui Venus debetur, patrem Cleomenis, a quo Germanicus factus est, recte dixisse videtur. An vero ad Cleomenem, qui Venerem sculpsit, et Thespiades referri possint, ego diiudicare non ausim, licet sententia ipsa mihi valde arrideat, et magis etiam incertus haereo de iis quae Thierschius p. 91. de statua Germanici ipsa dicit, quam ex Cephisodoti concionante expressam fuisse magno ingenii acumine suspicatur.

CLEOPHANTUS.

Pictor Corinthius, memoratus a Plinio XXXV. 3. s. 5. *Primus invenit eas* (lineas) *colorare testa, ut ferunt, trita Cleophantus Corinthius. Hunc aut eodem nomine alium fuisse, quem tradit Cornelius Nepos secutum in Italiam Demaratum, Tarquinii Prisci Romani patrem, fugientem iniurias Cypseli tyranni* (circa Ol. XXX. Mülleri Doriens T. I. p. 164. 168.) *mox docebimus.*

CLESIDES

Pictor incertae patriae, qui post Alexandri Magni tempus vixit. Certioribus finibus eius aetas circumscribi non potest, quum plures reginae Stratonices nomen gerentes (v. *Artemo* I.) ab antiquis scriptoribus memorentur. Unus eum producit Plin. XXXV. 11. s. 40. *Clesides reginae Stratonices iniuria innotuit. Nullo enim honore exceptus ab ea, pinxit volutantem cum piscatore, quem reginam amare sermo*

erat, eamque tabulam in portu Ephesi proposuit; ipse velis raptus est. Regina tolli vetuit, utriusque similitudine mire expressa.

CLISTHENES.

Architectus scenarumque pictor Eretriensis, pater Menedemi philosophi fuit, qui initio Platonem praeceptorem habuit, unde Clisthenem Socratis aequalem dicere possis. (Diog. Laert. II. Mened. 125.)

CLITO.

Statuarius Socrati aequalis (Xenoph. Memor. III. 10.) quem vere aliquando exstitisse credo, quia Xenophon semper tales homines cum Socrate colloquentes introducit, qui Athenis eius tempore vixerant.

CNEIUS sive GNAEUS.

Scalptor plurium gemmarum, quem Viri Docti seculo Augusti attribuunt. Vide Bracci tab. 48—53.

COEMUS.

Scalptor incertae aetatis et patriae, cuius tres gemmae exstant apud Bracci memorie tab. 54. 55. et Visconti Iconogr. Grecque tab. 17. nr. 2.

COENUS.

Pictor incertae aetatis et patriae, qui *stemmata* pinxit, notus tantum ex Plinio XXXV. 11. s. 40. ubi cod. Reg. I. lectionem vulgatam tuetur. Quum quomodo stemmata pingi possent, interpretes non per-

spicerent, varia de hoc loco commenti sunt. Et Brotierius quidem (T. VI. p. 394.) ineptissime ait: „stem„mata, *des Alliances.* Sic mox supra et infra Syn„genicon, *une assemblée de famille.*" Aliam Hermolai Barbari emendationem nunc quidem mittimus, refutaturi illam pluribus, quam alii attulerunt, argumentis loco suo proferendis. Non in clarorum pictorum ordine fuisse Coenum, quisque me non monente videbit; idem fecit, quod Ismeniam quendam fecisse scimus, *pinxit stemmata,* quod qua ratione fieri potuerit, exposuit Gesnerus ad chrestom. Plin. p. 943. et in thes. L. L. s. h. v. unde explicandos esse puto *pictos vultus* apud Juvenal. VIII. 2.

COLOTES.

I. Statuarius, cuius aevum ita incertum est, ut eum partim Phidiae, partim Pasitelis, qui Pompeii M. aetate vixit, aequalem recte dicere possis. Initium huius quaestionis faciendum est a Plinio, qui (XXXIV. 8. s. 19. XXXV. 8. s. 34.) Phidiam a discipulo suo Colota in Jove Olympico faciendo adiutum fuisse refert. Praeterea Plinius priore loco narrat, eum Minervam Elide et philosophos fecisse. Strabo vero VIII. p. 337. D. Cyllenes in Elide Colotae Aesculapium, *θαυμαστὸν ἰδεῖν ξόανον ἐλεφάντινον,* viderat, ex quo fonte Eustathius ad Iliad. β. 603. sua ducens addit, eundem artificem et Bacchum fecisse. De patria igitur Colotae nos adhuc nihil scimus, quam nos nunc demum docet Pausanias V. 20, 1. „Olympiae videtur et *τράπεζα, ἐφ' ἧς προτίθενται τοῖς νικῶσιν οἱ στέ-*

φανοι. — — ἡ τράπεζα δὲ ἐλέφαντος μὲν πεποίηται καὶ χρυσοῦ, Κολώτου δέ ἐστιν ἔργον εἶναι δέ φασιν ἐξ Ἡρακλέους τὸν Κολώτην. οἱ δὲ πολυπραγμονήσαντες σπουδῇ τὰ ἐς τοὺς πλάστας, Πάριον ἀποφαίνουσιν ὄντα αὐτόν, μαθητὴν Πασιτέλους. Πασιτέλη δὲ αὐτὸν διδαχθῆναι" ubi nomen artificis qui Pasitelem docuerat, evanuit temporis iniuria. (Ita Amasaeus, Siebelisius, Thierschius, alii. Boeckhii enim opinio ab aliis iam in medium prolata, legendum esse αὐτοδιδαχθῆναι, quod iam recepit Bekkerus, habet quo offendat.) Ex his Plinii Pausaniaeque locis iam sequitur, Coloten Phidiae et Pasitelis discipulum fuisse, ut saepe ab aliis scriptoribus alios praeceptores artifici alicui tribui videmus. (v. *Apelles.*) Priusquam tamen inde ad reliqua progredi licet, gravis dubitatio removenda est. Etenim unum tantum inter artifices Pasitelem novimus, qui Pompeii M. aetate vixit, et de quo in Amaltheae Vol. III. p. 296. diximus. Hinc et Heynius (Opusc. Acad. V. p. 390.) et Thierschius (Epoch. Art. Gr. III. Adnot. p. 78. sq.) duos Colotas a se discernendos esse dixerunt, unum discipulum Phidiae, alterum Pasitelis. Alii vero plane contrarium docuerunt, et permiro sane casu accidit, ut vel unum Coloten et duos Pasiteles, vel unum Pasitelem et duos Colotas fuisse arbitremur oporteat. Alterutrum eligendum est, et eorum sententiae equidem accedo, qui unum tantum Coloten exstitisse putant. (Harduinus in indice auctorum a Plinio laudatorum s. v. Pasiteles T. I. p. 124, falsi tamen aliquod admiscens; Siebelisius ad Pausan. T. II. p. 258. Boeckhius in Corp. Inscr. Gr. T. I. p. 41.)

Quorum quem postremo loco nominavi quum omnia quae ad stabiliendam illam opinionem afferri possunt attulerit, noctuas Athenas ferre nolo, satius putans eius verba in usum lectorum huc transscribere: „Esse hunc (a Pausania commemoratum) eundem, de quo Plinius, multa mihi persuadent. Primum enim, ut ille Plinianus, Olympiae artem exercuit; et finxit ex ebore et auro: hinc adiutorem eum Phidias delegit, qui Jovem Olympium ex ebore et auro fecit; neque eum recentiore aetate vixisse ex ipso colligitur Pausania: tenuis enim de eo fama superfuit iis tantum nota, qui veterum artificum res studiose scrutati erant; nec credibile illam mensam, quae in Junonis templo posita erat, opus fuisse novicium: — — quodsi Plinius Parium Phidiae discipulum vocat, videtur id inde collegisse, quod Phidiae socius fuit; Pasitelem autem Colotae magistrum eum fuisse, qui sub Lucullo floruit, vix cuiquam Heynius persuaserit, recteque alii illum multo antiquiorem statuerunt.“ Hinc res, ut paucis dicam, ita se habet: Colotes Parius Pasitelis et Phidiae discipulus cum hoc Jovem Olympicum, solus mensam ex aure et ebore, Minervam, Aesculapium et philosophos facit. Ab illo Pasitele, qui fere Ol. LXXVIII. vixit, alias ignoto, discernendus est alter Pasiteles eo celebrior, qui Pompeii M. aetate floruit. Unus tantum Colotes fuit.

II. Pictor Teius, qui Timanthis aequalis Olymp. XCVI. floruit. Unus eum memorat Quintilianus II. 13. qui Colotem a Timanthe victum esse dicit.

COPONIUS.

Sculptor Romanus, qui Pompeii Magni aetate vixit, et XIV. nationes, quae circa Pompeii theatrum fuerunt, fecit. Plinius XXXV. 5. s. 4. quem locum recte explicuit Thierschius Epoch. III. adnot. p. 94.

CORE.

Femina Corinthia, quam Athenagoras (legat. pro Christ. 14. p. 59. ed. Dechair.) invenisse plasticen ait. Vide infra s. v. *Dibutades*.

CORNELIUS, vide PINUS et SATURNINUS.

COROEBUS.

Architectus qui Periclis aetate vixit. Plutarch. Pericl. 13. *τὸ ἐν Ἐλευσῖνι τελεστήριον ἤρξατο μὲν Κόροιβος οἰκοδομεῖν, καὶ τοὺς ἐπ' ἐδάφους κίονας ἔθηκεν οὗτος καὶ τοῖς ἐπιστυλίοις ἐπέζευξεν. ἀποθανόντος δὲ τούτου κ. τ. λ.*

CORYBAS.

Pictor incertae patriae, Nicomachi discipulus. (Plin. XXXV. 11. s. 40.) Quum autem Nicomachus circa Ol. C. floruerit (v. infra et s. v. *Aristodemus*), Corybas fere Ol. CVIII. attribuendus erit.

COSSUTIUS.

Civis Romanus, qui regi Antiocho Epiphani (ante Chr. n. 176—164.) operam suam in templo Jovis Olympii Athenis exaedificando locavit, et *cellae magnitudinem et columnarum circa dipteron collocatio-*

nem, epistyliorumque et ceterorum circa ornamentorum ad symmetriam distributionem magna solertia scientiaque summa nobiliter est architectatus. Vitruv. VII. Praef. §. 15. De ipsius Antiochi studio templi aedificandi v. quos laudavit Jacobsius in Amalth. T. II. p. 249.** Adde Odofr. Müllerum in Encyclop. Ersch. et Grub. P. VI. p. 233.

CRATERUS.

Sculptor qui cum Pythodoro aliisque artificibus Palatinas domos Caesarum probatissimis signis replevit. Floruit igitur primo post Ch. n. seculo. Plin. XXXVI. 5. s. 4.

CRATES.

Caelator clarus incertae patriae atque aetatis, memoratus ab Athenaeo XI. p. 782. B. T. IV. p. 215. ed. Schw.

CRATINUS.

I. Pictor incertae aetatis et patriae, cuius nomen Plinio XXXV. 11. s. 40. primus Brotierius recte restituit, cum antea invitis codd. *Craterus* legeretur. Et locus ipse apud Brotierium ita se habet: *Cratinus comoedos Athenis in Pompeo pinxit.* Omnes quidem mei codd. *Cratinus* defendunt; at idem *comoedus* habent. Putare quidem iam posses, alterutrum Cratinorum, qui comicas scripserunt fabulas, pingendi quoque artem exercuisse; at ne unus quidem ceterorum scriptorum hoc tradit, et Plinius ipse, qui paullo infra *Cratinum* pictorem iterum memorat, de comico poeta ne verbulum quidem dicit. Ibi enim *Irene Cra-*

tini pictoris filia et discipula puellam Eleusine pinxisse traditur, (ubi Harduinus male de Cratino statuario cogitavit) quod et Clemens Alexandr. Strom. IV. p. 523. B. ed. Sylb. testatur; sed apud hunc quoque frustra comicum poetam quaeres. Unde Meinekio Viro Eximio, cuius fragmenta Cratinea et Eupolidea cupide exspectamus, vix assentiam qui in Quaestt. scen. I. p. 16. Irenam filiam Cratini comici dicit. Et Viri Docti (Harduinus ad Plin. l. l. coll. Meurs. lectt. Att. II. 15.) *comoedos* quodammodo interpretati sunt; quum vero *comoedus* in omnibus codd. exstet, interpretatio illa incassum facta est. Hinc ego non dubito, quin *comoedus* ineptum sit librarii doctrinam qualemcunque prodituri additamentum, quod quondam ex editione illorum Plinii librorum eiiciam vel certe uncis includam.

II. Statuarius Spartanus, incertae aetatis, qui Phillis Elei luctatoris statuam fecit. Pausan. VI. 9, 1.

CRATO.

Pictor Sicyonius, quem graphicen primum invenisse testatur Athenagor. legat. pro Christ. 14. p. 59. ed. Dechair.

CRITIAS.

Statuarius quem Plinius XXXIV. 8. s. 19. circa Oymp. LXXXIII. vixisse dicit. Praeceptor fuit Ptolichi Corcyraei, et inprimis statuis tyrannicidarum a se factis nobilitatus est. (Lucian. Philops. 18. Pausan. I. 8, 5.) Quas enim primas Antenor fecerat, Xerxes spolia secum duxit (v. s. v. *Antenor.*); et quum e

Marmore Pario (Epoch. LV.) compertum habeamus, recentiores illas Critiae statuas Ol. LXXV. 4. positas fuisse, causam non video, qua ductus Thierschius (Epoch. III. Adnot. p. 81.) Plinium reprehenderit. Praeterea una tantum eius statua nobis innotuit Epicharini sive Epicharmi, qui se in cursu armatorum exercuerat, in acropoli Attica constituta (Pausan. I. 23, 11.) Qua autem patria fuerit Critias, veteres scriptores non accurate dixerunt. Pausanias enim VI. 3, 2. Atticum eum appellat, reliquis duobus locis id silentio praeteriens. Lucianus autem l. l. et Rhet. praecept. 9. Nesiotae sive Insulani cognomen ei tribuit, quod idem Plinium l. l. fecisse nemo nunc amplius dubitat. Hic enim Phidiae aemulos *Alcamenem, Critiam, Nestoclem, Hegiam* vocat, ubi Junius in Catalogo s. v. *Critias* pro *Nestocles* legendum esse *Nesiotes* felicissimo acumine vidit, secutis eius sententiam Langio ad Lanzii libellum de arte sculpendi veterum p. 86. Müllero in Aeginet. p. 102. adn. p. Thierschio in Epoch. II. Adnot. p. 34. E codicibus autem meis maxime Reg. I. et Dufresn. I. veram lectionem confirmant, in quibus *Nestotes* legitur, quod quam prope ab illa absit, non est quod demonstrem. De hac igitur re Viris Doctis non dissentientibus, de interpretatione vocis Νησιώτου in varias partes abierunt; omnium optime autem hanc quaestionem Thierschius l. l. pertractavit, docens Critiam eodem iure et Atticum et Insulanum dici potuisse, quum nonnullae parvae insulae litori adiacentes ad ipsam Atticam terram accenserentur.

CRITO.

Sculptor Atheniensis qui cum Nicolao eodem Atheniensi statuam nunc quoque exstantem ex earum genere, quas vulgo Caryatidas vocant, fecit. Aetas incerta. Winckelmannus (Opp. VI. P. I. p. 203) utrumque artificem Ciceronis fere tempore floruisse arbitratur.

CRONIUS.

Scalptor incertae patriae atque aetatis, memoratus a Plinio XXXVII. 1. s. 4. *Post Pyrgotelem Apollonides et Cronius in gloria fuere.* Gemmae, quae ei vulgo tribuitur (Gori inscriptt. Etrusc. Vol. I. tab. 1. nr. 1.), nomen serius additum fuisse, viri docti dudum probarunt. Cfr. Bracci memorie T. II. p. 12.

CTESIAS.

Statuarius et argenti caelator incertae patriae atque aetatis, notus ex Plinio XXXIV. 8, 19. ubi in vett. editt. male *Clesias* legebatur. Veram lectionem Reg. I. III. habent; Dufresn. I. II. *etesias*, Reg. IV. *ethesias*. Eum ut alios similes nullis operum suorum praecipuum dicit Plinius.

CTESICLES.

Sculptor aetatis et patriae incertae, qui Sami e marmore Pario statuam adeo egregiam fecit, ut obscoenum suum huius amorem Clisophus Selimbriacus temperare vix posset. Athen. XIII. p. 606. A.

CTESIDEMUS.

Pictor, *qui innotuit Oechaliae expugnatione et Laodamia.* (Plin. XXXV. 11. s. 40.) Patria incerta; aetatem eius inde colligere possumus, quod Antiphilus eum praeceptorem habuit. (Plin. XXXV. 10. s. 37.) Quum vero Antiphilus Ol. CVI. ante Ch. n. 386. artem iam exerceret (v. supra), Ctesidemum circa Ol. XCVIII. ante Ch. n. 388. vixisse valde verisimile est.

CTESILAUS.

Statuarius incertae patriae, qui Periclis aetate vixisse videtur, cum eius statuam ex aere funderet. Quodsi ipsum eius nomen spectamus, e stirpe Dorica eum prognatum fuisse haud improbabile est, quum partim *Ctesilaus* communi dialecto, partim *Ctesilas* (Κτησιλᾶς) Dorice appelletur. Solus de eo verba fecit Plinius variis in locis. XXXIV. 8, 19. *Venere et in certamen artifices laudatissimi, quamquam diversis aetatibus geniti, quoniam fecerant Amazonas quae cum in templo Ephesiae Dianae dicarentur, placuit eligi probatissimam ipsorum artificum, qui praesentes erant, iudicio: cum apparuit eam esse, quam omnes secundam a sua quisque iudicassent. Haec est Polycleti, proximi ab eo Phidiae, tertia Ctesilae, quarta Cydonis, quinta Phradmonis.* Qui locus quamquam varia inepta continet, certiores tamen nos facit, Ctesilaum, quem Phidiae fere aequalem fuisse supra monui, Amazonem vulneratam fecisse, simulque veram lectionem alius loci probat. Paullo enim infra in codd. et edd. legitur: *Desilaus fecit Doryphoron et*

Amazonem vulneratam Ut vero omittam, Δησίλαον esse nomen Graecis inauditum, *Ctesilaus* verbis supra laudatis et potissimum iis argumentis quae Viri Docti ex ipsis statuis Amazonis vulneratae superstitibus petierunt ita defenditur, ut eorum virorum sententiam, qui *Desilaum* ex errore natum esse pronuntiarunt, improbare non possim. Jam vero quaeritur, cui error imputandus sit; et quum locus proxime allatus initium faciat eius commatis, in quo artifices a litera *D* nomen auspicantes proferuntur; quum porro ipse *Ctesilaus* statim supra, primordio commatis praegressi memoretur, denique autem ne unus quidem codex *Ctesilaus* sed omnes *Desilaus* habeant, hic Plinium potius quam librarium aliquem erroris arguere malim, quod quo iure faciam, cum ipse variis in locis huius libelli exemplis similibus docui, tum alii prolixius doctiusque comprobarunt. Et restat iam ultimus Plinii de Ctesilao locus, quem iam supra indigitavi: *Ctesilas* (sic scribendum, quum codd. *Cresilas* habeant) *vulneratum deficientem, in quo possit intelligi quantum restat animae: et Olympium Periclem, dignum cognomine.*

CTESILOCHUS.

Pictor, *Apellis discipulus, petulanti pictura innotuit: Jove Liberum parturiente depicto mitrato, et muliebriter ingemiscente inter obstetricia Dearum.* Plin. XXXV. 11. s. 40. Ex hoc loco corrigendus est Suidas, qui s. v. Ἀπελλῆς fratrem Apellis *Ctesiochum* nominat; et seu vere fratrem Apellis Ctesilochum putemus, sive ex ea loquendi ratione, qua discipuli arti-

ficum eorum filii fratresve dicuntur, et Suidam locutum fuisse arbitremur, aetas certe Ctesilochi hinc nobis nota fit, quem, quum Apellem potissimum Ol. CXII. floruisse sciamus, eodem fere tempore vixisse statuamus; etenim *frater* fuit.

CYDIAS.

Pictor in insula Cythno, una Cycladum natus, (Eustath. ad Dionys. Perieg. 526.) floruit tempore Euphranoris Ol. CIV. *Eodem tempore* (sc. quo Euphranor vixit) *fuit et Cydias, cuius tabulam Argonautas H—S.* CXLIV. *Hortensius Orator mercatus est, eique aedem fecit in Tusculano suo.* Inde eam per M. Vipsanium Agrippam in porticum Neptuni pervenisse, ex Dione Cassio LIII. 27. p. 721. T. I. ed. Fabric. (*τὴν στοὰν τὴν τοῦ* Ποσειδῶνος *ὠνομασμένην καὶ ἐξῳκοδόμησεν ἐπὶ ταῖς ναυκρατίαις καὶ τῇ τῶν* Ἀργο*ναυτῶν γραφῇ ἐπελάμπρυνε*) collegit Junius, qui praeterea haud male suspicatur, locum Theophrasti de lapidibus 95. *γίνεται μίλτος καὶ ἐκ τῆς ὤχρας κατακαιομένης, ἀλλὰ χείρων. τὸ δὲ εὕρημα* Κυδίου. *συνεῖδε γὰρ ἐκεῖνος, ὥς φασι, κατακαυθέντος τινὸς πανδοχείου τὴν ὤχραν ἰδὼν ἡμίκαυστον καὶ πεφοινιγμένην*, de nostro artifice valere.

CYDO.

Statuarius incertae patriae, Phidiae fere aequalis. Unum, qui de eo agit locum, Plinii supra attuli s. v. *Ctesilaus*, quo lectores remitto.

CYRUS.

Architectus, Ciceronis aetate Romae vivens. (Cic. Fam. VII. 14. Att. II. 3. Qu. Frat. II. 2.) Obiit eodem die, quo et Clodius a Milone occisus est. (Cic. Mil. 17. 18.)

D.

DAEDALUS.

I. De Daedalo nobis acturis hoc praecipue monendum est, nos non de uno quodam artifice, qui illud nomen gesserit, cogitare sed potius illis viris assentire, qui sub hoc nomine primordia omnis artis Graecae latere et de ipso viro in tantum quaerendum esse contendunt, quantum aliquid de patria et terra ubi vixerit a scriptoribus antiquis traditur, unde ad historiam ipsius artis nonnulla lucrari possimus. Hinc de Daedalo narrationem quam Diodor. Sic. IV. 76-78. talem composuit, ut fabulae Romanensi haud dissimilis sit, nullius auctoritatis esse, nisi ubi aliunde confirmetur et magis artis vestigia quam artificem tangat, nemo hodie puto infitiabitur. Hanc vero commentationem trifariam institui, in cuius prima parte de ipso artifice, secunda de eius operibus, tertia de inventis, quae post eum viventibus reliquisse fertur, loquar.

Quod igitur primum ad ipsum artificem attinet, in nomine statim morari cogimur. Pausanias enim IX. 3, 2. omnia simulacra antiquitus δαίδαλα dicta fuisse ait, et prius quidem quam Daedalus Atheniensis natus fuerit, hunc vero ab operibus δαιδάλοις nomen accepisse. Aliquoties iam similia nomina habuimus, plura infra tangemus, quae et initia ipsarum artium, et peritiam, calliditatem aliasque artificum virtutes indicant. Genitum eum fuisse in Attica Diod. Sic. l. l.

Pausan. l. l. VII. 4, 5. alii dicunt. Cretensem eum Auson. Idyll. XII. Technopaegn. Mosella 301. Eustath. ad Hom. Il. σ. 592. vocant, quod inde factum est, quod plurimum temporis in insula Creta egit. (Pausan. VIII. 53, 3.). Athenis Daedali originem vere tributam fuisse, varia indicia arguunt. Philostratus enim Icon. I. 16. p. 27. ed. Jacobs. ait: *αὐτὸς δὲ ὁ Δαίδαλος ἀττικίζει μὲν καὶ τὸ εἶδος, ὑπέρσοφόν τι καὶ ἔννουν βλέπων· ἀττικίζει δὲ καὶ αὐτὸ τὸ σχῆμα.* Theseus vero ap. Plutarchum Thes. 18. (ubi v. Leopold) Daedalum suum consobrinum, filium Meropes dicit, quae Erechthei filia fuit, unde Diodorus eum Erechthidarum genti vindicat. Patris nomen alii scriptores aliud habent, cum Plato Ion. p. 363. et Diod. Sic. eum *Metionem* (unde Pausan. VII. 4, 5. Daedalum Metionidarum familia ortum tradidit) Hyginus (fab. 274. unde fabulae 39. vera lectio restituenda est) Suidas (*Πέρδικος ἱερόν*) Servius ad Virg. Aen. VI. 14. Scholiastes ad Plat. Remp. VII. p. 354, 14. ed. Bekk. Tzetzes (Chiliad. I. 19. XI. 379.) *Eupalamum* (qui Diodoro avus Daedali est), Pausanias IX. 3, 4. *Palamaonem* appellaverint, quae omnia nomina originem ab aliquo callido artisque perito viro significant. Matrem dicit *Phrasimeden* Schol. Plat. l. l. Atticam, ut aiunt, reliquit, quum nepotem ex fratre vel ex sorore, cui artis peritiam invidebat, arce praecipitem deiecisset, et hinc in Cretam secessit, ubi Minos tunc regnavit, (Ovid. Metam. VIII. 241. sqq. Serv. l. l. Hygin. fab. 39. Pausanias I. 21, 6. Suidas l. l.) quem regem quia Athenienses haud obscuris de causis gra-

viter vituperant, reliqui Graeci et praecipue Dores magnis laudibus extollunt, duos inepte ex uno procuderunt. In Creta tauri imaginem et Labyrinthum fecit, de quibus quum omnia ad nauseam usque decantata sint, ea hic repetere nolo. Inde porro in Siciliam ad regem Cocalum confugit (Philisti fragm. I. p. 145. ed. Göller), ubi eum magnis operibus architectonicis, quorum nonnulla Diodori etiam aetate superesse putabantur, operam impendisse sed ibidem quoque obiisse auctor est Diodorus. Secundum alios in Aegyptum pervenit ibique artis suae monumenta reliquit (Scylax Peripl.); fuerunt quoque qui eum coloniae ab Aristaeo in Sardiniam deductae participem fuisse dicerent. Hanc fabularum mirarum farraginem explicare non est huius loci neque mearum virium; unum illud post alios memorasse sufficit, Daedali nomine prima artis initia significari, quae in Attica prognata sit, unde per varias occasiones et in Cretam et in Siciliam pervenerit, nisi potius sumere velis, fugam Creticam et Siculam hac mente fictam fuisse, ut ita quoque odium Ionum atque Doriensium implacabile indicetur. Locus enim Homeri, ad quem infra deveniam, antiquitatem illius narrationis neutiquam probat, quum illic nihil dictum sit, nisi Daedalum Cnosi opus Ariadnae fecisse. Daedali vero nomen quam latae significationis olim fuerit, supra vidimus, et Homerus omnem artificem, quem artis peritia alios superasse dicere voluit, Daedali nomine insignire potuit. Insunt multa in illa narratione, quae odium Atheniensium in regem Minoa probant, et in-

primis notandum videtur, Thesei et Daedali nomina in Labyrintho Cretico convenire.

Progredi nunc licet ad recensum operum quae ab veteribus scriptoribus ei facta esse narrantur. Et primum quidem de architectonicis locuturi *labyrinthum Creticum* memorare debemus, quem eum ad imitationem Aegyptii exstruxisse Diodorus Siculus et Plinius XXXVI. 13. s. 19. referunt. Praeterea in Creta *templum Britomartis* (Solinus 11.), in Sicilia iussu Cocali *Colymbethram* unde fluvius Alabon in mare effunditur, *urbem* prope Agrigentum in saxo munitissimam, *balneum calidum* apud Selinuntios, *murum* in monte Eryce (Diodorus Sic. l. l.) in *Sardinia* impetrante Iolao plura magnifica opera, quae Diodori quoque aetate exstabant (p. 345.) *Capuae* (Sil. Ital. XII. 102.) et *Cumis* templum Apollinis (Virg. Aen. VI. 14. sqq. ubi v. Heyn.) fecit. Ex statuis vero, quae ab eo profectae fuerant, veteres scriptores has memorarunt: *Herculem Thebanum* (Pausan. IX. 40, 2.) dedicatum Herculi ab ipso Daedalo propter filium Icarum ab illo sepultum, IX. 11, 2. Apollod. II. 6, 5. qui mira de hoc narrat (fortasse eundem spectat Hesychius s. v. πλῆξαι); *Trophonium Lebadeae, Britomartim Olunte* in Creta, *Minervam Cnosi, Venerem Deli,* quam Daedalus Ariadnae, Ariadna Theseo, Theseus Deliis dederat, omnia e ligno (Pausan. IX. 40, 2.) Alter eius *Hercules* nudus Corinthi stetit (Pausan. II. 4, 5.). Alias quidem statuas fecerat, temporum vero iniuria perditas (Pausan. IX. 40, 2. unde explicandus VIII. 46, 2.) quarum in numero etiam fuit *Hercules,*

qui olim in confinio Messeniae et Arcadiae steterat. (Pausan. VIII. 35, 2.) E lapide autem candido celeberrimam illam saltationem fecit, de qua Pausan. IX. 40, 2. (coll. VIII. 16, 2. Philostr. Jun. Imagg. 10. p. 129. ed. Jacobs. ubi plura attulit Olearius, adde Heyn. ad Iliad. T. VII. p. 559. sq.) haec habet: *παρὰ τούτοις δὲ καὶ ὁ τῆς Ἀριάδνης χορός, οὗ καὶ Ὅμηρος ἐν Ἰλιάδι μνήμην ἐποιήσατο, ἐπειργασμένος ἐςὶν ἐπὶ λευκοῦ λίθου.* Homeri verba (Il. σ. 591.) ita habent:

ἐν δὲ χορὸν ποίκιλλε περικλυτὸς Ἀμφιγυήεις,
τῷ ἴκελον, οἷόν ποτ' ἐνὶ Κνωσῷ εὐρείῃ
Δαίδαλος ἤσκησεν καλλιπλοκάμῳ Ἀριάδνῃ.

Anaglyphum illud opus fuisse Heynius et alii recte iudicarunt; optime autem de eo egit Thierschius (Epoch. art. Gr. I. adnot. p. 19. sq.) Praeterea ei *δίφρον ὀκλαδίαν* aeneum tribuit Pausanias (I. 27, 1.) unde in arte quoque mechanica eum multum valuisse apparet; et duae insuper statuae quae in Electridis insulis iacebant (Pseudo-Aristoteles Vol. II. p. 1092. coll. Steph. Byz. s. v. Ἠλεκτρίδαι νῆσοι), unaque Dianae Monogissae (Steph. Byz. s. v. Μονόγισσα) ab eo factae esse putabantur.

Ultima iam huius commentationis pars nobis restat, qua de inventis, quibus Daedalus artem Graecam locupletasse dicebatur, agendum est. Ac primum quidem verbo monuisse sufficiat, nos ea quae varii scriptores veteres in universum de eius laude dixerunt, hic omittere, quae ita comparata sunt, ut nihil certi inde proficere possis. Quod vero ad statuas ipsas, quae ab eo factae esse vulgo credebantur, atti-

net, Pausanias (II. 4, 5.) ait: *Δαίδαλος δὲ ὁπόσα εἰργάσατο, ἀτοπώτερα μέν ἐστι τὴν ὄψιν, ἐπιπρέπει δὲ ὅμως τι καὶ ἔνθεον τούτοις*; quae verba cum Platone (Hipp. maior. Opp. T. III. p. 281. D. *τὸν Δαίδαλόν φασιν οἱ ἀνδριαντοποιοί, νῦν εἰ γενόμενος τοιαῦτ' ἐργάζοιτο, οἷα ἦν ἀφ' ὧν τοὔνομ' ἔσχε, καταγέλαστον ἂν εἶναι*) et Aristide (Orat. Platon. I. pro Rhetor. T. II. p. 30. ed. Jebb. *οὐδεὶς τὸν Δαίδαλον οὐδὲ τοὺς ἄνω θαυμάζει παρὰ τὸν Φειδίαν*) Thierschius l. l. bene componit. Notum est illud, Daedalum statuas procedentes fecisse earumque oculos antea clausos aperuisse (quam in rem cfr. Platon. Menon. p. 97. St. p. 384, 5. ed. Bekk. Aristotel. Polit. I. 4. Suidas s. v. *Δαιδάλου ποιήματα*); quod serius etiam eo detorserunt, ut Daedalum argento vivo infuso statuarum motum aliquem effecisse dicerent. (Aristotel. Anim. I. 4.) cfr. Böttiger Andeutungen p. 49.

Invenit vero Daedalus serram, asciam, perpendiculum, terebram, ichthyocollum, et malum antennasque in navibus (Plin. H. N. VII. 56. T. II. p. 152. 156. ed. Brot. coll. Varrone fragm. p. 325. ed. Bip.)

Eius filius praeter Icarum Iapyx dicebatur (Strabo VI. p. 279. Martianus Capella VI. Eustath. ad Dionys. Perieget. 379.) discipulus autem Endoeus Atheniensis (Pausan. I. 26, 6.) Valde errarunt, qui Dipoenum et Scyllidem quoque Daedali discipulos fuisse tradiderunt (Pausan. II, 14, 1. coll. III. 17, 6.) quos circa Ol. L. floruisse aliunde scimus. Aequalis fuit Smilis Aegineta (Pausan. VII. 4, 4.) ita ut ab

horum utroque, circa Thesei et Minois tempora vivente, omnis artis Graecae historia initium capiat.

II. Statuarius Sicyonius, cuius aetatem variis ex argumentis definire possis. Filius et discipulus fuit Patroclis (Pausan. VI. 3, 2.) quem Plinius XXXIV. 8, 19.) artificibus qui Ol. XCV. floruerint, adnumerat; neque adversantur huic calculo, quae aliunde scimus. Daedalus enim Eleis post victoriam quam hi de Lacedaemoniis reportaverunt, tropaeum in Alti erexit (Pausan. VI. 2, 4.), quae victoria quum in annum 401—399. ante Ch. n. Ol. XCIV. 4. vel XCV. 2. inciderit (Dodwell. chronol. Xenophont. X. p. 12. Schn. Clinton. fasti Hellen. p. 82. 84.), et Plinius et Pausanias se confirmant atque illustrant, dummodo concedas patrem eadem fere Olymp. artis fastigium attigisse, qua filius illud adscendere coeperat. Praeter illud tropaeum vero multorum luctatorum atque pugilum statuae a Daedalo factae memorantur. Sic Timonis eiusque filii (Pausan. VI. 2, 4.) Aristodemi (VI. 3, 2.) Eupolemi Elei (VI. 3, 3.) Narycidae Damareti filii (VI. 6, 1.) imagines fecit, et Victoriam Arcadisque simulacra aere fudit (X. 9, 3.) Sine dubio ad eundem Daedalum spectant, quae Plinius XXXIV. 8, s. 19. ait: *Daedalus et ipse inter fictores laudatus, pueros duos destringentes se fecit.*

III. Statuarius in Bithynia natus, cuius admirandum opus Διὸς Στρατίου Nicomediae visebatur. (Arrian. ap. Eustath. ad Dionys. Perieg. 796.) Thierschius (Epoch. I. Adnot. p. 26.) eum post conditam ab Alexandro Magno Nicomediam vixisse coniicit;

floruit certe, eodem Thierschio monente, tempore quo ars Graeca iam perfecta fuit.

DAESIAS.

Hic poculorum caelator fuisse videtur (Athen. X. p. 424. B.)

DAETONDAS.

Statuarius Sicyonius Theotimum, athletam Eleum fecit. (Pausan. VI. 17, 3.) Hic Theotimus filius Moschionis fuit, qui expeditionis Alexandri Magni contra Darium particeps fuerat, unde si quid de Daetondae aevo statuere velis, dicere possis, eum circa Ol. CXV. artem exercuisse.

DAIPHRO.

Statuarius qui philosophos fecit. Aetas et patria eius ignota. (Plin. XXXIV. 8, 19.)

DAIPPUS.

Statuarius incertae patriae, qui cum nonnullas athletarum et cursorum statuas (Pausan. VI. 12, 3. 16, 4.) tum hominis simulacrum fecit, quod *παραλυομένου* nomine significaverunt; ita quidem Brotierius Plinii locum XXXIV. 8, 19. p. 85. recte emendasse videtur. Hi sunt tres loci, in quibus omnes codd. *Daippum* defendunt. Sed restant duo iidem Pliniani, ubi in Harduini quidem aliisque prioribus editionibus *Daippi* nomen legitur, codices vero, quos Brotierius secutus est, aliud quid proferunt. Plinius igitur l. l. in numero eorum artificum, qui Ol. CXX. floruerint,

Daippum nominat, et paullo infra uni e filiis et discipulis Lysippi idem nomen tribuit. Ita quidem Harduinus et alii utroque loco ediderunt, invitis tamen codd. qui licet varie corrupti constanter tamen *Laippus* tuentur. Et recte fecit quidem Brotierius, quod codd. auctoritatem secutus *Laippus* praetulit; sed valde erravit, dum *Laippum* et *Daippum* diversos esse artifices statuebat. Etenim hic quoque Plinius negligentis festinationis, quae iam aliquoties nobis notanda fuit, arguitur, qui quum in Graeco exemplari ΔΑΙΠΠΟΣ invenisset, oculis fugitivis nomen inspiciens ΛΑΙΠΠΟΣ legit. Quodsi tamen Plinium quodammodo excusare velis, quod ut fieri possit ipse vehementer opto, in illo Graeco auctore consueta utriusque literae confusione pro Δ male Λ scriptum fuisse dicas; ita ut, dummodo Plinium vere intelligamus, utroque loco Daippus significetur, Laippus vero scribatur. Jam de eius aetate certi sumus et praeterea Daippum Lysippi filium et discipulum fuisse novimus. Suspicio autem mea inde quoque confirmatur, quod Daippus a Plinio in Olymp. CXX. ponitur, Lysippus vero, cuius filius fuit, Olympiadi CXIV. tribuitur, ut proinde aliquam necessitudinem inter utrumque artificem intercedere potuisse nemo negaturus sit, tum vero etiam inde, quod, ubi Plinius literarum ordine artificum nonnullorum nomina et opera refert, Daippum recte scribit, unde igitur apparet, Plinium, ubi errandi occasio difficilius daretur, rem acrius perlustrasse, unde quoque ut errorem vitaret, ei contigit.

DALIO.

Scalptor egregiae gemmae, quam Jongius in catalogo suo musei Batavi p. 158. descripsit, Fr. Hemsterhusius vero (Oeuvres Philosophiques T. I. p. 341 — 348. Paris 1809. 8.) explicuit aerique incidendam curavit.

DAPHNIS.

Architectus Milesius qui cum Paeonio Ephesio aedem Apollinis Mileti Dorica symmetria condiderunt. (Vitruv. VII. Prooem. §. 16.) Vixit post Chersiphronem, quum Paeonius ille et Dianae templum Ephesium a Chersiphrone inceptum perfecisse dicatur.

DECIUS.

Statuarius Romanus, qui quo aevo vixerit incertum est. Mentionem eius facit Plinius XXXIV. 7. s. 18. *Habent in eodem Capitolio admirationem et capita duo, quae P. Lentulus consul dicavit; alterum a Charete supradicto factum: alterum fecit Decius comparatione in tantum victus, ut artificium minime improbabilis* (v. *Chares*) *artificis videatur.* Quis hic P. Lentulus fuerit, dubitari vix potest; unus enim est e quatuor huius nominis viris consulatu functis, de quo Plinius cogitare potuit, *P. Cornelius Lentulus Spinther*, qui anno u. c. 697. consul factus de Cicerone revocando legem tulit. Decium vero artificem non multo ante Lentulum vixisse, satis probabile est, quum artis studium et peritia tum demum apud Romanos ita fervere inciperet, ut et ipsi Romani artes exercerent, in Italia adhuc Graecis tractatas.

DELIADES.

Statuarius et argenti caelator incertae patriae atque aetatis, nullo operum suorum praecipuus. Plin. XXXIV. 8. s. 19.

DEMEAS.

I. Statuarius Crotoniates qui civis sui Milonis statuam aere fudit. (Pausan. VI. 14, 2.) Milo vero quum circa Ol. LXII. victoriis suis clarissimus esset, (Euseb. chronic. p. 41.) et ipse suam statuam intra Altin humeris suis deportarit (Pausan. l. l.) Demeas quoque hoc tempore artem exercuerit necesse est. Dicitur ipse et alter statim memorandus artifex vulgo *Dameas*, ut ex gente Dorica nati vel certe inter Dorienses viventes.

II. Statuarius Clitore urbe in Arcadia natus Polycleti discipulus fuit (Plin. XXXIV. 8, 19. ubi codd. et editt. ex vulgari dialecto *Demeam* habent.) Cum aliis artificibus magnum donarium fecit, quod Lacedaemonii ob victoriam ad Aegospotamos (Ol. XCIII. 4. ante Ch. n. 405.) reportatam Delphis posuerunt (Pausan. X. 9, 4.) et Dameas quidem (qui h. l. scribitur *Damiás*, v. Thiersch. Epoch. III. Adnot. p. 80.) Minervam, Neptunum et Lysandrum aere fudit.

DEMETRIUS.

I. Architectus, qui primum templum Dianae a Chersiphrone inchoatum, cum Paeonio Ephesio perfecisse dicitur. Ipse Demetrius Dianae servus sive *ἱερόδουλος* a Vitruvio VII. Praef. §. 16. vocatur. Tempus quo vixerit et patria incerta.

II. Pictor incertae aetatis atque patriae, memoratus a Diog. Laert. V. §. 83.

III. Statuarius, de quo v. Plin. XXXIV. 8. s. 19. „*Demetrius* (fecit) *Lysimachen*, *quae sacerdos Minervae fuit annis sexaginta quatuor. Idem et Minervam, quae Musica appellatur, quoniam dracones in* Gorgone *eius ad ictus citharae tinnitu resonant. Idem equitem Simonem, qui primus de equitatu scripsit.*" Nihil dixit Plinius neque de patria neque de aetate artificis, et incertum est, an Demetrius Alopecensis, qui aeneam Pelichi statuam fecit (Lucian. Philops. 20. p. 49. T. III. ed. Wetst.) idem sit, de quo Plinius scripsit. Quod vero ad aetatem attinet, aliquid certe suspicari liceret, si quando Simo vixerit compertum haberemus. At nihil aliud scimus nisi eum Xenophonte maiorem fuisse, qui (Equit. init. unde et Harduinus recte corruptam librorum Plinii lectionem restituit) ait: *συνέγραψε μὲν οὖν καὶ Σίμων περὶ ἱππικῆς ὃς καὶ τὸν κατὰ τὸ Ἐλευσίνιον Ἀθήνησιν ἵππον χαλκοῦν ἀνέθηκε καὶ ἐν τῷ βάθρῳ τὰ ἑαυτοῦ ἔργα ἐξετύπωσεν.* Utut sit, Meyeri saltem sententia, qui (T. I. p. 133.) Demetrium Lysippi aequalem dicit, aliunde etiam confirmanda est, priusquam eam prorsus probare possis, quum Xenophon qui paullo post Ol. CV. senex nonagenarius obiit (v. Clinton fasti Hellen. ad an. 359. p. 113.) et opera sua intra Ol. XCVI. qua exsul Scylluntem secessit, et Ol. CIII. qua iam summa senectute utebatur (Diod. Sic. XV. 76.) scripsisse videtur, a Lysippo quem Plinius Ol. CXIV. attribuit, nimis distet, quam ut Simo, cuius mentionem Xenophon facit, huius ae-

qualis putari possit. Probabilior opinio Böttigeri (über Verzierung gymnastischer Uebungsplätze. Weimar 1795. p. 14. *) est, qui Simonem aetate Periclis, a quo Eleusinium templum circa Ol. LXXXV. exstructum scimus, vixisse censet, ut proinde et Demetrius hac fere aetate floruerit. Ceterum grave est de nostro artifice testimonium Quinctil. XII. 10. *Ad veritatem Lysippum et Praxitelem accessisse optime affirmant: nam Demetrius tanquam nimius in ea reprehenditur, et fuit similitudinis quam pulchritudinis amantior.* Hunc sine dubio memorat ex Polemone Diog. Laert. V. §. 85.

DEMO.

Statuarius incertae aetatis et patriae quem Plinius XXXIV. 8, 19. philosophos fecisse tradit. Editiones *Daemon,* sed omnes nostri codd. *Demon* exhibent.

DEMOCRITUS.

I. Statuarius Sicyone natus (Pausan. VI. 3, 2. unde et Damocritus dicitur) discipulus Pisonis fuit; quinto gradu e schola Critiae Attici prodiit. Quum vero Piso Ol. XCIV. floreret, Democritum certe Ol. C. vixisse statuere possumus. Fecit Hipponem Eleum, qui pugilatu pueros vicerat, (Pausan. l. l.) et philosophos. (Plin. XXXIV. 8. s. 19.)

II. Caelator argenteorum poculorum, quae olim Rhodiaca nuncupabant. Athen. XI. p. 500. B.

III. Sculptor qui fecit statuam Lysios Milesiae. Inscriptio apud Sponium Miscell. Erud. Antiquar. p. 138.

DEMOPHILUS.

I. Plastes et pictor (vulgo Damophilus) qui cum Gorgaso a Plinio XXXV. 12. s. 45. memoratur: *Plastae laudatissimi fuere Damophilus et Gorgasus iidemque pictores, qui Cereris aedem Romae ad Circum Maximum utroque genere artis suae excoluerunt, versibus inscriptis Graece, quibus significarent* (sic cod. Reg. I. vulgo *significarunt*), *a dextra opera Damophili esse, ab laeva Gorgasi.* Quem ad locum illustrandum Heynii verbis (Opusc. Acad. T. V. p. 429.) utar: „Aedes haec Cereris, Liberi Liberaeque ad Circum Maximum, ab A. Postumio dictatore in pugna cum Latinis u. c. 258. vota et exstruenda locata (Dionys. VI. 17. Tacit. Annal. II. 49.) dedicata fuit a Cos. Cassio anno u. c. 261. [ante Ch. n. 493. Ol. LXXI. 4.] Dionys. VI. 94.“

II. Pictor Himeraeus, quem nonnulli Zeuxidis praeceptorem dixerunt. (Plin. XXXV. 9. s. 36.) Floruit Ol. LXXIX. (V. s. v. *Zeuxis.*)

III. Architectus minus nobilis qui de praeceptis symmetriarum librum conscripsit. (Vitruv. VII. Praef. §. 14.)

DEMOPHON.

Sculptor Messenius, unus huius gentis artifex dignus cuius ratio habeatur. (Pausan. IV. 31, 8.) De tempore quo vixerit Pausanias, qui variis locis eum memorat, nihil prodidit, et Heynius (Opusc. T. V. 373.) atque Meyerus (ad Winckelm. Opp. T. VI. P. II. p. 16.) eum aliquanto post Phidiam, Quatremère de Quincy (Jupiter Olymp. p. 342. 344.) Ol. CX—

CXX. floruisse statuunt. Sed inde quod Messenam et Megalopolin potissimum operibus suis exornavit, eum circa hoc tempus artem exercuisse suspicor, quo Messene restituta (Ol. CII. 3. ante Ch. n. 370. Pausan. IV. 27, 5.) et Megalopolis condita est (Ol. CII. 2.) Diu saltem ante hoc tempus vivere non potuit, et quum multarum imaginum utraque urbs recens exstructa indigeret, suspicio mea haud inepta dici poterit. Quodsi ulterius progredi velis, hinc etiam illud ipsum tempus confirmari sumere possis, quod Aegii in Achaia plura simulacra fecit, adeo ut exsul primum Aegium, deinde in patriam translatus Messenam et Megalopolin signis ornaret. Operum vero ab eo factorum hunc recensum dat Pausanias:

Aegii spectabatur eius signum Lucinae, *ξόανον, πλὴν προσώπου τε καὶ χειρῶν ἄκρων καὶ ποδῶν· ταῦτα δὲ τοῦ Πεντελησίου λίθου πεποίηται· καὶ ταῖς χερσὶ τῇ μὲν ἐς εὐθὺ ἐκτέταται, τῇ δὲ ἀνέχει δᾷδα. — — τῆς Ἐιλειθυίας οὐ μακρὰν Ἀσκληπιοῦ τέ ἐςι τέμενος καὶ ἀγάλματα Ὑγιείας καὶ Ἀσκληπιοῦ. ἰαμβεῖον δὲ ἐπὶ τῷ βάθρῳ τὸν Μεσσήνιον Δαμοφῶντα εἶναι τὸν εἰργασμένον φασιν.* Pausan. VII. 23, 5 Messenae fuit simulacrum matris Deae e marmore Pario; (Pausan. IV. 31, 5.) ibidem Diana Laphria (§. 6.), et plures statuae lapideae in templo Aesculapii, quas vero Pausan. §. 8. non nominavit. — Megalopolitanorum urbem statuis ligneis Mercurii et Veneris, quarum manus, os et imi pedes ut in illa Lucina Aegiensi lapide facti erant (Pausan. VIII. 31, 3.), et magno opere ex uno lapide confecto ornavit, quod Despoenam (quam nunc Pro-

serpinam recte habent) et Cererem in throno sedentem continuit. Uberiorem harum statuarum descriptionem dedit Pausan. VIII. 37, 2. Praeterea vero Elei ipsi illi Demophonti mandarunt, ut Jovem Olympicum, cuius singulae partes solvi coeperant, coagmentaret, quod pariter ei felicissime successit. (Pausan. IV. 31, 5.)

DERCYLIDES.

Huius pyctae e marmore facti in hortis Servilianis laudabantur. Plin. XXXVI. 5. s. 4.

DETRIANUS.

Architectus, commemoratus a Spartiano in Vita Adriani 19. qui eius opera in colosso Neronis transferendo usus est. De ipsius nominis scriptura dubitant Viri Docti, Salmasio pugnante pro *Dentriano* vel *Dextriano*, Casaubono pro *Demetriano*, Grutero pro *Decriano*.

DEUTO.

Scalptor gemmae in Jongii Catalogo musei Batavi p. 153. cuius nomen alii male Λευκων legerunt.

DIBUTADES.

Plastes primus Sicyonius, de quo notus est Plinii locus XXXV. 12. s. 43. *Opere terrae fingere ex argilla similitudines Dibutades Sicyonius figulus primus invenit Corinthi, filiae opera: quae capta amore iuvenis, abeunte illo peregre* (ita cod. Reg. I.), *umbram*

ex facie eius ad lucernam in pariete lineis circumscripsit: quibus pater eius impressa argilla typum fecit, et cum ceteris fictilibus induratum igni proposuit: eumque servatum in Nympheo, donec Corinthum Mummius everteret, tradunt: et statim infra: *Dibutadis inventum est,* (operibus plasticis) *rubricam addere, aut ex rubra creta fingere.* Filiam Dibutadae a Plinio memoratam Athenagoras (legat. pro Christ. 14. p. 59.) Coram Corinthiam vocat.

DINIAS.

Pictor antiquissimus, de quo valent quae diximus s. v. *Charmadas.*

DINO.

Statuarius, Polycleti I. discipulus. Plin. XXXIV. 8. s. 19.

DINOCRATES.

Architectus Macedo nobilissimus (Vitruv. II. Praef. §. 1.), cuius ope Alexander M. plura monumenta erexit. Priusquam vero ulterius progredi nobis licet, notandus est Plinius qui V. 10. s. 11. VII. 37. s. 38. et XXXIV. 14. s. 42. illum virum *Dinocharem* dixit. Quae enim libro VII. nunc vera scriptura exstat, nil nisi interpolatio e Solino 32. petita est; codices apertissime *Dinocharem* exhibere Harduinus testatur. In libro XXXIV. Reg. I. *Tymochares,* Dufresn. I. *Timocrates* habent, quae lectio fortasse nos deducere posset, ut alteram vetus librariorum mendum arbitraremur, nisi omnibus tribus locis optimi codd. *Dinocharem* servarent. Certum autem est, Plinium hoc

nomine scribendo errorem commisisse, qua in re hoc potissimum permirum accidit, quod Δεινοκράτης non solum in Δεινοχάρης, verum etiam in Χειροκράτης (Strabon. XIV. p. 949. B. C.) et in Στασικράτης (Plutarch. de Alexandri M. virt. II. s. 2.) abiit, cuius tamen rei, in antiquis scilicet scriptorum exemplaribus duplici modo nomina exarata fuisse, non unum exstat exemplum. (V. Anecd. Hemsterh. Vol. I. p. 11.) Dinocratem autem genuinum viri nomen fuisse, cum loci Pliniani leviter corrupti, tum egregia Vitruvii auctoritas nobis persuasit, qui illam scripturam exhibet. Eum secuti sunt Valerius Maximus et Ammianus Marcellinus. Dinocrates igitur iussu Alexandri M. quem in Aegyptum comitatus fuerat (Vitruv. l. l. §. 4.) locum metatus est, ubi postea Alexandria condita, (adde Plin. V. VII. Valer. Max. I. 4. ext. 1. Ammian. Marcell. XXII. 16 Solin. 35.) et plura eius urbis aedificia ipse exstruxit (Plin. XXXIV.) Videtur enim in Aegypto, quum Alexander hanc terram relinqueret, remansisse, quod e Plinii l. l. colligere licet. Antea autem, ut nonnulli dicebant, secundum Dianae Ephesiae templum aedificaverat (Strabo l. l. Solin. 43. vide tamen infra s. v. *Scopas.*) Ipsi Alexandro innotuerat, quum ei Atho montem in eius statuam se transformaturum esse pollicitus esset, quod tamen Alexander fieri vetuit; Vitruv. l. l. Strabo l. l. Plutarch. l. l. et vita Alex. 72. Lucian. pro imagg. 9. T. II. p. 489. conscrib. hist. 12. T. II. p. 17. Tzetzes Chiliad. VIII. 199. XI. 367. qui vero omnes scriptores, ut supra iam notavi, in nomine artificis scri-

bendo dissentiunt; adde Salmas. exercit. Plin. p. 812. Dioclem Rheginum eum vocat Eustath. ad Hom. I. l. ξ. 229. p. 980. ed. R.

DINOMENES.

Statuarius qui cum Naucyde, Canacho minore et Patrocle Ol. XCV. floruit (Plin. XXXIV. 8. s. 19.) ubi quidem tantum cod. Reg. III. hanc nominis scripturam exhibet, at reliqui libri ipsis suis corruptelis eam confirmant, cum Reg. I. *Dinomedes* Reg. II. *Dinocles* Dufresn. I. II. Reg. IV. *Dinomodes,* Colbert. *Dimocles* exhibeant. Dudum Harduinus et Brotierius veram lectionem ex alio Plinii loco restituerunt, ubi Protesilaum et Pythodorum luctatorem fecisse dicitur. At et hic codd. variant; Reg. II. Colbert. *Diomenes,* Dufresn. I. *Diomedes,* solus Reg. I. *Dinomenes* prae se fert. Rem conficit Pausanias, qui I. 25, 1. huius artificis statuas, Io et Callisto memorat. Praeterea Dinomenes statuam Besantidis reginae Paeonum (Tatian. orat. ad Graec. 53. p. 116. ed. Worth.) fecit, et exstat haec inscriptio apud Boeckhium in Corp. Insc. Vol. I. nr. 470.

ΜΗΤΡΟΤΙΜΟΣΑΝΕΘΗΚΕΟΗΘΕ[ν
ΔΕΙΝΟΜΕΝΗΣΕΠΟΙΗΣΕΝ

Quid fuerit in basi collocatum, nunc nescimus. Quem eius Priapum ex Anthol. Gr. (Anal. Br. T. I. p. 229. nr. 36. coll. Anth. Lat. T. II. p. 498.) affert Junius, male hoc fecit, quod ibi non de artifice quodam, sed de horti domino sermo est.

DIOCLES.

Scalptor gemmae ap. Bracci T. II. p. 285.

DIODORUS.

I. Caelator, cuius Satyrus argenteus memoratur a Platone in Anthol. Planud. IV. 12, 248. (App. Anthol. Palat. T. II. p. 701.)

Τὸν Σάτυρον Διόδωρος ἐκοίμισεν, οὐκ ἐτόρευσεν.
Ἢν νύξῃς, ἐγερεῖς. ἄργυρος ὕπνον ἔχει.

ad quem locum illustrandum Junius in Catalogo similem de Stratonico locum ex Plinio (v. infra) apte affert.

II. Pictor qui Menodotum male pinxerat, irrisus hanc ob causam in Anthol. Gr. Palat. XI. 213.

Εἰκόνα Μηνοδότου γράψας Διόδωρος ἔθηκε,
Πλὴν τοῦ Μηνοδότου, πᾶσιν ὁμοιοτάτην.

DIODOTUS.

I. Statuarius, cui ab nonnullis Nemesis Rhamnusia tribuebatur; v. sub *Agoracritus.*

II. Sculptor Nicomediensis, filius Boethi qui cum fratre Menodoto Herculem fecerat. Winckelm. Opp. T. VI. P. I. p. 38.

DIOGENES.

I. *Pictor non ignobilis, qui cum Demetrio rege vixit,* Plin. XXXV. 11. s. 40. Est is Demetrius Poliorcetes, qui Regis nomen Ol. CXVIII. 3. ante Ch. n. 306. sumsit.

II. Sculptor memoratus a Plinio XXXVI. 5. s. 4. *Agrippae Pantheum decoravit Diogenes Atheniensis, et Caryatides in columnis templi eius probantur inter pauca operum: sicut in fastigio posita signa, sed propter altitudinem loci minus celebrata.*

DIOGNETUS.

I. Architectus vel potius mechanicus, qui Rhodiis contra Demetrium Poliorceten arte sua profuit. Vitruv. X. 21.

II. Pictor, qui Antoninum Philosophum artem suam docuit. Capitolini Antoninus 4. ubi Salmasius contra Casaubonum de hoc viro recte disputavit.

DIONYSICLES.

Statuarius Milesius statuam Democratis Tenedii fecit, qui Olympiae in lucta virorum vicerat. Pausan. VI. 17, 1.

DIONYSIODORUS.

I. Statuarius et argenti caelator, Critiae discipulus, nullo operum suorum praecipuus. Plin. XXXIV. 8, 19. ubi nunc quidem et in plerisque MSS. et editis libris *Dionysodorus* legitur; at illam, quam nos praetulinus, scripturam cod. Reg. I. defendit. Floruit vero, cum Critiae discipulus esset, circa Ol. XC.

II. Pictor Colophonius, non ignobilis, memoratus a Plinio XXXV. 11. s. 40. ubi omnes codd. et editt. recentt. veram scripturam agnoscunt, cum antea esset *Dionysodorus.*

DIONYSIUS.

I. Statuarius Argivus, cuius aetas inde colligi potest, quod nonnulla donaria ex multis, quae Smicythus Olympiae posuit, fecerat. Hic vero Smicythus, cui eandem ob causam Glaucus Argivus operam dedit, Anaxilae Rhegini aequalis post eius mortem Tegeam secessit (Ol. LXXVI. 1. ante Ch. n. 476.) Quis Dionysium et Glaucum artem docuisse, memoriae proditum non fuerat (Pausan. V. 26, 3. 6.) De operibus vero a Dionysio profectis Pausanias paullo obscurius locutus est, cuius verba si recte intelligo, signum Certaminis (Ἀγῶνος) halteres portantis, Bacchum, Orpheum et Jovem non barbatum (cfr. 24, 1.) fecit, quae omnia Pausanias §. 6. minora donaria dicit, ut scilicet ea a maioribus Glauci discernat. Praeterea Dionysius equum aeneum cum auriga fudit, quem Phormis Maenalius Olympiae posuit, Gelonis et Hieronis aequalis.

II. Sculptor, a Junio in Catalogo cum statuario male confusus. Hic statuam Junonis in Octaviae porticu postea positam fecit. (Plin. XXXVI. 5. s. 4.) Cum Dionysius Argivus floreret, ars marmoris sculpendi nondum adeo perfecta fuit, ut Octavianus statuam illo tempore factam in templo a se dedicato poneret. Verosimile potius est, hunc Dionysium multo seriore tempore vixisse.

III. Pictor Colophonius, qui Polygnoti Thasii (Ol. LXXX.) tabulas dempta magnitudine imitabatur. (Aelian. V. H. IV. 3.) Aequales autem eos fuisse cum ex h. l. tum ex Aristotele (Poet. 2.) patet, qui et

ipse utrumque artificem coniungit. Aeliani verba haec sunt: Πολύγνωτος ὁ Θάσιος καὶ Διονύσιος ὁ Κολοφώνιος γράφεε ἤστην. καὶ ὁ μὲν Πολύγνωτος ἔγραψε τὰ μεγάλα, καὶ ἐν τοῖς τελείοις εἰργάζετο τὰ ἆθλα· τὰ δὲ τοῦ Διονυσίου πλὴν τοῦ μεγέθους τὴν τοῦ Πολυγνώτου τέχνην ἐμιμεῖτο εἰς τὴν ἀκρίβειαν, πάθος καὶ ἦθος καὶ σχήματος χρῆσιν, ἱματίων λεπτότητας καὶ τὰ λοιπά· Aristoteles autem ait: Πολύγνωτος μὲν κρείττους, Παύσων δὲ χείρους, Διονύσιος δὲ ὁμοίους εἴκαζε. Gravissimum porro, quod utriusque scriptoris verbis apprime convenit, de Dionysii arte iudicium Plutarchus (Timol. 36.) tulit, dicens: ἡ Ἀντιμάχου ποίησις καὶ τὰ Διονυσίου ζωγραφήματα τῶν Κολοφωνίων ἰσχὺν ἔχοντα καὶ τόνον ἐκβεβιασμένοις καὶ καταπόνοις ἔοικε. De alio loco, quo Cimo Cleonaeus una cum Dionysio affertur, iam supra s. v. *Cimo* dixi. Quae denique Meyerus (hist. art. T. I. p. 196. sq.) de aevo Dionysii, quem tempore Alexandri M. vixisse suspicatur, disseruit, mihi nullo modo satis fecerunt, quum partim loci laudati nullum huius rei vestigium contineant, partim Dionysius in iis magis vituperetur quam laudetur, ita ut hac de causa sumatur non oporteat, eum vixisse, quum pictura maxime floreret.

IV. Pictor incertae patriae, quem primo ante Ch. n. seculo fortasse Romae vixisse, ex his Plinii (XXXV. 11. s. 40. nr. 43.) verbis apparet: *Lala Cyzicena — Marci Varronis inventa Romae et penicillo pinxit et cestro in ebore. — nec ullius velocior in pictura manus fuit, artis vero tantum, ut multum manipretio antecederet celeberrimos eadem aetate imaginum*

pictores, Sopolin et Dionysium, quorum tabulae pinacothecas implent. Ad eundem Dionysium pertinere puto verba Plinii 10. s. 37. *Dionysius nihil aliud quam homines pinxit, ob id Anthropographos cognominatus,* quae Meyerus (hist. Art. T. II. p. 192.) utrum ad hunc an ad alterum Dionysium referat ambigit, ea, ut videtur, solum de causa, quod non credibile sit, artificem Colophonium, quem optimis pictoribus accensendum esse ex locis laudatis non recte coniicere videtur, a Plinio prorsus omissum fuisse; contra quod argumentum haec statim moneri possunt, vel Dionysium a Plinio haud memoratum fuisse, quod laude dignus ipsi non videretur, vel, si laudandus ipsi fuit, omissum fuisse, ut ipse Onatas omissus est.

DIONYSODORUS vide MOSCHIO.

DIORES.

Pictor incertae patriae a Varrone veteribus pictoribus annumeratus. Locum dedimus s. v. *Arimna.*

DIOSCORIDES.

Samius, cuius duo opera tessellata in ruinis Pompeianis detecta sunt. (Winckelm. Opp. T. VI. P. I. p. 296.)

DIOSCURIDES.

Scalptor celeberrimus qui Augusti aetate vixit, eiusque imaginem gemmae inscalpsit, qua et ipse Augustus et principes insecuti signare solebant. (Suet. Aug. 50. Plin. XXXVII. 1. s. 4.) In vulgatis quidem utrius-

que scriptoris editt. artifex *Dioscorides* dicitur, quod autem male factum esse ipsae eius genuinae gemmae arguunt, ubi semper ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΔΟΥ legitur; hinc patet, quo iure editores Suetonii lectionem nonnullorum codd. a Torrentio inspectorum contemserint, qui hanc ipsam veram scripturam exhibebant. Exstant vero huius Dioscuridis plures gemmae, quarum tamen non nisi sex genuinae putantur, reliquis eius nomen male gerentibus. (V. Meyerum ad Winckelm. Opp. T. VI. P. II. p. 298.)

DIPHILUS.

Scalptor, cuius gemmam vide ap. Raspium tab. 40. nr. 5513.

DIPOENUS.

Sculptor cum Scyllide semper coniunctus, quare et hic, quaecunque de utroque comperta habemus, attuli. Initium nobis faciendum a Plinio XXXVI. 4. *Marmore sculpendo primi omnium inclaruerunt Dipoenus et Scyllis, geniti in Creta insula, etiamnum Medis imperantibus, priusque quam Cyrus in Persis regnare inciperet, hoc est, Olympiade circiter L. Ii Sicyonem se contulere, quae diu fuit officinarum omnium metallorum patria. Deorum* (hic vulgo male inseritur *quorundam*, quod ab omnibus meis codd. abest,) *simulacra publice locaverant* (omnes codd. *simulaverant:* an forte *simul locaverant?*) *Sicyonii, quae priusquam absolverentur, artifices iniuriam questi abiere* (sic Reg. I.) *in Aetolos. Protinus Sicyonios fames invasit ac sterilitas, moerorque dirus. Remedium petentibus*

Apollo Pythius respondit: si Dipoenus et Scyllis Deorum simulacra perfecissent: quod magnis mercedibus obsequiisque impetratum est. Fuere autem simulacra ea Apollinis, Dianae, Herculis, Minervae, quod e caelo postea tactum est. Quam vere Plinius de aetate utriusque artificis iudicarit, inde patet, quod Cyrum Ol. LV. 2. regnum auspicatum fuisse scimus, atque ii qui Dipoenum et Scyllidem Daedali discipulos vel filios dixerunt (Pausan. II. 14, 1.) nihil aliud voluerunt, quam primos hos sculptores cum chorago omnium artificum coniungere. (coll. Pausan. III. 17, 6.) Accedit autem, quo Plinii iudicium confirmatur, aliud argumentum desumtum a Callone Aegineta, qui quum Ol. LXVI. floreret, a Tectaeo et Angelione, hi vero a Dipoeno et Scyllide artem docti sunt, quae omnia quam egregie inter se conveniant, demonstratu non opus est, et Odofr. Müllerum iam ab ea sententia recessisse puto, quam olim (Aeginet. p. 101.) tulit. Addit paullo infra Plinius haec: *Dipoeni quidem Ambracia, Argos, Cleone operibus refertae fuere. Omnes autem* (sc. hucusque memorati) *tantum candido marmore usi sunt e Paro insula, quem lapidem coepere lychnitem appellare, quoniam ad lucernas in cuniculis caederetur, ut auctor est Varro.* Praeter statuas vero a Plinio memoratas Pausanias simulacrum Minervae in oppidulo Cleonae (II. 14, 1.), signa Castoris et Pollucis equis vehentium, Anaxidis et Mnasinoi ex illis natorum et Hilairae Phoebaeque eorum matrum, Argis posita Dipoeni Scyllidisque opus ex ebeno factum dicit (II. 22, 6.) Ipsorum Dioscurorum

statuas Clemens quoque Alexandrinus (Protrept. p. 42, 15.) norat, unde et Herculis Tirynthii et Dianae Munychiae Sicyone ab utroque artifice dedicatae (v. supra Plinii locum) notitia ad nos pervenit. Ineptum Cedreni commentum de Minervae statua e lapide smaragdo facta praeterire satius est. (Vide Annal. p. 264. D. ed. Venet.) Ceterum multos discipulos habuerunt, et gloriam Dipoeni et Scyllidis maximam fuisse necesse est. Artem scilicet docuerunt Tectaeum et Angelionem (Pausan. II. 32, 4.) Learchum Rheginum (III. 17, 6.) Doryclidam cum fratre Medonte Lacedaemonios (V. 17, 1.) Dontam eundem Lacedaemonium (VI. 19, 9.) et Theoclem (V. 17, 1.)

DIYLLUS.

Statuarius qui cum Amyclaeo maximam magni donarii partem fecerat, quod Phocenses Delphis dedicarunt. (Paus. X. 13, 4.) Nonnullas eius statuas Chionis susceperat, qui omnes artifices Corinthi nati esse putabantur. Donarium autem Herculis et Apollinis certamen de tripode Delphico exhibebat, adstantibus Latona, Diana et Minerva. Omnia praeter Minervam et Dianam Diyllus et Amyclaeus fecerant; quo autem tempore vixerint, vide quae s. v. *Ageladas* et *Chionis* disputavi. Obiter monere mihi liceat, illud donarium maximam partem nobis imagine vasculi Graeci hieratico stylo picta conservatam esse, cuius delineationem cum aliis permultis aeri iam incisam Tischbeinius Vir Egregius quinto sui operis volumini destinabat. Böttigerus illarum inspiciendarum

humanissime mihi copiam fecit, unde de hac una earum hic quaedam verba protulisse iuvat. Hercules tripode iam arrepto aufugit, ita tamen ut retroversus Apollinem laureatum et pharetratum sese insequentem clava in altum sublata perterrefacere et a subsequendo prohibere conetur. Herculis a parte Minerva galeata stat (Ἀθηνᾶ δὲ Ἡρακλέα ἐπέχει τοῦ θυμοῦ. Pausan.), Apollinem vero femina chitonem Doricum induta et nullum aliud insigne nisi longum baculum ferens ad certamen instigat. Quam aliam eam esse putes, quam Latonam matrem, filio pie consulentem? (Λητὼ — Ἀπόλλωνα ἐπέχει τοῦ θυμοῦ. Pausan.) Diana sola hic abest, quam pictorem vasculi eruditum non sine iusta causa omisisse, alibi docebo.

DOMES.

Scalptor ap. Bracci T. II. p. 284.

DONTAS.

Statuarius vel sculptor Lacedaemonius, discipulus Dipoeni et Scyllidis, thesaurum quem Megarenses Olympiae faciendum curarunt, signis exornavit. (Pausan. VI. 19, 9.) Floruit igitur circa Ol. LVIII. Adde Boeckhii Corp. Inscriptt. T. I. p. 47. sq.

DOROTHEUS.

Pictor qui Neronis tempore Venerem ad imitationem Anadyomenes Apellis pinxit. Plin. XXXV. 10, 36. Ipsa verba quaere sub v. *Apelles*.

DORYCLIDAS.

Statuarius vel sculptor Lacedaemonius, frater Medontis, discipulus Dipoeni et Scyllidis, Themidis signum in Junonis templo Olympico dedicatum fecit. (Pausan. V. 17, 1.) Floruit igitur circa Ol. LVIII.

E.

ECHIO.

Pictor incertae patriae qui cum Therimacho Ol. CVII. floruit. Eius fuerunt *nobiles picturae*: *Liber Pater. Item Tragoedia et Comoedia. Semiramis ex ancilla adipiscens regnum, anus lampadas praeferens, et nova nupta verecundia notabilis.* Plin. XXXV. 10. s. 36. Plinius alio loco (7. s. 32.) et Cicero (Brut. 18. Parad. V. 2.) eum Apelli, Nicomacho aliisque clarissimis pictoribus aequiparare non dubitant. — Eundem Echionem Therimachumque Plinius XXXIV. 8, 19. statuariis accenset, et ita quidem ut solos hos duos viros Ol. CVII. floruisse dicat. Junius quidem in Catalogo, et post eum Heynius (Antiquar. Aufs. I. p. 210.) sequente Wüstemanno ad l. l. p. 41. contenderunt, utrumque artificem in hunc locum oscitantia librariorum ex libro XXXV. illatum fuisse; mihi tamen res nondum plane liquet, neque video cur Echio et Therimachus non eadem ratione pingendi atque fingendi arti operam dare potuerint, qua hoc de Euphranore aliisque legimus. Huc accedit, quod in omnibus codd. verba suspecta leguntur, praeter cod. Reg. II. (malae notae) ubi tantum nomina virorum neque Olympiadum numerus omissus est.

EMMOCHARES.

Sculptor Veneris, cuius fragmentum cum hac inscriptione vidit Gudius 214, 7. Εμμοχαρης. Πτολεμαιου Αργειος. Εποιει.

ENDOEUS.

Artifex quem ex antiquissimis esse putaverunt, Athenis natus, discipulus Daedali, quem in Cretam fugientem secutus est. (Pausan. I. 26, 5.) Statuarum, quas fecit, memorantur hae:

I. *Minerva sedens,* Athenis a Callia dedicata. Pausan. l. l. cfr. Athenagor. legat. pro Christ. 14. p. 60. sq. ed. Dechair. qui eam oleaginam dicit, atque praeterea Endoeo simulacrum Dianae Ephesiae tribuit; non liquet qua auctoritate.

II. *Minerva* lignea Erythris in Achaia, satis magna, sedens in solio, utraque manu colum, capite vero polum gestans. Hanc statuam opus Endoei fuisse, Pausanias (VII. 5, 4.) cum ex aliis argumentis opificii, tum ex Gratiis et Horis lapide candido factis collegit, quae ante ipsius adventum sub dio steterant.

III. *Gratiae et Horae* ibidem.

IV. *Minervae* antiquum signum Aleae in Arcadia, totum ex ebore factum, quod Augustus inde Romam deportavit. (Pausan. VIII. 46, 1. 3.)

Quod iam ad tempus quo vixerit Endoeus attinet, vulgo quidem Daedali discipulum eum dicunt. Meliora autem de eo Thierschius (Epoch. Art Gr. Adnot. I. p. 24. II. p. 32.) praecepit, qui inde quod Callias Minervae simulacrum dedicasse dicitur, egregie collegit, Endoeum Daedali discipulum quidem vocatum Pisistratidarum vere aetate floruisse. Primus enim Callias apud Athenienses memoratus fuit Phaenippi filius, qui Ol. LIV. victoriam reportavit, (Schol. Aristoph. Av. 284.) et gravissima Pisistrati inimicitia ci-

ves suos superavit. (Herod. VI. 121.) Hinc et Dipoeni Scyllidisque aequalis Endoeus habendus est, qui primum *marmore sculpendo* circa Ol. L. excelluerunt; Daedali autem discipulus Endoeus dictus est, ut iidem Dipoenus et Scyllis.

ENTOCHUS.

Sculptor incertae patriae atque aetatis, qui Oceanum et Jovem fecerat, quod opus Asinius Pollio in suis aedibus posuit. Plin. XXXVI. 5. s. 4.

EPEUS.

Fabricator equi lignei, cuius ope Troia expugnata est. Filius fuit Panopei (Pausan. II. 29, 4.) eique nonnulla opera tributa fuisse videntur. (Platon. Ion. I. p. 533. A. St.) Pausanias certe (II. 19, 6.) ligneas imagines Veneris et Mercurii ab eo factas memorat.

EPHORUS.

Pictor Ephesius, Apellis ante Pamphilum praeceptor. Suidas s. v. Ἀπελλῆς.

EPIGONUS.

Statuarius, qui *tubicine et infante matri interfectae miserabiliter blandiente* nobilitatus est. Plin. XXXIV. 8. s. 19.

EPIMACHUS.

Architectus Atheniensis Demetrii Poliorcetae aetate, quem Vitruvius X. 2. nobilem dicit.

EPITINCHANUS.

Scalptor, quem circa tempus Christi nati vixisse necesse est, siquidem Sexti Pompeii vel ut alii volunt M. Marcelli caput gemmae inscalpsit. Bracci T. II. p. 78.

EPITONUS.

Scalptor gemmarum. V. Ephem. liter. Jen. 1825. nr. 193. p. 100.

ERATO.

Sculptor vasis lapidei (Winckelm. Opp. T. V. p. 49.)

ERIGONUS.

Erigonus tritor colorum Nealcae pictoris in tantum ipse profecit, ut celebrem etiam discipulum relinqueret Pasiam, fratrem Aeginetae fictoris. Plin. XXXV. 11. s. 40. Ex iis vero quae s. v. *Aegineta* et *Nealces* disputavimus, colligi potest, Erigonum circa Ol. CXXXIII. vixisse.

EUBIUS.

Sculptor incertae aetatis qui cum Xenocrito (uterque Thebis natus fuerat) in patria sua signum Herculis Promachi sive Propugnatoris e candido lapide posuit. Pausan. IX. 11, 2.

EUBULIDES.

Statuarius incertae aetatis qui magnum donarium Minervam Paeoniam, Jovem, Mnemosynen, Musas Apollinemque comprehendens fecit et Athenis consecravit. (Pausan. I. 2, 4.) Eius filius Euchir Athenien-

sis fuit, (Pausan. VIII. 14, 7.) unde et patrem in eadem urbe genitum fuisse suspicari licet. Celebratus est eius *digitis computans* (Plin. XXXIV. 8, 19. ubi Harduinus *Eubulides* neque *Eubolides* scribendum esse recte vidit.)

EUBULEUS.

Sculptor filius Praxitelis alicuius aetatis et patriae incertae. Nomen eius capiti incisum. Winckelm. Opp. T. VI. P. II. p. 166.

EUCADMUS.

Sculptor incertae patriae, praeceptor Androsthenis qui signa in fastigiis templi Delphici a Calamide et Praxia incepta ad finem perduxit. (Pausan. X. 19, 3.) Quum vero Androsthenes Ol. XC. floruerit, Eucadmus fere Ol. LXXXII. vixit.

EUCHIR.

I. Pictor Daedalo cognatus, qui secundum Theophrastum apud Plin. H. N. VII. 56. picturam in Graecia invenit.

II. Plastes (qui et Euchirus dictus, Pausan. VI. 4, 2.) unus ex antiquissimis, qui cum Eugrammo Demaratum Corintho profugum in Etruriam secutus esse dicitur. (Plin. XXXV. 12. s. 43.) Pausanias quidem (l. l.) hanc artificum seriem tradit:

Syadras - Chartas
|
Euchirus
|
Clearchus Rheginus
|
Pythagoras Rheginus.

Sed quum Demaratus cum Bacchiadis Ol. XXIX. Corintho abierit, Pythagoras autem Rheginus circa Ol. LXXIII. floreret, non est quod ostendam, hanc genealogiam admodum mancam esse; probabile autem est, nonnullos artifices inter Euchira et Clearchum excidisse; vel cogimur statuere Euchirum praeceptorem Clearchi diversum esse ab Euchire qui Demarati tempore vixit.

III. Sculptor filius Eubulidis, Atheniensis, qui Mercurium marmoreum Pheneae positum fecit (Pausan. VIII. 14, 7.) Plinius (XXXIV. 8. s. 19) eum inter artifices refert, qui athletas, armatos, venatores et sacrificantes aere optime expresserint. Thierschius (Epoch. II. Adnot. p. 33.) eadem de causa eum seriore tempore vixisse recte statuit.

EUCLIDES.

I. Pater Smilidis, qui Daedalo aequalis fuit (Pausan. VII. 4, 4. Clemens Alexandr. Protr. p. 30.) Quoniam vero et Daedalus et Smilis artem primi invenisse dicuntur, hinc Euclidem artificem fuisse vix putaverim.

II. Sculptor Atheniensis, qui Burae oppido in Achaia nonnullas statuas ex lapide Pentelico (Pausan. VII. 25, 5.) et Aegirae Jovem sedentem ex eodem lapide fecit (Pausan. VII. 26, 3.) Quod ad huius Euclidae aetatem attinet, eum paullo post Ol. CI. vixisse puto. Nam vetere Bura terrae motu Ol. CI. 4. ante Ch. n. 373. (Pausan. VII. 25, 2.) funditus deleta recens oppidum conditum est, quod Pausaniae aetate

exstitit. Huius vero Burae incolis Euclides operam suam impertierat, et admodum probabile est, illas Deorum statuas brevi post restitutam urbem factas fuisse.

EUDORUS.

Scenographus et statuarius incertae aetatis et patriae. Plin. XXXV. 11. s. 40.

EUENOR.

Pictor, pater et praeceptor Parrhasii, nonagesima Olympiade florens. Illustris quidem fuit, non tamen in quo haerere expositio deberet. (Plin. XXXV. 9. s. 36.) Adde Suidam, Harpocrationem, Photium.

EUGRAMMUS.

Vide quae dixi s. v. *Euchir* II.

EUMARUS.

Pictor Atheniensis qui primus in pictura marem feminamque discrevit. Vixit ante Cimonem Cleonaeum. (Plin. XXXV. 8. s. 34.)

EUMELUS.

Pictor incertae aetatis et patriae, memoratus a Philostrato Prooem. Icon. p. 4. l. 8. ed. Jac.] Venustatem in pingendo maxime sectatus est, ciusque Helene in foro Romano posita. (id. Vit. Sophist. II. 5. p. 570.) Videtur autem extremo circiter saeculo p. Ch. n. secundo vixisse.

EUNICUS.

Statuarius et argenti caelator Mytilenaeus. (Plin. XXXIII. 12. s. 55. XXXIV. 8. s. 19.) Aetas incerta.

EUODUS.

Scalptor, qui gemmae caput Juliae Titi filiae incidit. Bracci tab. 73. et Mongez in Iconogr. Rom. tab. 35. nr. 3. Floruit igitur circa annum 80. p. Ch. n.

EUPHORIO.

Statuarius et argenti caelator nullo operum suorum praecipuus. Plin. XXXIV. 8. s. 19.

EUPHRANOR.

I. Statuarius et pictor nobilissimus (Quintil. XII. 10.), de cuius in utraque arte peritia et operibus sigillatim agemus. Ac primum quidem ea quae statuarius fecit enumeremus, quorum summam dat Plinius XXXV. 8. s. 19. *Euphranoris Alexander Paris est, in quo laudatur, quod omnia simul intelligantur, iudex Dearum, amator Helenae et tamen Achillis interfector. Huius est Minerva Romae, quae dicitur Catuliana, infra Capitolium a Q. Lutatio Catulo dicata: et simulacrum Boni Eventus, dextra pateram, sinistra spicam ac papaver tenens. Item Latona puerpera, Apollinem et Dianam infantes sustinens, in aede Concordiae. Fecit et quadrigas bigasque, et Cliduchon eximia forma, et Virtutem egregiam* (ita Reg. I. Colbert. vulgo *et Graeciam*), *utrasque colosseas: mulierem admirantem et adorantem. Item Alexandrum*

et Philippum in quadrigis. Praeterea statuam Vulcani (Dio Chrysost. Orat XXXVII. p. 466. C.) et Apollinis Patroi (v. infra) fecit. Quod autem eius picturas attinet (pingendi praeceptorem Aristonem habuit; Plin. XXXV. 10. s. 36. fin. v. supra s. v. *Antorides*) idem Plinius XXXV. 11. s. 40. de iis loquitur: *Post Pausiam eminuit longe ante omnes Euphranor Isthmius, Olympiade CIV.* (Idem iam supra XXXIV. in catalogo statuariorum dixerat), *idem qui inter fictores dictus est a nobis. Fecit et colossos, et marmorea ac scyphos sculpsit:* (ita cod. Reg. I. vulgo *marmora* et *scalpsit*) *docilis et laboriosus ante omnes et in quocunque genere excellens ac sibi aequalis. Hic primus videtur expressisse dignitates Heroum et usurpasse symmetriam: sed fuit in* (hoc addunt omnes mei codd. Vulgo *in* abest) *universitate corporum exilior, capitibus articulisque grandior. Volumina quoque composuit de symmetria et coloribus. Opera eius sunt: equestre proelium: duodecim Dii: Theseus, in quo dixit eundem apud Parrhasium rosa pastum esse, suum vero carne. Nobiles eius tabulae Ephesi, Ulixes simulata insania bovem cum equo iungens, et palliati cogitantes, dux gladium condens.* Eius Thesea et equestre proelium Plutarchus quoque (de gloria Athen. s. 2.) memorat: *Εὐφράνωρ τὸν Θησέα τὸν ἑαυτοῦ τῷ Παῤῥασίου παρέβαλε λέγων, τὸν μὲν ἐκείνου ῥόδα βεβρωκέναι, τὸν δὲ ἑαυτοῦ κρέα βόεια· τῷ γὰρ ὄντι γλαφυρῶς ὁ Παῤῥασίου γέγραπται, καὶ πεποίηται καί τι προσέοικε· τὸν δ᾽ Εὐφράνορος ἰδών τις εἶπεν οὐκ ἀφυῶς·*

Δῆμον Ἐρεχθῆος μεγαλήτορος ὅν ποτ' Ἀθήνη
θρέψε Διὸς θυγάτηρ.

γέγραφε δὲ καὶ τὴν ἐν Μαντινείᾳ πρὸς Ἐπαμινώνδαν ἱπ-ποµαχίαν οὐκ ἀνενθουσιάστως Εὐφράνωρ. — τοῦτο τὸ ἔργον Εὐφράνωρ ἔγραψε καὶ πάρεστιν ὁρᾶν ἐν εἰκόνι τῆς μάχης τὸ συγγράμμα καὶ τὴν ἀντέρεισιν ἀλκῆς καὶ θυ-μοῦ καὶ πνεύματος γεμοῦσαν. Pugna Mantineensis quum Ol. CIV. 3. ante Ch. n. 362. commissa fuerit, patet inde cur Plinius Euphranorem in hac ipsa Olympiade collocarit. Omnes vero picturas a Plinio memoratas (XII. dii, Theseus, proelium equestre) in porticu Ceramici Athenis adservatas fuisse, certo ex Pausania I. 3. §. 2. 3. colligi potest, qui enumeratione picturarum variis explicationibus historicis paullo interrupta ait: *στόα δὲ ὄπισθεν ᾠκοδόμηται γραφὰς ἔχουσα, θεοὺς δώ-δεκα καλουμένους. ἐπὶ δὲ τῷ τοίχῳ τῷ πέραν Θησεύς ἐστι γεγραμμένος, καὶ Δημοκρατία τε καὶ Δῆμος.* (unde igitur patet, Plinium picturam uno verbo descripsisse.) — — *ἐνταῦθά ἐστι γεγραμμένον καὶ τὸ περὶ Μαντίνειαν Ἀθη-ναίων ἔργον* (adde VIII. 9, 4.) *οἳ βοηθήσοντες Λακεδαι-μονίοις ἐπέμφθησαν. — — ἐν δὲ τῇ γραφῇ τῶν ἱππέων ἐστὶ μάχη, ἐν ᾗ γνωριμώτατοι Γρύλλος τε ὁ Ξενοφῶντος ἐν τοῖς Ἀθηναίοις, καὶ κατὰ τὴν ἵππον τὴν Βοιωτίαν Ἐπα-μινώνδας ὁ Θηβαῖος· ταύτας τὰς γραφὰς Εὐφράνωρ ἔγρα-ψεν Ἀθηναίοις, καὶ πλησίον ἐποίησεν ἐν τῷ ναῷ τὸν Ἀπόλλωνα πατρῷον ἐπίκλησιν;* ubi Siebelisius recte quidem perspexit Apollinem istum opus aeneum fuisse neque picturam, sed seriem orationis minus animum advertit. De pictura duodecim Deorum Valer. Max. VIII. 11. ext. 5. haec refert: *Cum Euphranor Athenis*

XII. deos pingeret, Neptuni imaginem quam poterat excellentissimis maiestatis coloribus complexus est perinde ac Jovis, aliquanto augustiorem repraesentaturus. Sed omni impetu cogitationis in superiori opere absumpto, posteriores eius conatus assurgere, quo tendebant, nequiverunt. Qua vero tandem occasione inciderit in archetypum ad quod Jovem efformaret, tradit Eustathius ad Iliad. α. 529. p. 145, 11. ed. R. *Φέρεται ἱστορία, ὅτι Ε'υφράνωρ Α'θήνησι γράφων τοὺς δώδεκα θεοὺς καὶ ἀπορῶν πρὸς οἷον ἀρχέτυπον γράψει τὸν Δία, παρῄει ἐν διδασκάλου· καὶ ἀκούσας τῶν ἐπῶν τούτων. Α'μβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται, καὶ τὰ ἑξῆς, ἔφη ὅτι ἤδη ἔχει τὸ ἀρχέτυπον· καὶ ἀπιὼν ἔγραψεν.* In Junone Euphranoris Lucianus (Imagg. 7. T. II. p. 465.) comae potissimum colorem laudandum censuit, et in universum eius ut et Zeuxidis aut Polygnoti tabulis Philostratus (Vita Apollon. II. 9.) fuco usus rhetorico *τὸ εὔσκιον καὶ τὸ εὔπνουν καὶ τὸ εἰςέχον τε καὶ ἐξέχον* tribuit. Nonne haec verba aestheticum quendam recentioris temporis homuncionem de tripode suo mystico pronunciasse putes? Discipulos in pictura Euphranor habuit Antidotum, Carmanidem (Plin. XXXV. 11. s. 40.) et Leonidam Anthedonium (Steph. Byz. s. v. *Α'νθήδων.*)

II. Architectus minus nobilis, qui de praeceptis symmetriarum scripsit. (Vitruv. VII. Praef. §. 14.)

EUPHRONIDES.

Statuarius qui a Plinio XXXIV. 8. s. 19. artificibus Olympiadis CIV. annumeratur.

EUPLUS.

Scalptor incertae patriae et aetatis apud Bracci tab. 72. nisi quidem aliud quid sub hoc verbo ΕΥΠΛΟΥ latet, quod ex argumento gemmae, Amor Delphino insidens, probabile fit.

EUPOLEMUS.

Architectus Argivus qui Heraeum prope Mycenas exstruxit, vetustiori templo socordia Chrysidis sacerdotis Ol. LXXXIX. 2. a. Ch. 423. (Thucyd. IV. 133.) concremato. (Pausan. II. 17, 3. coll. 7.) Siebelisius quum pro Εὐπόλεμος legendum suspicaretur Εὐπάλαμος, non attendit, magnum discrimen inter mythica atque vere historica nomina interesse.

EUPOMPUS.

Pictor Sicyonius aequalis et aemulus Zeuxidis, Timanthis, Parrhasii (Plin. XXXV. 9. s. 36.) Floruit igitur circa Ol. XCIV. quod et inde sequitur, quod ipse Pamphilum (Ol. C.), hic vero Apellem (Ol. CVII. v. supra s. v. *Apelles*) artem docuit. Eupompum vero magna auctoritate inter aequales usum fuisse tradit Plinius 10. s. 36. his verbis: *Est Eupompi victor certamine gymnico palmam tenens. Ipsius auctoritas tanta fuit, ut diviserit picturam in genera tria, quae ante eum duo fuere, Helladicum et quod Asiaticum appellabant. Propter hunc qui erat Sicyonius diviso Helladico tria facta sunt: Ionicum, Sicyonium, Atticum.* Egregium et nobile responsum Lysippo dedit, qui quum initio aerarius faber mox audendi ra-

tionem cepisset eum interrogavit, quem sequeretur antecedentium. Tum dixisse Eupompum ferunt demonstrata hominum multitudine: naturam ipsam imitandam esse, non artificem. (Plin. XXXIV. 8. s. 19.)

EURYCLES.

Architectus Spartanus, qui Corinthi prope templum Neptuni balneum nobilissimum exstruxit. Paus. II. 3, 5. Tempus incertum.

EUTELIDAS.

Statuarius, de quo vide quae dixi s. v. *Chrysothemis.*

EUTHUS.

Scalptor incertae patriae atque aetatis. Bracci T. II. tab. 71.

EUTHYCRATES.

Statuarius Ol. CXX. filius et discipulus Lysippi clarissimus de quo Plinius XXXIV. 8. s. 19. haec habet: *is constantiam patris potius aemulatus quam elegantiam austero maluit genere quam iucundo placere. Itaque optime expressit Herculem Delphis, et Alexandrum, Thespin venatorem et Thespiadas: proelium equestre: simulacrum Trophonii ad oraculum: quadrigas Medeae complures: equum cum fiscinis: canes venantium.* Ita hunc locum post alios dederunt Harduinus et Brotierius, haud offensi variis, quas extrema potissimum verba movent, difficultatibus. Et primum quidem Cod. Reg. I. elegantius exhibet: *constantiam potius imitatus patris quam el.* Deinde pro

Thespin et *Thespiadas* quod interpretes non nisi inepte explicare poterant, certissima mea emendatione repone *Thestin* et *Thestiadas* ex perpetua harum vocum confusione. (Markland. ad Stat. Silv. III. 1, 42. p. 257. ed. Dr. Heyne Obss. ad Apollod. p. 47. 136.) Thestiadae illi, Prothus et Cometes (Paus. VIII. 44, 4.) magni venatores fuerint necesse est, quum et venatui Calydonio adhiberentur, in quo a Meleagro occisi sunt. Hinc similia etiam de patre colligere licet; quis tamen venatus intelligatur, nemo expediat. Errat Heynius l. l. p. 136. quum filias Thespii, quas Hercules gravidas fecerat, ab Euthycrate fictas fuisse putat, qualia Graeci fecisse non videntur. Tum permirae sunt istae *quadrigae Medeae complures:* num Medea usquam equis per aera vecta esse dicitur? Etiamsi hoc concedimus, quis *plures* tales quadrigas ab Euthycrate factas concoquere potest? Postremo offendit quoque Latinitas: *quadrigae Medeae* pro *Medea in quadriga.* Ridiculus porro est *equus cum fiscinis,* quem frustra defendere conatur Harduinus; neque placet *canes venantium.* His iam expositis de sanando loco corruptissimo cogitare licet: et ut ab extremis iisque facillimis exordiamur, cod. Voss. unice veram lectionem praestat: *canem venaticum:* pro *fiscinis* omnes et Gronovii et Parisini codd. habent *fuscinis,* quod aperte rectius vulgato est, licet nondum perspicere potuerim, quo nexu cum reliquis a Plinio dictum sit. Quod enim ad *quadrigas* illas attinet, ubi Parisini vulgatum retinent, cod. Acad. exhibet: *quadrigas mede cum plures equin cum fucinis,* Voss. vero: *quadrigas medei con-*

plures aequin cum fuscinis. Inde J. Fr. Gronovius, quum quo mendo vulgata lectio laboraret perspexisset, novam exsculpsit, quam tamen eum paucis probaturum esse puto: *quadrigas in aedes complures, Neptunum* vel potius *seque cum fuscinis.* Lector si quaerit, quid ego statuam, opinionem meam non nisi anxius edere possum. Periculum tamen faciendum est. Et pro *Medeae,* quod in cod. Voss. est MEDEI, lego: *in Elide,* sive sit terra, ut Olympia potissimum intelligatur, sive ipsa urbs. Etenim serioris, quin adeo aureae aetatis scriptores saepe nominibus urbium praepositionem addunt (Muncker. ad Hygin. fab. 10. Gronov. ad Liv. Epit. 102. Oudend. ad Frontin. Strateg. III. 11, 5. p. 412. ed. alt.), et ipse Plinius XXXIV. 3, s. 8, ait: *in Cyme dicaverat* 8. s. 19. *in Pario colonia.* De hac coniectura minus dubito; tanto magis de altera, qua pro scriptura codicis Vossiani AEQUIN CUMFUSCINIS legi posse suspicor: ATQUEINUNA DEUMCUMFUSCINIS. Qui literarum ductus paulo accuratius inspexerit, mutationem non admodum violentam esse concedet; nam DEUM excidit per proximam vocem CUM, cuius corruptelae apud veteres scriptores plura exempla attulerunt Heinsius ad Ovid. Fast. I. 287. et qui hunc laudat Marklandus ad Stat. Silv. I. 3, 50. p. 190. sq. ed. Dresd. Vox autem UNA eadem ratione est omissa, nisi forte sumere velis, librarium hoc tantum signo I. i. e. *una* usum fuisse, unde tanto facilius cum praecedentibus coalescere potuit. Magis trepido de sensu, quum Neptunus an unquam cum duabus fuscinis fictus fuerit nesciam.

De Neptuno tamen sermonem esse, docet vox *fuscinae*, quod Gronovius recte viderat. Plures eum statuas meretricum fecisse auctor est Tatianus orat. in Graec. 52. p. 114. ed. Worth. Nonnulli autem Xenocratem eius discipulum dixerunt. (Plin. l. l.)

EUTHYMEDES.

Pictor, quem Plinius XXXV. 11. s. 40. inter artifices non ignobiles quidem, in transcursu tamen dicendos refert. Aetas et patria incerta.

EUTYCHES.

I. Scalptor gemmae ap. Bracci P. II. tab. 73. cui haec verba incisa sunt. Ευτυχης Διοσκουριδου Αιγεαιος Επ. Bracci eum Dioscuridis filium, Stoschius vero (de Gemmis p. 46.) eius discipulum fuisse arbitratur, quod ego non probaverim, cum nullum exemplum norim, artifices praeceptorum nomina suis apposuisse.

II. Sculptor qui infimis veteris artis temporibus vixit, in Bithynia natus. (V. Winckelm. Opp. T. VI. P. I. p. 112. P. II. p. 342.)

EUTYCHIDES.

I. Statuarius et sculptor Sicyonius, qui Ol. CXX. floruit. (Plin. XXXIV. 8. s. 19.) Discipulus fuit Lysippi (Pausan. VI. 2, 4.) Ex aere *fecit Eurotam, in quo artem ipso amne liquidiorem plurimi dixerunt* (Plin. l. l.); marmoreus vero eius Liber Pater in aedibus Asinii Pollionis spectabatur (Plin. XXXVI. 5. s. 4.) Praeterea Timosthenis Elei, qui Olympiae in-

ter pueros victoriam in stadio reportaverat, et Syris Orontae fluvio accolis Fortunae statuam fecit, quae magno honore habita est. (Pausan. l. l.) Num porro Priapus in Anthol. Gr. IV. 12. memoratus, Eutychidi nostro debeatur, non constat. Ipse Eutychides Cantharum Sicyonium artem docuit. (Pausan. VI. 3, 3.)

II. Pictor incertae patriae et aetatis cuius *bigam regit Victoria.* Plin. XXXV. 11. s. 40. ubi solus Reg. I. veram lectionem exhibet, in reliquis codd. varie corruptam.

III. Sculptor incertae aetatis, nobis unice notus ex Inscriptione Sepulcrali. (Append. Anthol. Palat. T. II. p. 853.)

EUTYCHUS.

Pictor nullam aliam ob causam memoratus, quam quod XX. liberos procreaverat. Anthol. Gr. Palat. XI. 215. T. II. p. 382.

EUXENIDAS.

Pictor incertae patriae, qui Aristidem praeclarum artificem docuit. (Plin. XXXV. 10. s. 36.) Verba *hac aetate* ad Parrhasium et Timanthem referenda sunt, unde et Euxenidam circa Ol. C. floruisse necesse est.

F.

FABULLUS.

Pictor Romanus a Nerone domui aureae picturis exornandae adhibitus. Unus de eo exstat locus Plinii XXXV. 10. s. 37. ubi in vulgatis huius scriptoris editionibus non *Fabullus* sed *Amulius* legitur. At illam scripturam cod. Voss. et Ed. I. defendunt, et Parisini quoque libri ad eam confirmandam non nihil tribuunt. Etenim Reg. I. *famulus,* reliqui *Fabius* exhibent. Ipsum Plinii locum ita emendandum puto: *Fuit et nuper gravis ac severus, idemque floridus humilis rei pictor Fabullus, spectantem spectans, quacunque adspiceretur. Paucis diei horis pingebat, id quoque cum gravitate, quod semper togatus, quamquam in machinis. Carcer eius artis Domus Aurea fuit, et ideo non exstant exemplaria;* quibus verbis pauca adiicienda sunt. *Humilem rem* ipsam domum auream Plinius appellat, qui quantopere principes suas aetatis contempserit, constat. Quod quoniam librarii non intellexerunt, post pictoris nomen haec intulerunt: *Huius erat Minerva spectantem* etc. Sed illa verba a cod. Voss. absunt, neque hoc humile sed vere ridiculum opus fuisset, quod Plinium inducere non potuisset, ut artificem eum *gravem ac severum* diceret. Id iam Durandus bene sensit, addens: *chacun sait, qu'il y a des hommes, qui ont les yeux obliques de part et d'autre, et semblent regarder de tous cotés.*

Quod vero deinde recepit idem Durandus *manicis* pro *machinis*, perperam factum est; rectius *exemplaria* pro *exempla alia* scripsit e cod. Voss. et edit. I.; et quod post *exemplaria* vulgo legebatur *magnopere*, id proxime sequenti periodo tribuendum esse puto.

FELIX.

Scalptor gemmae ap. Bracci T. II. tab. 75.

FUFITIUS.

Architectus Romanus incertae aetatis, qui primus mirum de rebus architectonicis volumen edere instituit. (Vitruv. VII. Praef. §. 14.)

G.

GALATO.

Pictor incertae patriae atque aetatis, a Scholiasta ad Luciani Contempl. p. 499. T. I. ed. Wetst. Gelato dictus, ἔγραψε τὸν μὲν Ὅμηρον αὐτὸν ἐμοῦντα, τοὺς δὲ ἄλλους ποιητὰς τὰ ἐμημεσμένα ἀρυομένους qui locus corrigatur ex Aeliano V. H. XIII. 22. Meyerus (hist. art. Gr. T. II. p. 193.) hunc pictorem Ptolemaeorum aetate vixisse, recte suspicari videtur.

GAURANUS.

Scalptor gemmae, filius Aniceti, apud Bracci T. I. tab. 18.

GITIADAS.

Statuarius Lacedaemonius, qui cum Callone Aegineta tripodas Dearum imaginibus exornatas Aeneto victori Olympiae fecit. (Pausan. III. 18, 5.) Nullum adest argumentum, quod probet, Callonem et Gitiadam diversis temporibus opera sua fecisse; imo ei, qui locum accurate perlegerit, non amplius dubium esse poterit, quin Callo et Gitiadas aequales fuerint, unde iam sequitur, hunc circa Ol. LXVI. vixisse. (Vide supra s. v. *Callo* I.) Praeterea templum et signum Minervae Chalcioeci fecit, eidemque Deae hymnum, et alia Dorica carmina cecinit. (Pausan. III. 17, 3.) Quae autem Welckerus (Zeitschrift für Geschichte der Kunst T. I. p. 274.) de tempore, quo Gitiadas floru-

erit disputavit, ea Virum Doctiss. nunc retractasse arbitror. Satis certe refutata sunt iis quae Müllerus et Thierschius de Pausaniae loco (III. 18, 8.) recte monuerunt. V. supra l. l.

GLAUCIAS.

Statuarius Aegineta, qui athletarum statuis factis nobilitatus est. Currum et simulacrum Gelonis Dinomenis filii, post Syracusanorum tyranni fudit, qui Ol. LXXIII. curru vicerat, et eiusdem Olympiadis anno quarto Syracusarum imperium adeptus est (Clinton fasti Hellen. ad h. a. p. 26.) Hinc Pausanias (VI. 9, 2.) hac de re locutus aperte erroris convincitur (Müller Aeginet. p. 103.) Quod vero in inscriptione illius operis Gelo non Syracusanum sed Geloum dixerit, sequi inde videtur, Gelonem privatum Geloum vicisse, et donarium intra trium annorum spatium a Glaucia confectum fuisse, priusquam Gelo Syracusas sibi subiecit. (Cfr. Siebelis ad l. l. T. III. p. 35. sq.) Praeterea autem Philonis Corcyraei pugilis epigrammate Simonidis Leoprepis filii concelebrati (Pausan. VI. 9, 3.) Glauci Carystii item pugilis (Pausan. VI. 10, 1. cfr. Müller Aeginet. l. l.) et Theagenis Thasii statuas fecit (VI. 11, 3.) qui Olymp. LXXV. Euthymum Olympiae vicerat, (Pausan. VI. 6, 2.) unde iam omnia egregie inter se convenire intelligas.

GLAUCIDES.

Statuarius, quem Plinius XXXIV. 8. s. 19. inter eos artifices refert, qui fecerint athletas et armatos et venatores sacrificantesque.

GLAUCIO.

Pictor Corinthius, cuius discipulus Athenio Maronites fuit. (Plin. XXXV. 11. s. 40.) Hic quum Nicia qui circa Ol. CXX. floruit, paullo minor esse videatur (Meyeri hist. art. T. I. p. 170.), Glaucionem, quo praeceptore usus erat, circa Ol. CXIV. vixisse putare possumus.

GLAUCUS.

I. Artifex Chius vel secundum Stephanum Byzant. s. v. Α'ιθάλη Samius, *qui primus ferri inter se glutinum excogitavit et iunxit.* Euseb. Chron. ad Ol. XXI. 3. a. Ch. n. 694. secundum Vallars. et Ol. XXV. 4 ante Ch. n. 677. secundum Scaliger. — Eius opus pretiosissimum Alyattes II. rex Lydiae (ante Ch. n. 619—563.) Delphos dedicavit, auctore Herod. I. 25. *ἀνέθηκε δὲ ἐκφυγὼν τὴν νοῦσον δεύτερος οὗτος τῆς οἰκίης ταύτης ἐς Δελφοὺς κρατῆρά τε ἀργύρεον μέγαν, καὶ ὑποκρητηρίδιον σιδήρεον κολλητόν, θέης ἄξιον διὰ πάντων τῶν ἐν Δελφοῖσι ἀναθημάτων, Γλαύκου τοῦ Χίου ποίημα, ὃς μοῦνος δὴ πάντων ἀνθρώπων σιδήρου κόλλησιν ἐξεῦρε.* De hac basi, quae sola Glauci Chii opus fuisse videtur, cui crater argenteus alius cuiusdam artificis Alyatti fortasse aequalis imposita est, Hegesander apud Athen. V. 13. Pausan. X. 16, 1. et Plutarchus de fect. oracul. fin. loquuntur, eaque tam artificiosa fuit, ut inde proverbium *Γλαύκου τέχνη* (vide paroemiographos) originem suam duceret. Meyerus (hist. art. T. II. p. 24.) basin ferruminatam cum cratere argenteo confudisse videtur.

II. Statuarius Lemnius, nobis notus ex uno Stephani Byzantini loco supra laudato, at eodem misere lacero, quem coniectura qualicunque ita fere restitui posse putaverim: Πολύβιος ἐν τριακοστῇ τετάρτῃ λέγει Αἰθάλειαν τὴν Λῆμνον καλεῖσθαι, ἀφ' ἧς ἦν Γλαῦκος (omisso articulo ex cod. Rehdig.) Δύο γὰρ ἦσαν' εἷς τῶν τὴν κόλλησιν σιδήρου εὑρόντων· οὗτος μὲν Σάμιος, ὅστις καὶ ἔργον ἀοιδιμώτατον ἀνέθηκεν ἐν Δελφοῖς, ὡς Ἡρόδοτος· ὁ δὲ ἕτερος Λήμνιος, ἀνδριαντοποιὸς διάσημος.

III. Statuarius Argivus, qui una cum Dionysio Argivo circa Ol. LXXVI. (v. supra s. v. *Dionysius* I.) Smicytho nonnulla opera Olympiam dedicata fecit. Et Glaucus quidem Amphitriten, Neptunum, Vestam (Pausan. V. 26, 2.) fecit, quae Pausanias (§. 6.) maiora Smicythi dona appellat.

GLYCO.

I. Sculptor Atheniensis incertae aetatis qui Herculem, dictum Farnesinum, fecit. (Winckelm. Opp. T. VI. P. I. p. 169. sq.)

II. Scalptor gemmae in bibliotheca Regis Galliarum asservatae. (Clarac Description des antiques du musée Royal p. 420.)

GNAEUS vide CNEIUS.

GOMPHUS.

Statuarius qui Praxigoridis meretricis signum fecit. (Tatianus contr. Graec. 52. p. 114. ed. Worth.)

GORGASUS.

Vide quae attuli s. v. *Demophilus* I.

GORGIAS.

Statuarius Olymp. LXXXVII. (Plin. XXXIV. 8. s. 19.) quem Laconem fuisse, post Heynium (Opusc. T. V. p. 371.) demonstravi in Amalthea T. III. p. 285.

GRYLLIO.

Pictor qui Aristotelis aetate vixit. (Aristotelis testamentum apud Diog. Laert. V. §. 15.)

H.

HABRO.

Pictor incertae patriae atque aetatis, qui *Amicitiam et Concordiam pinxit, et Deorum simulacra.* Plin. XXXV. 11. s. 40. Eius filius Nessus, non ignobilis artifex. (Plin. paullo infra.)

HARMATIUS.

Sculptor incertae patriae atque aetatis qui cum Heraclide filio Agasiae Ephesii statuam Martis in museo Parisino asservatam fecit. (V. Clarac Description des antiques du musée royal, nr. 411. p. 173.)

HECATAEUS.

Argenti caelator et statuarius incertae patriae atque aetatis. Plin. XXXIII. 12. s. 55. XXXIV. 8. s. 19.

HECATODORUS.

Statuarius qui cum Sostrato aeneam Minervae statuam Aliphirae in Arcadia fecit, *τῶν μεγαλοπρεπεστάτων καὶ τεχνικωτάτων ἔργων.* Polyb. IV. 78. T. I. p. 474. ed. Gron. At vide infra *Hypatodorus.* — Fortasse Sostratus hic memoratus idem est, quem Plinius statuariis Ol. CXIV. accenset.

HEGESANDER vide AGESANDER.

HEGESIAS.

Statuarius in vulgatis Quinctiliani (XII. 10.) editionibus *Egesias* appellatus, ab hoc cum Callone (Aegineta) componitur, uterque vero *duriora et Tuscanicis proxima opera* fecisse traditur. Acutissime de hoc artifice ut et de Hegia Thierschius (Epoch. Art. Gr. II. Adnot. p. 35.) egit, quae tamen quum nondum satis firmata sint, h. l. maximam partem reticere satius esse videtur. Duo exstant loci praeter illum ex Quinctiliano laudatum, quibus Hegesias memoratur, unus Luciani praecept. rhet. 9. T. III. p. 9. ed. R. *οἷα τὰ τῆς παλαιᾶς ἐργασίας ἐστιν, Ἡγησίου καὶ τῶν ἀμφὶ* Κριτίαν *τὸν* Νησιώτην, alter Plinii XXXIV. 8. s. 19. (laudantur) *Celetizontes pueri, et Castor et Pollux ante aedem Jovis Tonantis Hegesiae.* Et Luciani quidem Ἡγησίαν a Quinctiliani *Hegesia* non diversum esse, nemo negabit; ille enim antiqua opera Ἡγησίου memorans ea cum Critiae (Ol. LXXV.) operibus componit; Quinctilianus vero item Hegesiam cum antiquorum operum artifice Callone (Ol. LXVI.) comparat, ut iam inde aevum quo fere Hegesias floruerit satis certum esse videatur. Huic Celetizontes et Dioscuri Pliniani attribuendi erunt, nisi quidem alium quendam eiusdem nominis artificem a Plinio l. l. memoratum fuisse statuere velis. Quod primo quidem obtutu eo facilius fieri posse putes, quum codd. in illo nomine scribendo haud parum a se discrepare intellexeris. Et quod Thierschius ex cod. Polling. l. l. p. 36. enotavit *Agesiae,* idem et in codd. Gudian. Menap. Reg. II. Dufresn. I. Colbert. legitur, in Reg. I.

et Vossiano *Hagesiae;* neque satis mirari possum, Thierschium, siquidem eius verba paullo obscuriora recte intelligo, discrimen inter Hegesiam et Agesiam sumere, quod nullum est, nisi vere dialecticum, ita ut Lucianus et Quinctilianus Ionicam loquendi formam, Plinius autem vulgarem ex Aeolica desumtam retineret. Et quaerendum nunc ante omnia est, utrum *Hagesiae* an *Agesiae* praeferendum sit, quum ad hanc formam tuendam auctoritas nominum *Agesilai, Agesidami* atque alius *Agesiae* archontis Attici Ol. CXIV. 1. Diod. Sic. XVIII. 113. afferri possit; illi vero ordo literarum in Plinii catalogo se insequentium et praestantia codicum Vossiani et Regii I. valde faveat. Quodsi mihi haec lis dirimenda esset, dicerem, veram huius nominis formam ex Aeolica dialecto *Agesiae* fuisse, quam Plinius, quum brevem suum catalogum conscriberet, errore ipsi facile condonando in *Hagesiae* mutaverit, duplex consilium secutus, partim ut Aeolicam formam servaret, partim vero ne asperum spiritum vulgari dialecto atque verbo ἡγεῖσθαι proprium nimis negligeret. Quod vero Thierschius l. l. e scriptura codicum *Agesiae* colligit, esse illum valde celebratum artificem *Agasiam Ephesium,* facilis quidem haec coniectura nasci potuit; quaerendum tamen etiam fuit, an stylus quem vocant herois Borghesiani (de quo quae Thierschius dixit vix probaverim) Olympiadi LXX. conveniat, qua Hegesiam nostrum floruisse supra vidimus. Hoc sane certum est, *Agasiam* neminem esse alium quam *Hegesiam* Dorice scriptum; at nondum in hoc nomine explicitum est, unde veniat,

ut artifex Ephesius, Ionicae igitur originis, Dorica Dialecto (Agasias-Agesias) nomen suum scripserit, quo accedit, alium quoque Agasiam item Ephesium filium Menophili a Borghesiano igitur valde diversum eadem dialecto uti. Huius enim nomen inscriptio Graeca apud J. Fr. Gronovium ad Plinii l. l. (T. III. p. 826.) exhibet:

ΓΑΙΟΝ ΒΙΛΛΙΗΝΟΝ ΓΑΙΟΥ ΥΙΟΝ ΠΡΕΣΒΕΥΤΗΝ
ΡΩΜΑΙΩΝ ΟΙ ΕΝ ΔΗΛΩΙ ΕΡΓΑΖΟΜΕΝΟΙ ΕΥΕΡ-
ΓΕΣΙΑΣ
ΕΝΕΚΕΝ ΤΗΣ ΕΙΣ ΣΑΥΤΟΥΣ ΑΝΕΘΗΚΑΝ
ΑΓΑΣΙΑΣ ΜΗΝΟΦΙΛΟΥ ΕΦΕΣΙΟΣ ΕΠΟΙΕΙ
ΑΡΙΣΤΑΝΔΡΟΣ ΣΚΟΠΑ ΠΑΡΙΟΣ ΕΠΕΣΚΕΥΑΣΕΝ

Exspectantes igitur, donec vir aliquis doctus dialecticam illam difficultatem nobis expediat, ea quae ex supra dictis sequuntur, iam breviter repetamus:

I. *Hegesias* statuarius, aequalis Callonis Aeginetae et Critiae, vulgari magis loquendi ratione *Agesias* dictus, quod inde etiam plerique librarii Pliniani receperunt, ab ipso Plinio *Hagesias* appellatus est, ut is scilicet literarum seriem servaret.

II. *Hegesias* alter, sculptor Ephesius, filius Dosithei, artifex herois Borghesiani, quem certe post Myronem floruisse multa docent. (Meyeri hist. art. Gr. T. I. p. 292. sq.) Inscriptio operi incisa haec est: ΑΓΑΣΙΑΣ ΔΩΣΙΘΕΟΥ ΕΦΕΣΙΟΣ ΕΠΟΙΕΙ. Huius *Agasiae* filius Heraclides fuisse videtur, de quo infra v. *Heraclides* III.

III. *Hegesias* tertius, itidem sculptor Ephesius, qui sub Romanorum imperio in insula Delo artem

exercuit. (V. inscript. supra laudat.) Quod vero omnino ad artificis nomen attinet, Aeolicam et deinde vulgarem eius formam *Agesias* fuisse certum est, quod iam ex *Agesilao* aliisque nominibus perspici potest; *Agasiae* scriptura vere Dorica est, quomodo Spartanos non Ἀγησίλαος sed Ἀγασιλᾶς pronunciasse scimus; forma Ἡγησίας Ionum fuit, atque scriptores Attici tum demum ea usi esse videntur, quum originem vocis ex verbo ἡγεῖσθαι indicare vellent.

HEGIAS.

Statuarius Atheniensis, Ageladae, Onatae (Pausan. VIII. 42, 5.) et Critiae Nesiotae aequalis. (Plin. XXXIV. 8. s. 19.) Floruit igitur eodem fere, quo Hegesias modo dictus tempore, eiusque opus *Minerva Pyrrhusque rex* a Plinio l. l. (cfr. Heynii Opusc. T. V. p. 369. Thiersch. Epoch. II. Adnot. p. 35.) celebratur. Heynius et Thierschius l. l. huncce statuarium ab Hegesia non diversum esse censent, quia *Hegesias* nil nisi forma paullo productior nominis *Hegiae* sit, et uterque artifex eodem tempore floruisse dicatur. Sed iam Müllerus (Aeginet. p. 102.) haec reiecit, neque mihi argumenta illa satis gravia videntur, quibus accedere possim.

HEIUS.

Scalptor Graece Ηειος dictus, cuius nomen gemmae (Spilsbury Gems nr. 13. caput plane incognitum) et vitreo lapidi (Winckelm. descript. des pierres gravées p. 76. Opp. T. V. p. 48. Intpp. ad T. VII. p. 463. Bracci tab. 76. Diana venatrix) incisa est.

HELENA.

„Pictrix, Timonis Aegyptii filia, pingendi perita, quae bellum Issicum saeculo suo gestum pinxit. Vespasianus hanc picturam collocavit in templo Pacis. (Photius p. 248. ed. Höschel. ex Ptolemaei Hephaestionis novae ad variam eruditionem historiae libro IV.)" IUNIUS.

HELIODORUS.

Statuarius et sculptor incertae aetatis et patriae, ex eorum numero qui venatores sacrificantesque aere fecerunt (Plin. XXXIV. 8. s. 19.); ex marmore autem *ad Octaviae porticum Pana et Olympum luctantes fecit, quod est alterum in terris symplegma nobile* (XXXVI. 5. s. 4.)

HELLAS.

Statuarius Atheniensis incertae aetatis, quem Vitruvius (III. Prooem. §. 2.) inter artifices refert nullam assecutos memoriam, quod non ab industria artisve sollertia sed a felicitate fuerint deserti.

HELLEN.

Scalptor, cuius gemma exstat ap. Bracci T. II. tab. 77.

HEPHAESTIO.

Sculptor filius Myronis Atheniensis, memoratus in inscriptione Graeca apud Spon. Miscell. Erud. Antiq. p. 126. Bracci T. II. p. 268. Myronem celeberrimum illum h. l. intelligendum esse putat; utrum iure nec ne, quis dicere ausit?

HERACLIDES.

I. Pictor qui sub finem regni Macedonici vixit. Ipse Macedo, *initio naves pinxit, captoque rege Perseo* (168. ante Ch. n.) *Athenas commigravit, ubi eodem tempore erat Metrodorus pictor, idemque philosophus, magnae in utraque scientia auctoritatis.* Plin. XXXV. 11. s. 40. qui paullo infra eundem artificem non ignobilem quidem, in transcursu tamen cum aliis dicendum appellat.

II. Sculptor Phocensis incertae aetatis. Diog. Laert. V. §. 64.

III. Sculptor Ephesius filius Agasiae, qui cum Harmatio Martem Parisinum fecit. (V. supra s. v. *Harmatius.*) Probabile est, Agasiam patrem Heraclidae eundem esse, qui heroa Borghesianum fecerit.

HERMO.

I. Statuarius Trözenius incertae aetatis, qui Apollinis statuam in aede huius numinis antiquissima Trözene et Dioscurorum lignea simulacra fecit. (Pausan. II, 31, 9.)

II. Architectus v. PYRRHUS.

HERMOCLES.

Sculptor Rhodius qui Combabum forma quidem mulieri similem at viri vestibus indutum fecit. (Lucianus de dea Syra.) Vixit tempore Seleucidarum.

HERMOCREON.

Architectus et sculptor incertae aetatis, qui aram

in urbe Pario ad Propontium eximiae magnitudinis et pulchritudinis fecit. (Strabo XIII. p. 588. B. coll. XII. p. 487. A.)

HERMODORUS.

Architectus Salaminius qui incerta aetate Romae in circo Flaminio aedem Martis condidit. (Cornelius Nepos ap. Priscian. Gr. Lat. VIII. col. 792. fragm. XI. 1. p 743. ed. Stav. L. B. 1734.) Recte fortassis idem nomen Vitruvio (III. 2. §. 5. ed. Schn.), ubi *Hermodus* aliquis Jovis Statoris templum Romae in porticu Metelli (Macedonici) aedificasse dicitur, Turnebus (Advers. XI. 2.) restituit; et si ea quae Cicero (Orat. I. 14. §. 62.) de Hermodoro navalium conditore narrat, de nostro Hermodoro valent, usque ad annum fere ante Ch. n. 99. floruit, quo M. Antonius, qui pro Hermodoro palam dixit, consulatum gessit. (Cfr. Ellendt prolegg. ad Ciceronis Brutum p. LXII. sqq.) Quum vero Metellus 148. ante Ch. n. Andriscum sive Pseudophilippum devicerit, paullo post hunc annum, siquidem coniectura Turnebiana certa est, Hermodorum Romae artem exercuisse necesse est.

HERMODUS.

Vide quae modo attulimus s. v. *Hermodorus.*

HERMOGENES.

I. Architectus antiquus, qui aedificandi arti multum et ipsis aedificiis (Vitruv. III. 2. §. 6. et 3. §. 8. ed. Schn.) et scriptis profuit. (id. VII. Prooem. §. 12. IV. 3. §. 1.) Quo tempore vixerit incertum est; an-

tiquiori autem aevo eum tribuendum esse, varia ratione Vitruvius innuit.

II. Statuarius Cytherius incertae aetatis, qui Veneris simulacrum Corinthi positum fecit. Paus. II. 2, 7.

III. Pictor, qui Tertulliani aetate vixit, ab hoc peculiari libro propter doctrinam Stoicorum ipsi defensam oppugnatus; Tertullianus statim in principio libri sui eum *licite pinxisse* ait.

HERMOLAUS.

Sculptor qui *cum Polydecte Palatinas Caesarum domos probatissimis signis replevit.* Plin. XXXVI. 5. s. 4.

HERODOTUS.

Statuarius Olynthius, qui cum aliarum meretricum statuas tum Phrynes quoque fecit, atque hac ratione Praxitelis aetate vixit. (Tatianus orat. c. Graec. 53. 54. p. 116. sq. ed. Worth.)

HICANUS.

Statuarius, quem Plinius XXXIV. 8. s. 19. artificibus accenset, qui athletas, armatos, venatores sacrificantesque fecerint.

HIERO.

Vide quae dixi s. v. *Tlepolemus.*

HILARIUS.

Pictor Bithynus, qui sub Valente (364-379) Athenis excelluit, et cum familia ruri a barbaris occisus est. Eum dicit Eunapius de vit. philos. et sophist. in vit. Prisci p. 94. *πρὸς τῷ καθαρῷ τῆς ἄλλης παιδείας κατὰ γραφικὴν οὕτω φιλοσοφήσαντα, ὥστε οὐκ ἐτεθνήκει ἐν ταῖς ἐκείνου χερσὶν ὁ Εὐφράνωρ.*

HIPPIAS.

I. Statuarius, qui Duridis Samii statuam Olympiae in Alti positam fecit, de puerili pugilatu victoris. Pausan. VI. 13, 3. loco multis lacunis graviter deturpato, unde, si eius auctoritatem sequimur ut quidem nunc se habet, docemur, Duridem illum vicisse, quando Samii ab Ionibus insula expulsi fuerint, (circa annum 990. ante Ch. n.), quod vere factum fuisse nemo sibi persuadebit; multo minus etiam hoc, illo tempore iam statuas athleticas factas fuisse.

II. Statuarius, quem Dio Chrysostomus Orat. LV T. II. p. 282. ed. Reisk. Phidiae praeceptorem dicit.

III. Pictor incertae aetatis et patriae, qui Neptuno et Victoria inclaruit. Plin. XXXV. 11. s. 40. ubi olim legebatur *Iphis*, quod Harduinus recte reiecit.

HIPPODAMUS.

Architectus Milesius vel Thurius, qui Athenis Piraeeum tempore bellorum Persicorum exstruxit. Harpocrat. s. v. Ἱπποδάμεια ubi v. Valesius p. 331. ed. Lips. Quod ad tempus, quo Hippodamus Piraeei muros exstruxerit, attinet, Odofredus Müllerus in Erschii et Gruberi Encyclopaed. T. VI. p. 222. et Doriens. T. II. p. 255. hoc factum esse ait circa Ol. LXXXIII. 3. Sed quum Schol. Aristoph. Equit. 327. refert, *πρῶτος αὐτὸς τὸν Πειραιᾶ κατὰ τὰ Μηδικὰ συνήγαγεν*; tum etiam quae aliunde de his operibus Piraeicis scimus, arguere videntur, Hippodamum non ad Periclis sed ad Themistoclis tempora pertinere. Thucydides enim I. 93. Themistoclem exstructis

Athenarum moenibus Piraeeum quoque ut firmarent, civibus suis suasisse ait; et quum urbis moenia statim post Sestum captam (Ol. LXXV. 2. ante Ch. n. 479.) condita fuisse narret (I. 89.) vides quam egregie inter se conspirent et Thucydides et Scholiastes Aristophanis; et exstructio muri Piraeici ad Olympiadem fere LXXVI. 1. 2. referenda erit.

HYGIEMO.

Pictor unus ex antiquissimis, qui monochromata pinxit. (Plin. XXXV. 8. s. 34.)

HYLLUS.

Scalptor, de quo v. Bracci T. II. p. 116. sq.

HYPATODORUS.

Statuarius, qui cum Polycle (I.), Cephisodoto (I.) et Leochare Olymp. CII. floruit (Plin. XXXIV. 8. s. 19.) Quae aliunde de huius artificis aetate atque patria (fuit autem Thebanus) colligi possunt, supra s. v. *Aristogiton* attuli, ubi Boeckhii vestigia secutus demonstrasse mihi videor, utrumque artificem ab inde fere Ol. XC. usque ad CII. floruisse. — Fecit autem Hypatodorus aeneam Minervam magnitudine et arte spectabilem Alipherae in Arcadia positam (Pausan. VIII. 26, 4.) quam Polybius *Hecatodoro* (v. supra) tribuit, et cum Aristogitone imagines ducum qui cum Polynice expeditionem contra Thebas susceperunt, opus ab Argivis Delphis dedicatum. (Pausan. X. 10,2.)

I.

ICTINUS.

Architectus nobilissimus, cui Pericles opera sua aedificanda commisit. Exstruxit autem Parthenona in arce Athenarum (Pausan. VIII. 41, 5. Strabo IX. p. 606. C.) quo opere a Callicrate adiutum fuisse refert Plutarchus Pericl. 13. Ipse cum Carpione de hac aede volumen condidit (Vitruv. VII. Prooem. §. 12.), quam Olympiade LXXXV. conditam fuisse inde patet, quod eadem Olymp. Phidias statuam Minervae illi destinatam fecit. — Praeterea etiam Ictinus aedem in qua initiationis ritus peragebantur Eleusine (Strabo IX. p. 605. A. Vitruv. l. l. §. 16.) a Plutarcho l. l. Coroebo et Metageni tributum, et templum Apollinis Epicurii in Cotylio monte iuxta urbem Phigaliam exstruxit. (Paus. l. l.)

IO.

Statuarius, qui Olympiade CXIV. vixit. Plinius XXXIV. 8. s. 19.

IPHIO.

Pictor Corinthius incertae aetatis, de quo Anthol. Palat. IX. 757.

Ἰφίων τόδ' ἔγραψε Κορίνθιος· οὐκ ἔνι μῶμος
χερσίν, ἐπεὶ δόξης ἔργα πολὺ προφέρει.

IRENE.

Pictrix incertae aetatis et patriae, *filia et discipula Cratini pictoris, pinxit puellam, quae est Eleusine.* Plinius XXXV. 11. s. 40. Huius Irenes mentionem quoque iniicit Clemens Alexandrinus Strom. IV. p. 523. B. ed. Sylb. (v. supra s. v. *Cratinus* I.)

ISIDORUS.

Statuarius incertae aetatis et patriae, cuius Hercules Parii laudabatur. Plin. XXXIV. 8. s. 19.

ISIGONUS.

Statuarius incertae patriae qui cum aliis artificibus Attali et Eumenis adversus Gallos praelia fecit. (Plin. XXXIV. 8. s. 19.) Floruit vero circa Ol. CXXXV. (v. supra s. v. *Antigonus.*)

ISMENIAS.

Pictor Chalcidensis Lycurgi Atheniensis aequalis, qui huius stemma in una integra tabula, posita in Erechtheo, pinxit. (Pseudo-Plut. Vitae X. Oratt. p. 843. E. p. 258. T. IV. ed. W.) De *stemmatis* pictis v. supra s. v. *Coenus.*

L.

LABEO.

Pictor, de quo Plinius XXXV. 4. s. 7. *Parvis tabellis gloriabatur, exstinctus nuper in longa senecta, Antistius Labeo Praetorius, etiam Proconsulatu provinciae Narbonensis functus: sed ea res in risu et contumelia fuit.* Ita huius artificis nomen praeter alios Plinii editores etiam Harduinus et Brotierius scripserunt. Codices tamen, quos contuli, plane alia exhibent; ita Reg II. et Colbert. *sitedius abeo,* Dufresn. I. *edius ab eo.* Quid in Reg. I. olim vere lectum fuerit, nunc non liquet, quum quae ibi nunc exstant verba: *si tectius . . ab eo* rasurae inscripta sint. Quodsi in verbis *ab eo* vere nomen *Labeo* latet, ut sane valde probabile est, *Antistii* quoque nomen a V. V. D.D. recte restitutum est.

LACER.

Architectus notus ex inscriptione ap. Gruterum p. 162, 1. qui haec habet: „In oppido Alcantara in Hispaniis, pons est venerandae et antiquitatis et maiestatis, in cuius ingressu exstat sacellum, hodie divi Iuliani appellatum, habens limen superius sic inscriptum.

IMP. NERVAE. TRAIANO. CAESARI. AUGUSTO. GERMANICO. DACICO. SACRUM

TEMPLUM. IN. RUPE. TAGI. SUPERIS. ET. CAESARE. PLENUM
ARS. UBI. MATERIA. VINCITUR. IPSA. SUA
QUIS. QUALI. DEDERIT. VOTO. FORTASSE. REQUIRET
CURA. VIATORUM. QUOS. NOVA. FAMA. IUVAT
INGENTEM. VASTA. PONTEM. QUOD. MOLE. PEREGIT
SACRA. LITATURO. FECIT. HONORE. LACER
QUI. PONTEM. FECIT. LACER. ET. NOVA. TEMPLA
DICAVIT. ILLIC. SE. SOLV.......... VOTA. LITANT
PONTEM. PERPETUI. MANSURUM. IN. SECULA. MUNDI
FECIT. DIVINA. NOBILIS. ARTE. LACER
IDEM. ROMULEIS. TEMPLUM. CUM. CAES. DIVIS
CONSTITUIT. FELIX. UTRAQUE. CAUSA. SACRI
C. IULIUS. LACER. H. S. F. ET. DEDICAVIT. AMICO. CURIO. LACONE. ICAEDITANO."

LACHES.

Vide quae diximus s. v. *Chares.*

LACRATES vide PYRRHUS.

LADAMAS vide MOSCHIO.

LAIPPUS.

Vide quae diximus s. v. *Daippus.*

LALA.

Pictrix de qua Plinius XXXV. 11. s. 40. haec tradit: *Lala Cyzicena perpetuo* (sic cod. Reg. I.) *virgo, M. Varronis inventa Romae et penicillo pinxit et cestro in ebore, imagines mulierum maxime et Neapoli*

anum (ita Harduinus, cum omnes codd. et editt. antiquae *Neapolitanum* habeant) *in grandi tabula: suam quoque imaginem ad speculum. Nec ullius velocior in pictura manus fuit: artis vero tantum, ut multum manipretio antecederet celeberrimos eadem aetate imaginum pictores Sopolim et Dionysium, quorum tabulae pinacothecas implent.*

LAPHAES.

Statuarius antiquissimus Phliunte natus, qui Herculem Sicyone e ligno fecit (Pausan. II. 10, 1.) Eidem artifici Pausanias Apollinem eundem ligno factum, nudum, insignique magnitudine Aegirae in Achaia collocatum tribuendum esse putat, utriusque statuae virtutes inter se componens. (VII. 26, 3.)

LASIMUS vide ALSIMUS.

LEARCHUS.

Statuarius Rheginus, unus ex antiquissimis, quem alii Daedali alii Dipoeni et Scyllidis discipulum dixerunt. Ad illius discipulos quod attinet, iam aliquoties vidimus, quomodo ea quae de iis traduntur intelligenda sint; de Dipoeno vero et Scyllide nunc sermo esse non potest, primum quod hi marmore tantum sculpendo nobilitati sunt, deinde quod opus Learcho tributum multo priore tempore, quam quo Dipoenum et Scyllidem floruisse scimus, factum fuisse necesse est. Pausanias enim III. 17, 6. haec tradit: *Τῆς Χαλκιοίκου δὲ (ἐν Σπάρτῃ) ἐν δεξιᾷ Διὸς ἄγαλμα ἐκ χαλκοῦ πεποίη-*

ται, παλαιότατον πάντων, ὁπόσα ἐςὶ χαλκοῦ· δι' ὅλου γὰρ οὐκ ἔςιν εἰργασμένον, ἐληλασμένον δὲ ἰδίᾳ τῶν μερῶν καθ' αὑτὸ ἑκάστου, συνήρμοσταί τε πρὸς ἄλληλα, καὶ ἧλοι συνέχουσιν αὐτὰ μὴ διαλυθῆναι. καὶ Λέαρχον δὲ ἄνδρα Ῥήγῖνον τὸ ἄγαλμα ποιῆσαι λέγουσιν, ὃν Διποίνου καὶ Σκύλλιδος, οἱ δὲ αὐτοῦ Δαιδάλου φασὶν εἶναι μαθητήν. Thierschius (Epoch. Art. Gr. I. Adnot. p. 24.) bene perspexit, opus illud *σφυρήλατον* ante Rhoeci tempora et proinde circa Olympiadum initia factum fuisse.

LEOCHARES.

Statuarius et sculptor Atheniensis (v. infra) quem Plinius XXXIV. 8. s. 19. cum Polycle (I.) Cephisodoto (I.) et Hypatodoro Olympiade CII. floruisse ait. Eius aetas eo quoque indicatur, quod cum Scopa, Bryaxide et Timotheo, quibus nonnulli etiam Praxitelem adiungunt, Mausoleum exstruxit, (Plin. XXXVI. 5. s. 4. Vitruv. VII. Praefat. §. 13.) quod inde ab Olymp. CVII. factum fuisse constat. (v. Amalthea T. III. p. 286.) Pausanias denique (V. 20, 5.) haec tradidit, unde sequitur, eum ab Olympiade fere CII. qua primum clarum fuisse sumere possumus usque ad CXI. artem exercuisse: *Olympiae fuit Philippeum: Φιλίππῳ δὲ ἐποιήθη κατὰ τὸ ἐν Χαιρωνείᾳ τὴν Ἑλλάδα ὀλισθεῖν. κεῖνται δὲ αὐτόθι Φίλιππός τε καὶ Ἀλέξανδρος, σὺν δὲ αὐτοῖς Ἀμύντας ὁ Φιλίππου πατήρ. ἔργα δ' ἐςὶ καὶ ταῦτα Λεωχάρους ἐλέφαντος καὶ χρυσοῦ, καθὰ καὶ τῆς Ὀλυμπιάδος καὶ Εὐρυδίκης εἰσὶν εἰκόνες.* (Pugna ad Chaeroneam Ol. CX. 3.) Statuarum, quas fecerat, hae innotuerunt:

Iupiter et *Populus* (ex aere?) in longa porticu Piraeei (Pausan. I. 1, 3. Platon. Epist. XIII. p. 361. A.)

Apollo in Ceramico e regione alterius Apollinis a Calamide facti positus (Paus. I. 3, 3.)

Iupiter in arce positus (Pausan. I. 24, 4.) quem Meyerus (hist. art. Gr. T. I. p. 102.) alios secutus cum Jove Polieo incerti auctoris ibidem memorati confudit. Pausaniae enim verba haec sunt; *καὶ Διός ἐστιν ἄγαλμα τό τε Λεωχάρους, καὶ ὁ ὀνομαζόμενος Πολιεύς.*

Martis statua in arce Halicarnassi posita, colossea *ἀκρόλιθος* nobili manu Leocharis facta, quam alii Timothei esse putabant. (Vitruv. II. 8. § 11. Antea ibi *Telocharis* legebatur.) De significatione vocis *ἀκρόλιθος* Winckelmannus Opp. T. III. p. 32. sq. recte statuit, assentiente Quatremère in Iove Olympico p. 333.

Ganymedis nobilissima statua aenea, memorata a Tatiano (orat. adv. Gr. 56. p. 121. ed. Worth.) et Plinio XXXIV. 8. s. 19. qui tamen ibi contractiore nominis forma *Leocras* utitur, quam cod. Reg. II. Dufresn. I. assentientibus Harduino et Brotierio in vulgarem male mutarunt. Illa recte defenditur e Reg. I. et Colbert. et locus, unde praeterea quaedam haurire possumus, ita se habet: *Leocras* (fecit) *aquilam sentientem quid rapiat* [1]) *et cui ferat parcen-*

---

1) vulgo hic verba *in Ganymede* inseruntur. At primum offendere debebat interpretes mira locutio *sentio quid feram in hoc*; deinde vero in cod. Reg. I. non *in Ganymede*

temque [2]) *unguibus etiam per vestem: puerum Autolycon pancration victorem,* [3]) *propter quem Xenophon Symposion scripsit: Iovemque illum tonantem in Capitolio* [4]) *ante cuncta laudabilem, item Apollinem diadematum.*

---

sed *in ganimeden* legitur, quod ferri prorsus non potest. Sed ea lectio mihi persuasit, duo illa verba e margine, ubi librarius explicationis causa ea addiderat, in textum venisse, et *in* ex *i. e.* ortum esse. Plinius certo scripsit ut supra posuimus, et qui verba *sentientem quid rapiat et cui ferat* attento animo inspexerit, a me puto non discedet. Adeo ea Plinio eiusque brevitatis studio conveniunt. Huius operis imitationes diligentissime enumeravit Beckius in memoria Aemilii Ducis Cothenensis (Lips. 1819.) p. 5. — 2) Scripsi *parcentemque* e cod. Reg. I. Dufresn. I. cum vulgo copula desit. De illa vero aquilae cum Ganymede statua cfr. Straton. Epigr. 221. admovente Heynio (artis priscae opera epigrammatis illustr. p. 94.) et Martialis I. 7. laudatus ab Harduino. — 3) Hic Autolycus quidem omnia quae de Leocharis aetate scimus, pervertere videtur, quum eum in pancratio Panathenaeis celebrato circa Ol. LXXXIX. vel XC. vicisse sciamus (Schneider quaestiones de convivio Xenoph. p. 130. sqq.) Leochares vero Olympiade etiam CX. artem exerceret, (v. supra) ita ut spatium octoginta fere annorum inde existat. Verum enim vero Thierschius (Epoch. III. Adnot. p. 87.) illi rei nimium auctoritatis tribuisse mihi videtur; nam fecit quidem Leochares puerum Autolycum, at nihil prohibet, quo minus putemus, artificem hanc statuam tum demum fecisse, quum Autolycus iam annis provectior esset, neque amplius iuventutis flore gauderet. — 4) Iupiter hic memoratus sine dubio a duobus supra allatis diversus est, nisi quidem sta-

Philippi, Alexandri, Amyntae, Olympiadis et *Eurydices* statuae auro et ebore factae Olympiae (v. supra.)

Isocratis statua a Timotheo filio Cononis Eleusine dedicata, Leocharis opus, cuius basi hic titulus incisus fuerat: (Pseudo-Plutarch. p. 838. D. p. 245. T. IV. ed. W. coll. Photio biblioth. cod. 260.)

Τιμόθεος Φιλίας τε χάριν, ξενίην τε προτιμῶν
Ἰσοκράτους εἰκὼ τήνδ᾽ ἀνέθηκε θεαῖς.
Λεωχάρους ἔργον.

Isocratem paullo post pugnam ad Chaeroneam prae maerore obiisse constat, ita ut inde quoque Leocharis aetas supra a nobis descripta novo argumento confirmetur.

Nihil nobis nunc de Leochare dicendum restat, nisi ut inscriptionem memoremus, post alios a Winckelmanno (Opp. T. VI. P. II. p. 137.) laudatam: ΓΑΝΥΜΗΔΗϹ ΛΕΟΧΑΡΟΥϹ ΑΘΗΝΑΙΟΥ quam Winckelmannus non ab ipso artifice sed serius exaratam esse putat. Nobis omnino valde ambiguum esse videtur, utrum illa inscriptio genuinum Leocharis opus an fortasse aliquam eius imitationem spectet. Hoc tamen inde lucrari possumus, Leocharem Atheniensem fuisse.

---

tuere velis, Hadrianum qui eximie Athenis favit, inter alias statuas et hanc Iovis eo, unde antea sumta fuerat, remisisse; idem de Apolline valet, fortasse eodem, quem Pausanias in Ceramico vidit.

LEON.

I. Pictor qui pinxit Sappho (Plin. XXXV. 11. s. 40)

II. Statuarius ex eorum numero, qui fecerunt athletas, armatos, venatores et sacrificantes. (Plin. XXXIV. 8. s. 19.)

LEONIDES.

I. Pictor Anthedonius discipulus Euphranoris. (Stephan. Byz. s. v. Ἀνθηδών. Eustath. ad Hom. Il. β. 508.)

II. Architectus minus nobilis, qui de praeceptis symmetriarum scripsit. (Vitruv. VII. Praef. §. 14.)

LEONTIO.

Pictor incertae patriae, quem Aristides Thebanus pinxit. (Plin. XXXV. 10. s. 36.) Vixit igitur circa Olymp. CX.

LEONTISCUS.

Pictor incertae patriae qui *Aratum victorem cum tropaeo*, et praeter hunc *psaltriam* pinxit. (Plin. XXXV. 11. s. 40.) Harduinus Arati victoriam de Aristippo tyranno Argivo intelligit, laudans Plutarch. Arat. 38 sq. qui locus si vere huc quadrat, circa Ol. CXXXVI. Leontiscus floruit.

LEOSTRATIDES.

Argenti caelator incertae patriae qui circa Magni Pompeii aetatem praelia armatosque caelavit, cuius

nomen ex variis codicum corruptelis recte eruisse mihi videor. In Iunii quidem catalogo e vulgatis Plinii (XXXIII. 12. s. 55.) editionibus *Laedus Stratiates* enumeratur, quod nomen librario nescio cui neque vero Plinio deberi in comperto est. In codd. enim haec leguntur: Dufresn. I. *Laedus Stratites* quod ad vulgatam lectionem proxime accedit: cod. Polling. apud Thierschium (Epoch. Art. Gr. III. Adnot. p. 95.) *lidistratices,* Reg. II. Colbert. *ledistratices,* Reg. I. *ledis thracides.* Et explicationem quidem vulgatae lectionis, quam Meyerus ad Winckelm. T. VI. P. II. p. 281. proposuit, Thierschius l. l. recte refutavit, qui primus vidit, in variis illis lectionibus unum artificis nomen inesse, *Lysistratides.* Quantumvis ingeniosa haec coniectura sit, nimis tamen a lectionibus codicum ea aberrat, quod, si meam opinionem probaveris, minus arguere possis. Et *Leostratidae* quidem nomen (ad codicem Reg. I. proxime accedens) alibi etiam legitur, cuius rei unum exemplum hic memorasse sufficiat. Pausanias enim VI. 6, 1. Λαστρατίδην Ἠλεῖον memorat, quae Dorica forma *Leostratidae* est.

LESBOCLES.

Statuarius et pictor nullis operum suorum praecipuus. Plin. XXXIV. 8. s. 19. ubi unus Reg. III. *Lesbocles* habet, Reg. I. *Lesboles*, Reg. IV. Dufresn. I. II. *Lestolés.*

LESBOTHEMIS.

Statuarius vel sculptor incertae patriae atque aeta-

tis, qui Musam sambucam tenentem fecerat. Euphorio ap. Athen. IV. p. 182. E. coll. XIV. p. 635. A. (fragm. 31. ed. Mein.)

LEUCO.

Sculptor incertae aetatis et patriae, qui canem fecerat. Anthol. Palat. VI. 175.

LIBO.

Architectus Eleus, qui in Alti templum Iovis Olympici e manubiis Pisaeorum aliorumque populorum Dorica aedificatione exstruxit. (Paus. V. 10, 2.) Factum hoc fuerit necesse est circa Ol. LXXXIV. quum Phidias Ol. LXXXV. 4. simulacrum Iovis Olympici condere inciperet. Nemo enim, puto, statuet templum multo ante simulacrum exstructum fuisse.

LINAX.

Sculptor memoratus in inscriptione apud Dati vite de' Pittori p. 118. Λιναξ Α'λεξανδρου Εποιει.

LIPASIUS.

Scalptor gemmae egregiae (Caput Rheae) in Museo Worsleyano p. 143. ΛΙΠΑCΙΟΥ.

LOCRUS.

Statuarius Parius incertae aetatis, qui Minervae signum in templo Martis Athenis positum fecit. Pausan. I. 8, 5.

LOPHON.

Statuarius a Plinio XXXIV. 8. s. 19. iis adnumeratus, qui athletas, armatos, venatores sacrificantesque fecerunt. In vulgatis editionibus *Leophon* legitur; nostrum tuentur cod. Reg. I. III. In aliis (Reg. IV. Dufresn. I. II.) exstat *Lephon*.

LUCILLUS.

„Hunc Lucillum, pictorem, magnifice satis extollit Symmachus Epist. II. 2. IX. 47." Iunius.

LUCIUS.

Scalptor, de quo v. Bracci T. II. p. 132.

LUDIUS.

Huius nominis duo pictores adhuc a scriptoribus commemorantur, quorum eum qui, ut nunc quidem se res habet, secundus vixit, prius laudabo, inde ad natu maiorem transiens. Et de illo Plinius XXXV. 10. s. 37. haec refert: *non fraudando et Ludio Divi Augusti aetate, qui primus instituit amoenissimam parietum picturam, villas ac porticus, ac topiaria opera, lucos, nemora, colles, piscinas, euripos, amnes, litora, qualia quis optaret, varias ibi obambulantium species aut navigantium, terraque villas adeuntium asellis aut vehiculis; iam piscantes, aucupantesque, aut venantes, aut etiam vindemiantes. Sunt in eius exemplaribus nobiles palustri accessu villae succollatis sponsione mulieribus labantes trepidique: feruntur plurimae praeterea tales argutiae facetissimi salis. Idemque*

subdialibus maritimas urbes pingere instituit, blandissimo adspectu minimoque impendio. Missis reliquis verbis, de quibus alio loco agetur, paucis notemus ea quae maximam interpretibus, ut par erat, difficultatem moverunt: *Sunt in eius exemplaribus* — *trepidique.* Et primum quidem in cod. Reg. I. ante *Sunt* plene interpungitur, quod dudum aliunde defenderat Durandus; *nobiles sunt* vero explicandum per *excellunt*, ut sexcenties apud Plinium legitur; deinde ex VILLAE SUCCOLLATIS exsculpo *villae AC succollatis;* iam sequitur mira vox *sponsione*, quae maxime Gesnerum in Chrestom. Plin. p. 1003. recte offendit. Si quid absque codd. qui omnes sunt corrupti, procudere mihi licet, in *sponsione* fortasse latet *sponsi in se,* quos interpretes imaginum (ἐξηγηταί) qui ubique et omni tempore plus viderunt quam alii homines, in iuvenibus mulieres succollantibus conspicere sibi videbantur; ut proinde totius loci haec sit scriptura: *Sunt in eius exemplaribus nobiles palustri accessu villae, ac succollatis sponsi in se mulieribus labantes trepidique*, quae mea interpretatione puto non indigent. Non haec pro veris vendere volo; meliora fortasse faustior dies dabit. Nunc mea tantum intererat, ut locum qui e scriptura vulgari intelligi plane nequit, quodammodo saltem expedirem, neque tamen Gelenii interpolationem reciperem (*succollantium specie mulieres labantes trepidaeque feruntur*), quam Gesnerus l. l. calculo suo approbavit.

Pergamus iam ad Ludium, quem ferunt, natu maiorem, de quo idem Plinius l. l. haec habet: *Decet*

non sileri et Ardeatis templi pictòrem, praesertim civitate donatum ibi et carmine quod est in ipsa pictura his versibus:

Dignis dignà loco picturis condecoravit
Reginae Iunoni' Supremi coniugi' templum
Marcus Ludius Helotàs Aetolia oriundus,
Quem nunc et post semper ob artem hanc Ardea laudat.

Eaque sunt scripta antiquis literis Latinis. Mirum vero accidit, ut uterque iste Ludius critico auxilio adeo egeat, maxime vero is de quo nunc agitur. Etenim tertius illorum versuum unumquemque vario nomine offendat oportet, quum nomen *Helotas* miri aliquod in se habeat, et magis librarium quem piam qui de *Helotibus* fando audiverat, quam Plinium sapiat. Huc accedit quod in nullo eorum quos equidem novi codice *Ludii* nomen legitur, sed plane alia exstant. Et ut mittamus, quae codices magis minusve manum emendatricem experti praebent (Reg. II. Dufr. I Colb.), ad solum Reg. I. confugiendum nobis esse videtur, qui primo quidem adspectu turbas auget, sed fortasse aliquam salutis viam muniturus est. Priusquam vero qualecunque meum inventum cum V. V. D. D. communicem, venia eorum impetranda est, quod rem arduam suscipio, in qua ne eventu caream ipse maxime metuo Omnia coniectura nituntur, et quum locus sit vere conclamatus, fortiora remedia adhibenda erunt. Ille igitur codex haec praestat: *Marcus plaustis marcus cloetasialata esse oriundus,* quibus similia sunt in codice Pintiani et in duobus quoque codd. quorum alter Vos-

sianus esse videtur, invenerat Iunius (v. Catal. p. 108.) Et quum alterutrum *Marcus* spurium esse appareat, facile quidem secundum errori librarii tribuere possemus, quod tamen secus habere, mihi est persuasissimum, quum permulta apud scriptores Latinos inveniantur exempla praenominis post nomen positi, unde et per hunc librum aliquot Plinii locis e codice Reg. I. potissimum sanavi; nunc vide Gronov. ad Liv. III. 1. Senec. Epist. 40. M. Sen. Suasor. 6. extr. Plin. XXXIII. 11. additis Catull. X. 30. Lucilio apud Nonium s. v. *damnare: Cassiu' Caius hic* etc. et Ennio apud Cic. Brut. 15. *Ore Cethegus Marcus* etc. Impeditissimum est *cloetasialata,* in quo Graecum aliquod pictoris nomen latet, quod quale sit, nescimus, at divinando fortasse assequi possumus; mihi certe probabile est Κλεοίτας hic legendum esse, cuius nominis statuarium novimus; ex *ialata* facio *Italia,* haud veritus ne temeritatis arguar, quum inter omnes constet, nomina propria saepe adeo corrupta esse ut librarii anagrammata inde facere voluisse videantur. Quod deinde sequitur *esse,* certissima inde emendatione restituo *exoriundus,* quae vox nunc demum in lexica Latina recipietur, et restat unum *Plaustis,* quod ex *Plautius* ortum esse videtur, ut proinde unus e gente *Plautia* hunc *Cleoetan* Italum ex Magna Graecia, antea suum servum manu misisse putandus sit, qui more libertinorum Romanorum domini nomen suo addidit. Synizesis vero vocis Κλεοίτας neminem offendet, cuius licentiae in nominibus propriis potissimum poetis concessae nonnulla exempla collegit Hermannus, quem pie colo, in

Elem. D. M. p. 54. coll. Lennep. ad Terentian. Maur. p. 426. sqq. Nullum tamen huic ipsi loco magis convenerit, quam quae suppeditat Pausanias VI. 10, 3.

Κλεοσθένης μ' ἀνέθηκεν ὁ Πόντιος ἐξ Ἐπιδάμνου,

et Callimachus Epigr. VI. 1. ubi pro metrica interpolatione Τοῦ Σαμίου πόνος εἰμί, Sextus Empiricus adv. Mathem. I. 2. et Choeroboscus in Bekkeri Anecd. p. 728, 20. verum exhibent:

Κρεωφύλου πόνος εἰμί κ. τ. λ.

et omnibus, quae hucusque disputavi, collectis hic versus prodit:

Plautiu' Marcus Cleoetas Italia exoriundus.

De quibus quid statuendum sit, viderint alii; insigni tamen mihi esset gaudio, si viri in his rebus regnantes, non plane me lapsum esse iudicarent. Ludius iam abiit, et alter Cleoetas eius locum cepit.

LYCISCUS.

Statuarius incertae patriae atque aetatis, qui fecit *Lagonem puerum subdolae ac fucatae vernilitatis.* Plin. XXXIV. 8. s. 19.

LYCIUS.

Statuarius et sculptor, Myronis filius (Pausan. I. 23, 8. V. 22, 2. Athen. XI. p. 486. D. unde sua Harpocratio, Suidas sumserunt), quamquam Plinius XXXIV. 8. s. 19. (bis) eum modo illius discipulum dicit. Priori enim loco Harduinus (assentiente post alios Thierschio Epoch. III. Adnot. p. 79.) ex cod. Reg. I. (ipsi II.) et Colbert. III. restituit: *Ex his Polycletus disci-*

pulos habuit Argium etc. Myron, Lycium, cum veteres editt. *Myronem Lycium* exhiberent. Veram autem lectionem ex meis codd. praeter Reg. I. supra laudatum etiam Reg. II. III. IV. Dufresn. I. Colbert. suppeditant; et Dufresn II. qui *Mirumlitium* aeque ac Polling. qui *Mirunlitium* praebet, eodem ducunt. In posteriore vero: *Eleuthereus Lycius Myronis discipulus fuit, qui fecit dignum praeceptore puerum sufflantem languidos ignes, et Argonautas;* primus magnus Casaubonus ad Athen. l. l. eximio acumine veritatem aperuit et locum ubi Lycius natus fuerit demonstravit. Quum enim antea pro prima voce in edd. pariter atque codd. *Buthyreus* legeretur, Casaubonus *Eleuthereus* feliciter emendavit, unde patet, filio eundem cui patri natalem locum fuisse. Quod iam ad eius aevum attinet, Myronem Ageladae discipulum fuisse constat, et quum ipse Myro circa Ol. LXXXVII. floreret, hinc facile colligere nobis licet, Lycium ante Ol. XC. artem exercere vix potuisse, quod et Boeckhius (Inscript. I. p. 41.) recte statuit. — Opera Lycii pauca nobis innotuerunt. Praeterquam enim quod Plinius l. l. duo breviter describit, solus Pausanias eorum mentionem facit, et I. 23, 8. quidem ait: *ἐν τῇ Ἀθηναίων ἀκροπόλει θεασάμενος οἶδα Λυκίου τοῦ Μύρωνος χαλκοῦν παῖδα, ὃς τὸ περιῤῥαντήριον ἔχει* (ubi v. Siebelis T. I. p. 82.) Altero vero loco (V, 22, 2.) opera in basi lapidea semirotunda ab eo caelata memorat, quae in Alti Olympiae posita et ab Apolloniae urbis incolis huc dedicata fuit. Restat nunc unus, qui nobis respiciendus est, locus Plinii l. l. ubi paullo

post verba *Eleuthereus Lycius sqq.* vulgo leguntur haec: *Lycus et ipse* (fecit) *puerum suffitorem.* Ita vero non nisi cod. Reg. II. valde interpolatus habet; Colbert. *Lucius,* Dufresn. I. *Licius,* Reg. I. *Lycius.* Et quum huius, quem ultimo loco laudavi, codicis auctoritas reliquis longe praestet, novum inde artifici nostro opus tribuendum esse censeo. At quaerat quis, unde acciderit, ut Plinius, qui modo Lycium memoravit, statim ad eum recurrat. Quodsi ingenue mihi, quae sentio, dicenda sunt, puto equidem Plinium huius operis, quum supra Lycium afferret, oblitum fuisse, iamque appendicis loco id addidisse. Hinc etiam voces *et ipse* explicandae mihi videntur; quod enim Harduinus putat, ea ad artificis statim antea memorati opus pertinere: *Lyciscus Lagonem puerum subdolae ac fucatae vernilitatis,* vix hoc crediderim, quum inter puerum ita descriptum et puerum suffitorem non multum similitudinis intercedere videatur.

LYSANIAS.

Sculptor incertae patriae atque aetatis, Dionysii filius, qui nomen suum basi statuae Bacchi incidit. Winckelmanni Opp. T. VI. P. II. p. 342.

LYSIAS.

Sculptor incertae patriae, quem circa Augusti tempora floruisse ex Plinii verbis (XXXVI. 5. s. 4.) probabile fit. Hic enim ait: *Ex honore apparet in magna auctoritate habitum Lysiae opus, quod in Palatio super arcum Divus Augustus honori Octavii pa-*

tris sui dicavit, in aedicula columnis adornata. Id est quadriga currusque et Apollo ac Diana ex uno lapide.

LYSIPPUS.

I. Nobilissimus statuarius qui Ol. CXIV. etiam superstes fuit. Ait enim Plinius (XXXIV. 8. s. 19.) *Centesima quartadecima* (Ol.) *Lysippus fuit, cum et Alexander Magnus;* et paullo infra haec de eo tradit: *Lysippum Sicyonium Duris negat, Tullius fuisse discipulum adfirmat* [1]), *sed primo aerarium fabrum audendi rationem cepisse pictoris Eupompi responso. Eum enim interrogatum quem sequeretur antecedentium, dixisse demonstrata hominum multitudine, Naturam ipsam imitandam esse, non artificem.* [2]) *Plurima ex omnibus signa fecit, ut diximus,* [3]) *fecundis-*

---

1) Haec verba male intellecta foedae interpolationis, quam Dalechampius ex vetere lectione affert: *Tullius Praxitelis fuisse discipulum,* ansam dederunt. Vidit Harduinus αὐτοδίδακτον Lysippum fuisse, et Gesnerus in Chrestomath. Plin. p. 924. dubitat annon fortasse Plinius de verbis Ciceronis (Brut. 86. §. 296.) *Polycleti Doryphorum sibi Lysippus aiebat — magistrum fuisse,* cogitaverit. Quam autem utilitatem discipulos suos ex priorum artificum operibus capere voluerit, optime auctor ad Herenn. IV. 6. docuit. — 2) Huc referenda sunt verba Varronis L. L. VIII. p. 130. ed. Bip. *Neque enim Lysippus artificum priorum potius est vitiosa secutus, quam artem.* — 3) supra 7. s. 17. *Lysippus MD* (ita cod. Pint. Voss. Reg. I.) *opera fecisse dicitur, tantae omnia artis, ut claritatem possent dare vel singula. Numerum apparuisse defuncto eo, cum*

simae artis, inter quae [4]) *destringentem se, quem M. Agrippa ante thermas suas dicavit, mire gratum Tiberio principi, qui non quivit temperare sibi in eo, quamquam imperiosus sui inter initia principatus, transtulitque in cubiculum, alio ibi signo substituto: cum quidem tanta populi Romani contumacia fuit, ut magnis theatri clamoribus reponi Apoxyomenon* [5]) *flagitaverit, princepsque quamquam adamatum reposuerit. Nobilitatur Lysippus et temulenta tibicina, et canibus ac venatione, inprimis vero quadriga cum Sole Rhodiorum. Fecit et Alexandrum Magnum multis operibus,* [6]) *a pueritia eius orsus. Quam statuam inaurari*

---

thesaurum effregisset haeres: solitum enim ex manipretio cuiusque signi denarios seponere singulos aureos. — 4) *inter quae,* ita Reg. I. et Harduinus. Brotierius: *interque.* — 5) Reg. I. *apoxuomenon.* Reliqui codd. paululum aberrant. — 6) De nonnullis huius regis statuis a Lysippo factis tum Plinius statim infra disseruit, tum Posidippus et Archelaus in Anthol. Gr. IV. 8. 119. 120. (Append. Anthol. Palat. T. II. p. 661.) locuti sunt. Quae omnino eorum fuerit indoles, explicuit Plutarchus de Alexandri M. virtute seu fortit. II. 2. Λυσίππου δὲ τὸ πρῶτον Ἀλέξανδρον πλάσαντος ἄνω βλέποντα τῷ προσώπῳ πρὸς τὸν οὐρανὸν (ὥσπερ αὐτὸς εἰώθει βλέπειν Ἀλέξανδρος, ἡσυχῇ παρεγκλίνων τὸν τράχηλον) ἐπέγραψέ τις οὐκ ἀπιθάνως·

Αὐδασοῦντι δ' ἔοικεν ὁ χάλκεος εἰς Δία λεύσσων,
Γᾶν ὑπ' ἐμοὶ τίθεμαι, Ζεῦ σὺ δ' Ὄλυμπον ἔχε.

Διὸ καὶ μόνον Ἀλέξανδρος ἐκέλευε Λύσιππον εἰκόνας αὐτοῦ δημιουργεῖν· μόνος γὰρ οὗτος, ὡς ἔοικε, κατε-

iussit Nero princeps, delectatus admodum illa. Dein cum pretio perisset gratia artis, detractum est aurum: pretiosiorque talis existimatur, etiam cicatricibus operis atque concisuris, in quibus aurum haeserat, remanentibus. Idem fecit Hephaestionem Alexandri Magni amicum, quem quidam Polycleto adscribunt, cum is centum prope annis ante fuerit. 7) *Idem Alexandri venationem, quae Delphis sacrata est. Athenis Satyrum: turmam Alexandri, in qua amicorum eius imagines summa omnium similitudine expressit.* 8) *Has*

μήνυε τῷ χαλκῷ τὸ ἦθος αὐτοῦ καὶ ξυνέφερε τῇ μορφῇ τὴν ἀρετήν· οἱ δὲ ἄλλοι τὴν ἀποστροφὴν τοῦ τραχήλου καὶ τῶν ὀμμάτων τὴν διάχυσιν καὶ ὑγρότητα μιμεῖσθαι θέλοντες, οὐ διεφύλαττον αὐτοῦ τὸ ἀῤῥενωπὸν καὶ λεοντῶδες. His similia protulit idem Vita Alexandri 4. Ex alio eiusdem scriptoris loco (Isid. et Osir. 24.) scimus, Alexandrum Lysippi hastam manibus tenuisse. De notissimo vero Alexandri edicto vide quae notavi s. v. *Apelles* ad locum Plinii adnot. 24. — 7) Eosdem quos Plinius hic refutat, secutus esse videtur Appul. Florid. I. p. 410. ed. Vulcan. (Paris. 1601.) dicens solum *Polycletum* Alexandri effigiem aere duxisse. — 8) Sicuti locum scripsi, legitur is cum in omnibus meis codd. tum in Voss. Men. Gud. Acad. Pintian. Ed. I. et pessime Harduinus, cum in priore editione hanc omnium codd. lectionem recte probasset, in altera editionum quarundam scripturam interpolatam praetulit: *Athenis Satyrorum turmam: Alexandrum amicorumque eius imagines.* Locupletissime vero de hac turma egit Vell. Paterc. I. 11, 3. *Hic est Metellus Macedonicus, qui porticus, quae fuere circumdatae duabus aedibus sine inscriptione positis, quae nunc Octaviae porti-*

Metellus] Macedonia subacta transtulit Romam. Fecit et quadrigas multorum generum. Statuariae arti

cibus ambiuntur fecerat, quique hanc turmam statuarum equestrium, quae frontem aedium spectant, hodieque maximum ornamentum eius loci, ex Macedonia detulit. Cuius turmae hanc causam referunt: Magnum Alexandrum impetrasse a Lysippo, singulari talium auctore operum, ut eorum equitum, qui ex ipsius turma apud Granicum flumen ceciderant, expressa similitudine figurarum, faceret statuas et ipsius quoque iis interponeret. De statuarum numero dissentire videntur auctores, at si leves quosdam eorum errores exceperis, dubitandi non amplius locus erit. Quod enim Iustinus (XI. 6, 13.) de centum viginti equitibus occisis eorumque statuis equestribus narrat, debetur hoc vel epitomatoris negligentiae vel librarii alicuius socordiae. Arrianus vero (Exped. Alex. I. 16, 7.) haec habet: Μακεδόνων δὲ τῶν μὲν ἑταίρων ἀμφὶ τοὺς εἴκοσι καὶ πέντε ἐν τῇ πρώτῃ προσβολῇ ἀπέθανον, καὶ τούτων χαλκαῖ εἰκόνες ἐν Δίῳ ἑστᾶσιν, Ἀλεξάνδρου κελεύσαντος Λύσιππον ποιῆσαι, ὅσπερ καὶ Ἀλέξανδρον μόνος προκριθεὶς ἐποίει, quibus Plutarchi verba (Vita Alex. 16.) aliquantum contraria esse videntur: τῶν δὲ περὶ τὸν Ἀλέξανδρον Ἀριστόβουλος φησὶ τέσσαρας καὶ τριάκοντα νεκροὺς γενέσθαι τοὺς πάντας, ὧν ἐννέα πεζοὺς εἶναι· τούτων μὲν οὖν ἐκέλευσεν εἰκόνας ἀνασταθῆναι χαλκᾶς, ἃς Λύσιππος εἰργάσατο. Facius autem ad h. l. (ex Plut. opp. exc. p. 38.) recte: „Nihilominus, inquit, numerus iste sibi constabit, si Arrianum equites tantum, quorum imagines positae sint, enumerasse statuamus, exceptis IX. peditibus. *Equestres* enim statuas illas fuisse et a Metello ex Macedonia Romam delatas et positas legimus in Vell. Paterc. I. 11.“

plurimum traditur contulisse, capillum exprimendo, capita minora faciendo, quam antiqui, corpora graciliora siccioraque, per quae proceritas signorum maior videretur. Non habet Latinum nomen symmetria, quam diligentissime custodivit, nova intactaque ratione quadratas veterum staturas permutando: vulgoque dicebat, „ab illis factos quales essent homines, a se, quales viderentur esse.“ Propriae huius videntur esse argutiae operum, custoditae in minimis quoque rebus.

His a Plinio expositis transeundum nobis esse videmus ad quaestionem de aetate, qua floruerit Lysippus, accuratius solvendam. Et de hoc quidem nemo dubitabit, quin Alexandri aequalis fuerit; ad quod usque vero tempus vixerit, inde fere coniicere possumus, quod turmam illam amicorum Alexandri ad Granicum occisorum (Ol. CXI. 3. ante Ch. n. 334.) aere fudit, ut proinde Olympiadem CXIV. attingere posset. Causam porro, cur Plinius ei hanc ipsam Olympiadem tribuerit, in eo invenisse mihi videor, quod tum Alexander obiit, qua re Plinius optime aetatem Lysippi describi posse credidit. Ultra hanc Olympiadem Lysippum vix aetatem produxisse sequitur ex verbis Pausaniae (VI. 1, 2.) Ὀλυμπιάδι δὲ ἐκράτει Τρωΐλος δευτέρᾳ πρὸς ταῖς ἑκατόν. — τούτου μὲν δὴ τὸν ἀνδριάντα ἐποίησε Λύσιππος. Quum enim inde usque ad Ol. CXIV. 2. quinquaginta fere anni prodeant, Lysippum, siquidem vicesimo anno illam Troili statuam fecisse recte statuere possumus, Ol. CXIV. septagenarius senex fuit, neque video qui Thierschius

(qui primus haec probe animadvertit, Epoch. III. Adnot. p. 87.) hoc annorum numero offendi potuerit.

De operibus quae ex eius officina prodierunt, veteres scriptores in universum dixerunt, eum in optimis statuariis Graecis ponendum esse; singulatim autem praeter ea, quae Plinius l. l. attulit, veritatem, quae in Lysippi statuis inerat, maxime in eo laudabant, (Quinctil. XII. 10.) unde et Propertius (III. 7, 9. Burm.) eius signa *animosa* dicit.

Ex summa vero operum Lysippi multitudine pauca tantummodo veteres scriptores memorarunt, de paucioribus accuratius disseruerunt. Nos in iis enumerandis a Diis et personis allegoricis ad homines progrediamur, et iam initium a Iove faciamus.

I. *Iovis* statua prae ceteris memoranda est illa colossea Tarenti, de qua Plinius XXXIV. 7. s. 18. ait: *talis colossus et Tarenti factus a Lysippo XL. cubitorum. Mirum in eo, quod manu ut ferunt mobilis (ea ratio libramenti est,) nullis convellatur procellis.* [Ibi cod. Dufresn. I. *mobilis ea ratione libramenti est, ut nullis,* quod secunda manus et in Reg. I. intulit, cuius primariam lectionem, licet altera valde commendetur, hic quoque praeferendam duco.] *Id quidem providisse et artifex dicitur, modico intervallo, unde maxime flatum opus erat frangi, opposita columna. Itaque propter magnitudinem difficultatemque movendi non attigit eum Fabius Verrucosus, cum Herculem, qui est in Capitolio, inde transferret.* Iovis vero illam statuam fuisse, discimus ex Lucilio ap. Nonium v. *Cubitus:*

— — *Lysippi Iupiter ista*
Transivit quadraginta cubita altu' Tarento.

II. *Iovis* statua aenea in foro Sicyone. (Pausan. II. 9, 6.)

III. *Iovis Nemei* simulacrum aeneum recto statu, Argis positum. (Pausan. II. 20, 3.)

IV. *Iovis* statua aenea una cum *Musis*, quod opus Megarae fuit. (Pausan. I. 43, 6.)

V. *Neptunus* aeneus Corinthi. (Luciani Iupit. Trag. 9. p. 652. T. II. ed. Wetst.)

VI. *Bacchi* statua in Helicone (Pausan. IX. 30, 1.); qui vero locus corruptus esse videtur. Legitur enim vulgo ita: *καὶ Ἀπόλλων χαλκοῦς ἐςιν ἐν Ἑλικῶνι καὶ Ἑρμῆς μαχόμενοι περὶ τῆς λύρας, καὶ Διόνυσος ὁ μὲν Λυσίππου. τὸ δὲ ἄγαλμα ἀνέθηκε Σύλλας τοῦ Διονύσου τὸ ὀρθόν, ἔργον τῶν Μύρωνος κ. τ. λ.* Ubi si Pausanias verba *ὁ μὲν Λυσίππου* cum sequentibus ita coniungere voluisset, ut nunc fere intelligenda sunt, sine dubio scribendum fuisset *ὁ μὲν Λυσίππου· τὸν δὲ Μύρωνος Διόνυσον*; agitur enim ex recepta lectione de duabus Bacchi statuis, Lysippi una, altera Myronis. Hinc minima emendatione (si hoc verbo uti fas est) et interpunctione paululum mutata locum ita legendum esse putamus: *καὶ Ἀπόλλων — περὶ τῆς λύρας καὶ Διόνυσος· οἱ μὲν Λυσίππου, τὸ δὲ ἄγαλμα κ. τ. λ. illae quidem statuae Apollinis et Mercurii opera Lysippi sunt; Bacchum vero* (qui iam unus est) *Myronis.* Hinc nova Lysippi opera reliquis aliunde iam notis accedunt; manet vero etiam Bacchus, qualem eum vere fecisse ex Luciano (Iupit. trag. 12. p. 655. T. II.

ed. Wetst.) scimus, qui illius Dei statuam una cum Hercule Lysippi memorat. Nemo mentis tam praeproperae erit, ut ex hoc Luciani loco statim colligere velit, Bacchum a Luciano memoratum Heliconium a Pausania hucusque laudatum esse. Cur vero Pausanias Bacchum illum Myronis ὀρθὸν nominet, unde Meyerus (Hist. Art. Gr. T. II. p. 218.) alterum vulgo Lysippeum sedentem fuisse putat, nulla alia causa id factum est, quam quod II. 20, 3. eiusdem Lysippi Iovem itidem ὀρθὸν dicit, ubi de altero sedente Iove cogitari nequit. Imo si istud ὀρθὸν urgere vellemus, dicere possemus, Pausaniam vocem illam addidisse, ut Bacchi simulacrum recto statu collocatum ab Apolline et Mercurio discerneret, quos ut certantes magis commotos esse oportuit.

VII. *Amoris* statua aenea Thespiis collocata (Pausan. IX. 27, 3. Adde Amaltheae Vol. III. p. 299 sq.)

VIII. *Hercules* statua colossea, quam a principio Tarenti positam Fabium Maximum Cunctatorem sive Verrucosum inde Romam transtulisse et in Capitolio dedicasse supra ex Plinio didicimus. De eodem simulacro et Strabo VI p. 278. B. (426. B.) et Plutarchus (Fabius Max. 22.) egerunt, ille quidem his verbis: μεταξὺ δὲ τῆς ἀγορᾶς καὶ τοῦ στόματος (τοῦ Τάραντος) ἡ ἀκρόπολις, μικρὰ λείψανα ἔχουσα τοῦ παλαιοῦ κόσμου τῶν ἀναθημάτων· τὰ γὰρ πολλὰ τὰ μὲν κατέφθειραν Καρχηδόνιοι, λαβόντες τὴν πόλιν· τὰ δ' ἐλαφυραγώγησαν Ῥωμαῖοι, κρατήσαντες βιαίως. ὧν ἐστὶ καὶ ὁ Ἡρακλῆς ἐν τῷ Καπιτωλίῳ χαλκοῦς ὁ κολόσσικος, Λυσίππου ἔργον, ἀνάθημα Μαξίμου Φαβίου τοῦ ἑλόντος μὲν

πόλιν. Plutarchus autem l. l. ait: *τὸν κόλοσσον τοῦ Ἡρακλέους μετακομίσας* (*Φάβιος*) *ἐκ Τάραντος ἔστησεν ἐν Καπιτωλίῳ.* Et Harduinus quidem valde erravit, quum ad Plinii l. l. verba Livii (IX. 44.) referenda esse diceret: *Herculis magnum simulacrum in Capitolio positum dedicatumque.* Haec enim a Livio memorata statua a. u. c. 449. in Capitolio posita est; ea autem quam Plinius, Strabo et Plutarchus innuunt, a. u. c. 545. (209. ante Ch. n.) Romam deducta. Non minus inepte idem Harduinus Gemini Epigramma in Anthologia Graeca infra nobis afferendum ad colossum illum traxit; quum in eo Hercules Lysippi depingatur Omphalae illecebris devictus. Quae de ultimis huius signi fatis constant, Heynius (priscae artis opera Constantinopoli exstantia p. 11.) collegit: „Cum decem aliis signis consule Iuliano (probabile fit sub Constantino adeoque a. 322.) Roma Constantinopolin advectus, primumque in Basilica, mox in Hippodromo positus esse fertur. (Anonym. nr. 79. Suidas in *Βασιλική.*) Nicetas Choniates Lysimachi opus perperam dicit; concisus est a Latinis."

IX. *Hercules* aeneus, de quo vid. Geminus in Anthol. Gr. IV. 8, 103. (Append. Anth. Palat. T. II. p. 655. coll. nr. 104.)

Ἥρακλες ποῦ σοι πτόρθος μέγας, ἥ τε Νέμειος
  Χλαῖνα, καὶ ἡ τόξων ἔμπλεος ἰοδόκη;
Ποῦ σοβαρὸν βρίμημα; τί σ' ἔπλασεν ὧδε κατηφῆ
  Λύσιππος, χαλκῷ δ' ἐγκατέμιξ' ὀδύνην;
Ἄχθῃ γυμνωθεὶς ὅπλων σέο; τίς δέ σ' ἔπερσεν;
  Ὁ πτερόεις (ὄντως εἷς βαρὺς ἆθλος) Ἔρως.

X. *Hercules* aeneus in foro Sicyone. (Pausan. II. 9, 7.)

XI. *Hercules* epitrapezius aeneus sedens, in domo Vindicis, descriptus a Statio Silv. IV. 6, 32 sqq. Martial. IX. 43. 44. Adde Meyeri hist. art. Gr. T. II. p. 114. et Heynium (priscae artis opp. ex epigr. illustr. p. 87.) qui mutilatum Herculem Vaticanum fragmentum statuae esse putat, quae ex Epitrapezio Lysippi expressa fuerit.

XII. *Herculis* aerumnae primum Alyziae in Acarnania, deinde Romae positae. Strabo X. p. 459. C. (705. A.) *καθ' ἥν ἐςι (πόλιν) λιμὴν Ἡρακλέους καὶ τέμενος· ἐξ οὗ τοὺς Ἡρακλέους ἄθλους ἔργα Λυσίππου μετήνεγκεν εἰς Ρώμην τῶν ἡγεμόνων τις παρὰ τόπον κειμένους διὰ τὴν ἐρημίαν.* His vero Herculis statuis obiter ea addatur, quae Luciano (v. supra) memorata est. Quoniam vero Lucianus neque de loco ubi steterit, neque de aliqua eius virtute aliquid monuit, eam ut novum Lysippi opus laudare nolui, quum probabilius sit, Lucianum non de certa aliqua statua sed in universum de effigie Herculis quam Lysippus et pluribus vicibus et optime expresserat, cogitasse.

XIII. *Occasionis* statua, de qua, ne noctuas Athenas tulisse merito arguar, lectores ad Welckeri egregium excursum (Callistrati statuae p. 698. ed. Jac.) remitto.

XIV. *Septem sapientium Graeciae et Aesopi statuae.* Agathias in Anthol. Gr. IV. 33, 331. (Append. Anthol. Palat. T. II. p. 725.)

Εὖγε ποιῶν Λύσιππε γέρων Σικυώνιε πλάστα
Δείκελον Αἰσώπου στήσαο τοῦ Σαμίου
Ἕπτα σοφῶν ἔμπροσθεν. — —

XV. *Socratis* statua aenea iussu Atheniensium post illius mortem a Lysippo facta, siquidem Diogeni Laertio II. §. 43. fidem habere licet.

XVI. *Praxillae* aenea statua. Tatianus adv. Gr. 52. p. 113. ed. Worth.

XVII — XXII. Victorum Olympicorum statuae aeneae: *Callicratis* (Pausan. VI. 17, 2.) *Chilonis* (VI. 4, 4.) *Polydamantis* Scotussaei (VI. 5, 1. Vicerat is Ol. XCIII. unde apparet longo tempore post eius obitum statuam a Lysippo factam fuisse; locos veterum scriptorum de eo copiosissime collegit Hemsterhusius in anecd. I. p. 61.) *Pythios* (VI. 14, 3.) *Troili* (VI. 1. vide supra) *Xenargidos* (VI. 2, 1.)

XXIII. *Leonis collapsi* simulacrum aeneum; Strabo XIII. p. 590. ἐντεῦθεν (ἐκ Λαμψάκου) μετήνεγκεν Ἀγρίππας τὸν πεπτωκότα λεόντα, Λυσίππου ἔργον.

XXIV. *Equus aeneus* in Anthol. Palat. IX. 777. eximia laude ornatus, ad quem Iunius in Catalogo p. 115. verba Statii Silv. I. 1, 84. sqq. referre non debebat, quum ibi non de equo sed de Alexandro equitante in Caesarem mutato sermo sit.

Praeterea novum vasorum figlinorum genus a Lysippo inventum fuisse tradit Athenaeus XI. p. 784. c. T. IV. p. 224. sq. ed Schw. Λύσιππον τὸν ἀνδριαντοποιόν φασι Κασάνδρῳ χαριζόμενον, ὅτε συνῴκισε τὴν Κα-

σάνδρειαν, φιλοδοξοῦντι καὶ βουλομένῳ ἴδιόν τινα εὑρέσθαι κέραμον διὰ τὸ πολὺν ἐξάγεσθαι τὸν Μενδαῖον οἶνον ἐκ τῆς πόλεως, φιλοτιμηθῆναι, καὶ πολλὰ καὶ παντοδαπὰ γένη παραθέμενον κεραμείων ἐξ ἑκάστου ἀποπλασάμενον ἴδιον ποιῆσαι πλάσμα Vix tamen huic narratiunculae fidem habuerim. — His genuinis Lysippi operibus, unde Plinii locus supra laudatus supplendus est, addenda nobis sunt quatuor alia, quibus artificis nobilissimi nomen iniuria tributum est; unum, *Iunonis Samiae* statua, a Lysippo et Bupalo Chio (!) facta (Cedrenus p. 254. D. ed. Venet.); alterum *Seleuci* regis imago. Etenim Datius (vite de' Pittori p. 117.) dicit, Angelum Ciri in Miscellaneis p. 46. asserere, se vidisse Romae in aedibus Melleni in basi marmorea hanc inscriptionem:

Σελευκος Βασιλευς. Λυσιππος Εποιει.

At cum ipsa inscriptio, tum temporum ratio Seleucum *regem* a Lysippo fieri potuisse vetant. Seleucus enim primum rex appellatus est, Ol. CXVII. 1. ante Ch. n. 312. quem annum si cum 372. ante Ch. componas, quo iuvenis statuam Troili fecit, nimis magna Lysippi aetas hinc exsistet. Quodsi tamen Lysippum Seleuci statuam fecisse contendas, ea iam ante facta fuit, quum Seleucus nondum rex esset, seriore demum tempore inscriptione incisa. Tertium opus Hercules ille Pittianus est inscriptionem ΛΥΣΙΠΠΟΥ ΕΡΓΟΝ habens. Post alios vero Meyerus (hist. art. Gr. T. I. p. 128.) recte observavit, illam statuam multo tempore post Lysippum factam fuisse, cuius tamen artifex imaginem aliquam herois Lysippeam imitari vo-

luerit. Agmen claudat spuria inscriptio in basi statuae marmoreae MYRRI. LINI. LYSIPPI. de qua v. Winckelm. Opp. T. VI. P. I. p. 100. et quos laudat P. II. p. 197. nr. 594. 595.

De extremis Lysippi, quem Alexandri Magni amor foverat, fatis nihil constat praeter ea quae ex Petron. Satyr. 88. scimus: *Lysippum statuae unius lineamentis inhaerentem inopia extinxit.* Frater ei *Lysistratus* (vide infra) et discipuli plures fuere. „*Filios et discipulos reliquit laudatos artifices Daippum* (v. supra. Vulgo *Laippum*) *et Bedam, sed ante omnes Euthycratem, quamquam is constantiam patris potius aemulatus quam elegantiam austero maluit genere quam iucundo placere. — Huius porro discipulus fuit Tisicrates et ipse Sicyonius sed Lysippi sectae propior.*" Plinius. De *Charete* Lindio et *Eutychide* Sicyonio supra diximus; de *Phoenice* infra videbimus.

II. Pictor incertae patriae, qui iam encausticam pingendi rationem noverat, quippe qui Aeginae picturae suae *ἐνέκαεν* inscripserit: (Plin. XXXV. 11. s. 39.) Primum hic notandum est, me *ἐνέκαεν* pro eo quod in omnibus puto editt. legitur *ἐνέκαυσεν* scripsisse, fretum auctoritate cod. Reg. I. in quo *enaecen* legitur, quae lectio Regio II. Dufresn. I. Colbert. confirmatur, qui *eneten* exhibent. Inde quod *ἐνέκαεν* (imperfectum Atticum verbi *καίω*) inscripsit, Lysippum illum Athenis natum fuisse suspicari possemus; cur vero imperfectum neque aoristum (qui tamen vulgo legitur) adhibuerit, ipse Plinius praef. ad Tit. docuit, ad quem locum Harduinus p. 11. ut et ad nostrum

T. V. p. 224. gravi errore se induci passus est, ut Durandus (histoire de la peinture ancienne p. 185.) bene demonstravit. Quod vero ad aetatem huius Lysippi attinet, nihil de ea definiri potest, nisi eum ante Aristidem pictorem floruisse.

LYSISTRATUS.

Statuarius Sicyonius frater Lysippi, Ol. CXIV. florens. Plinius XXXIV. 8. s. 19. In hoc loco nonnulli quidem codices et edd. vulgg. verba, de quibus nunc agimus, ita exhibent: *Item Lysistratus, et frater eius Sthenis.* Sed optimae notae liber Reg. I. cui Reg. II. III. Dufresn. II. accedunt, copulam recte omittit, licet in omnibus libris MSS. nomen artificis misere corruptum sit; atque res ab ipso Plinio conficitur, qui (XXXV. 12. s. 44.) haec habet: *Hominis autem imaginem gypso e facie ipsa primus omnium expressit, ceraque in eam formam gypsi infusa emendare instituit Lysistratus Sicyonius frater Lysippi de quo diximus. Hic et similitudinem reddere instituit: ante eum quam pulcherrimas facere studebant. Idem et de signis effigiem exprimere invenit.* Fecit quoque Melanippes mulieris sapientis statuam. (Tatianus adv. Gr. 54. p. 117. ed. Worth.)

LYSO.

Statuarius, qui statuam Populi Attici (Δήμου) fecit positam in Curia quingentorum, (Pausan. I. 3, 4.) et a Plinio XXXIV. 8. s. 19. in eorum artificum numero recensetur, qui athletas, armatos, venatores et

sacrificantes fecerunt, unde Thierschius (Epoch. Art. Gr. II. Adnot. p. 33.) coniecit, Lysonem seriori tempore vixisse.

LYSUS.

Statuarius Macedo, qui Crianii Elei hieronicae statuam fecit. (Pausan. VI. 17, 1.)

M.

MACHATAS.

Sculptor, notus ex inscriptione Graeca ap. Muratori in Diar. Ital. p. 425. Fecerat Herculem.

MALAS.

Sculptor Chius qui ante Dipoenum et Scyllidem vixit, notus ex Plinio XXXVI. 5. s. 4. avus Anthermi sive Archenei; quem circa Ol. L. floruisse quum supra demonstraverimus, Malam circa Ol. XXXV. artem exercuisse necesse est.

MALLIUS.

Pictor Romanus incertae aetatis, de quo Macrob. Saturn. II. 2. haec narrat: *Apud L. Mallium, qui optimus pictor Romae habebatur, Servilius Geminus forte coenabat: cumque filios eius deformes vidisset, non similiter, inquit, Malli fingis et pingis. Et Mallius: in tenebris enim fingo, inquit, luce pingo.*

MECHOPANES.

Pictor incertae patriae, de quo Plinius XXXV. 11. s. 40. ait: *Sunt quibus et Mechopanes, Pausiae discipulus placeat diligentia, quam intelligant soli artifices, alias durus in coloribus et sile multus.* Pausiae discipulus quum dicatur, circa Ol. CXX. floruerit necesse est.

MEDON.

Statuarius vel sculptor Lacedaemonius frater Dorvclidae, Dipoeni et Scyllidis discipulus. Fecit Minervam casside, hasta et scuto armatam. (Pausan. V. 17, 1.) Floruit circa Ol. LVIII.

MEGACLES.

Vide quae supra dixi s. v. *Antiphilus* II.

MELAMPUS.

Architectus minus nobilis, qui de praeceptis symmetriarum scripsit. (Vitruv. VII. Praef. §. 14.)

MELANTHIUS.

Pictor incertae patriae ab aliis Melanthus appellatus, qui Apellis aequalis (Ol. CXII.) cum eo una a Pamphilo artem pingendi doctus est. (Plin. XXXV. 10. s. 36.) Quinctilianus (XII. 10.) eius *rationem* praedicat, et Plinius (XXXV. 7. s. 32.) eum in pictoribus recenset, qui quatuor tantum coloribus in pingendo usi immortalia opera fecerint. Ipse vero Apelles ei de dispositione cedebat. (Plin. 10. s. 36.) Unum solummodo eius opus a Plutarcho (Arat. 13.) memoratur, Aristrati tyranni Sicyoniorum imago insistentis currui, quo vehebatur Victoria, in qua pingenda cum ab aliis tum ab Apelle eum adiutum fuisse Polemo tradidit. Eius autem picturas magni aestimatas fuisse, inde patet, quod Aratus, qui de artibus haud inscito iudicio usus est, eius atque Pamphili opera undique comparata Ptolemaeo III. (cfr. Beckii Viri

Illustr. Anleitung zur Kenntniss der Geschichte T. III. p. 94.) regi Aegyptiorum, ei gratificaturus, misit. (Plutarch. Arat. 12.) Libros de pictura a se conscriptos reliquit, unde fragmentum servavit Diog. Laert. IV. §. 18. iisque ipse Plinius in conscribendo libro trigesimo quinto Historiae Nat. usus est.

MEMNO.

Architectus qui Cyro regi Ecbatanis aedes magnificas fecit. (Hygin. fab. 222.)

MENAECHMUS.

I. Statuarius Naupactius qui cum Soida signum Laphriae Dianae venatricis Patris cultae fecit. Canacho Sicyonio et Callone Aegineta non multo minor uterque artifex fuit (Pausan. VII. 8, 16.), ut proinde paullo post Olympiadem LXX. artem exercerent.

II. Statuarius Sicyonius, cuius *vitulus genu pressus et replicata cervice* nobilis fuit. (Plin. XXXIV. 8. s. 19.) Scripsit eodem Plinio auctore de sua arte sive de toreutice, ut ex Syllabo auctorum libri XXXIV. novimus, unde et de patria et de aetate, qua fere floruerit, iudicare possumus. Composuit enim inter alia et historiam Alexandri Magni, unde certe Ol. CXIV. vixerit necesse est. Cfr. Thierschii Epoch. II. Adnot. p. 61.

MENECRATES.

Sculptor incertae aetatis et patriae, nisi hanc ei Rhodum fuisse velis. Praeceptor fuit Apollonii et Taurisci, qui Zethum, Amphionem, Dircen et taurum

sculpserunt et parentum certamen de se fecerunt, Menecratem videri professi, sed esse naturalem Artemidorum. (Plin. XXXVI. 5. s. 4.)

MENELAUS.

Sculptor qui statuas Ludovisianas fecit, quas Oresten et Electram nunc dicere solent. Discipulum Stephani se fuisse in inscriptione prodit, quem a Stephano apud Plinium commemorato haud diversum esse putat Winckelm. Opp. T. VI. P. I. p. 242. Vide infra s. v. *Stephanus.*

MENESTHES.

Architectus, qui templum pseudodipteron Apollinis fecit. (Vitruv. III. 2. §. 6. ed. Schn.)

MENESTHEUS.

Sculptor statuae, cuius fragmentum cum hac inscriptione vidit Gruterus p. 1021, 2. MENECΘEΥC MENECΘEωC AΦPOΔICIEΥC EΠOIEI.

MENESTRATUS.

I. Pictor ineptus, quem deridet Epigramma Anthol. Gr. Palat. XI. 213.

Γράψας Δευκαλίωνα Μενέστρατε καὶ Φαέθοντα,
Ζητεῖς τίς τούτων ἄξιός ἐστι τίνος;
Τοῖς ἰδίοις αὐτοὺς τιμήσομεν· ἄξιος ὄντως
Ἐστὶ πυρὸς Φαέθων, Δευκαλίων δ' ὕδατος.

II. Sculptor incertae patriae, quem circa Alexandri M. tempora vixisse inde coniicimus, quod Plinius

(XXXVI. 5. s. 4.) eius *Herculem et Hecaten Ephesi in templo Dianae post aedem magna admiratione esse* dicit; ubi, ut hoc obiter addam, verba *post aedem* a nonnullis librariis non intellecta et hac de re omissa de ὀπισθοδόμῳ intelligenda sunt. Idem Menestratus Learchiden poetriam, ut videtur, fecit. Tatian. adv. Graec. 52. p. 113.

MENIPPUS.

Huius nominis statuarius et duo pictores omnes incertae patriae atque aetatis fuerunt, memorati a Diog. Laert. VI. §. 101.

MENO.

Vide infra s. v. *Phidias.*

MENODORUS.

Statuarius et sculptor Atheniensis qui ineunte seculo primo post Ch. n. floruit. Fecit enim Thespiensibus statuam Cupidinis, ut celeberrimam illam Praxitelis a Caligula Romam transvectam imitaretur, quod profecto non fecisset, si Praxitelis statua etiamtum Thespiis fuisset (Pausan. IX. 27, 3. adde Amaltheam III. p. 300.) Dubium est, an Menodorus, quem Plinius XXXIV. 8. s. 19.) inter eos artifices recenset, qui armatos, athletas, venatores sacrificantesque aere fecerint, idem sit qui Atheniensis statuam Cupidinis fecit; equidem vix putaverin, duos igitur huius nominis artifices a se discernens.

MENODOTUS.

Vide quae diximus s. v. *Diodotus* II.

MENOGENES.

Statuarius, qui *quadrigis spectabatur.* (Plin. XXXIV. 8. s. 19.)

MENOPHANTUS.

Sculptor, qui Venerem fecit (Museo Capitol. T. IV. tab. 68. p. 392.) suumque nomen basi incidit: ΑΠΟ ΤΗC ΕΝ ΤΡΩΑΔΙ ΜΗΝΟΦΑΝΤΟC ΕΠΟΙΕΙ. Vide inprimis Winckelm. Opp. T. IV. p. 113. et p. 130. et Intpp. p. 329.

MENTOR.

Argenti caelator incertae patriae, quem ante incendium templi Ephesiae Dianae (Ol. CVI. 1. ante Ch. n. 356.) floruisse oportet, quo aliquot eius opera absumpta sunt. Plinius XXXIII. 12. s. 55. *Mirum aurum* (ita Reg. I. II. Colbert. Vulgo *in auro*) *caelando inclaruisse neminem, argento multos. Maxime tamen laudatus est Mentor, de quo supra diximus. Quatuor paria ab eo omnino facta sunt: ac iam nullum exstare dicitur, Ephesiae Dianae templi aut Capitolini incendiis.* (ita Tolèt. Voss. Reg. I. II.) *Varro et aereum signum eius habuisse scripsit.* Illustrant haec verba alium Plinii locum (VII. 38. s. 39.) quem ipse scriptor innuit: *Mentori* (testimonium perhibet Iupiter) *Capitolinus et Diana Ephesia, quibus fuere consecrata artis eius vasa.* Est tamen in verbis supra laudatis aliqua difficultas, quam interpretes sen-

sisse haud videntur. Quomodo enim, quum Mentor quatuor paria vasorum *omnino* fecisset, quorum nullum tempore Plinii exstabat, alia tamen in aliorum dominio esse dici possunt? Hinc puto, Plinium vocem *omnino* singulari quodam significatu cepisse, ut similis sit verbis *praecipue, prae ceteris etc.* Nisi enim hoc velis, omnes qui vasa Mentoris se possidere dicebant, aut alios deceperunt aut ipsi decepti sunt. Plinius ipse XXXIII. 11. s. 53. hoc narrat: *L. Crassus orator duos scyphos Mentoris artificis manu caelatos sestertiis C. habuit. Confessus tamen est, nunquam se his uti propter verecundiam ausum;* et Verres Diodoro cuidam Lilybaei habitanti *duo pocula, quae Thericlea nominabantur* (v. Ernesti Clav. Cic. s. v. *Thericlea*) *Mentoris manu summo artificio facta* abstulit (Cic. Verr. IV. 18. §. 38.) Martialis quoque (III. 41.) poculum Mentoris vidit et descripsit:

Inserta Phialae, Mentoris manu ducta
Lacerta vivit, et timetur argentum.

Sunt praeterea nonnulli loci, quibus Mentor eiusque pocula celebrantur (Varron. fragm. Agath. p. 261. ed. Bip. Propert. I. 14, 2. Iuvenal. VIII. 104. Martial. IV. 39. VIII. 50. IX. 59. XIV. 91.); sed nihil ex iis de virtutibus illorum vasorum discere possumus, de quibus Propertius III. 7, 12. (Burm.) in universum hoc ait:

Argumenta magis sunt Mentoris addita formae:
At Myos exiguum flectit acanthus iter.

Ex eius nomine, sicut plerumque fieri solebat, genus poculorum appellatum est μεντορουργής apud Lucian.

Lexiphan. p. 332. ed. Wetsten. ad quem locum Scholiastes haec observat: ἀπὸ Μέντορός τινος ὑαλόφου τούτῳ καταχρησαμένου τῷ εἴδει τῶν ποτηρίων· ἃ ἦσαν καὶ τῷ πυθμένι μεγάλῳ, ἔχοντα τὴν λαβὴν, ἀφ' οὗ καὶ εὐλαβῆ αὐτὰ κέκληκε.

METAGENES.

I. Filius *Chersiphronis*, quem vide.

II. Architectus Athenis e demo Xypeta natus, qui in templo initiationum (τελεστηρίῳ) Eleusinio exaedificando operam posuit; inceperat illud Coroebus. Uterque autem Periclis aetate vixit. (Plutarch. Pericl. 13.) Strabo eandem aedem *Ictino* (v. supra) tribuit.

METICHUS.

Architectus incertae aetatis, de cuius nomine unum e foris Atticis appellatum est. Pollux. VIII. 10. s. 121.

METRODORUS.

Pictor quem Athenis natum fuisse probabile est. De eo Plinius XXXV. 11. s. 40. haec narrat: *Metrodorus erat pictor, idemque philosophus, magnae in utraque scientia auctoritatis. Itaque cum L. Paulus devicto Perseo* (168. ante Ch. n.) *petisset ab Atheniensibus, ut sibi quam probatissimum philosophum mitterent ad erudiendos liberos, itemque pictorem ad triumphum excolendum, Athenienses Metrodorum elegerunt, professi eundem in utroque desiderio praestantissimum: quod ita Paulus quoque iudicavit.*

MICCIADES.

Sculptor Chius, Malae filius et pater *Anthermi* sive *Archenei*, floruit circa Ol. XLII. (V. *Anthermus* et *Malas.*)

MICCIO.

Pictor incertae patriae, discipulus Zeuxidis, ut proinde circa Ol. CII. vixerit. Lucian. Zeuxid. 7. p. 845. T. I. ed. Wetst.

MICO.

I. Pictor et statuarius, Phanochi filius (v. Schol. ad Aristoph. Lysistr. 679.) Polygnoti aequalis, unde circa Ol. LXXX. floruit. De eo locupletissime egit Böttigerus (Archaeol. Pict. I. p. 254—260.) quem de Nicone nostro Onatae patre refutavit Thierschius in Epoch. Art. Gr. II. Adnot. p. 59. sq. In codd. eius nomen varie corruptum modo Μύκων, modo Μήκων, modo Νίκων scribitur, unice praeferendo Μίκων. Refert eum Varro L. L. VIII. p. 129. ed. Bip. inter vetustiores pictores, a quorum prava consuetudine Apelles, Protogenes alii recesserint; et Plinius (XXXIII. 13. s. 56. XXXV. 6. s. 25.) eum cum Polygnoto nonnullos colores vel primum invenisse vel certe melius adhibuisse tradit. Ex eius picturis vero scriptores has memorarunt:

1.) Partem *Poeciles* exornavit, pretio conductus. (Plin. XXXV. 9. s. 35.) Cuius argumenti haec pictura fuerit, Scholiastes ad Aristoph. l. l. refert: *ποικίλη στοὰ Ἀθήνησιν οὕτω λεγομένη διὰ τὴν ἐνοῦσαν γραφήν, ἔνθα πεποίηκεν ὁ Μίκων τῶν Ἀμαζόνων τὴν μάχην.*

ἦν δὲ Φανόχου υἱός, Ἀθηναῖος. De ipsa pictura nihil scimus, nisi quod ἐν τῷ μέσῳ τῶν τοίχων Ἀθηναῖοι καὶ Θησεὺς Ἀμαζόσι μάχονται. (Pausan. I. 15, 2.)

2.) *Theseum* paulo post Ol. LXXVII. 4. pinxit, quo tempore templum exstructum est. (v. infra s. v. *Polygnotus*.) In primo pariete itidem pugna Amazonum et Atheniensium, in secundo pugna Centaurorum et Lapitharum fuit; quae tertius complexus fuerit, Pausanias (I. 17, 2.) non amplius dignoscere potuit. Adiutus vero et in hoc sicut in Dioscurorum templo pingendo a Polygnoto, siquidem palmariae coniecturae Reinesii de corrupto Suidae loco fidem denegare nolis. (Cfr. Siebelis ad h. l. T. I. p. 54.)

3.) In templo *Dioscurorum* Athenis pingendo Mico et Polygnotus una occupati erant, quorum ille expeditionem Castoris et Pollucis Colchicam duce Iasone sive potius eorum inde reditum pinxit (Pausan. I. 18, 1.), ut Böttigerus l. l. p. 259. ex Pausan. VIII. 11, 2. probavit. Summam diligentiam in Acasto eiusque equis posuerat.

4.) Particeps quoque fuisse dicitur picturae, qua pugna Marathonia a Panaeno in *Poecile* expressa est. Miconem certe ab Atheniensibus accusatum et triginta minis multatum fuisse legimus, quod barbaros Graecis maiores pinxerat, (Sopater in διαιρέσεσιν ζητημάτων p. 340. ed. Ald. Rhett. Gr. μετὰ Μαραθῶνα Μίκων ὁ ζωγράφος τοὺς βαρβάρους γράψας μείζους τῶν Ἑλλήνων κρίνεται. coll. Lycurg. ap. Harpocrat. s. v. Μίκων· Μίκωνα τὸν γράψαντα ἕως τὰς τριάκοντα μνᾶς ἐζημίωσαν. unde verba Thierschii l. l. *wozu er verurtheilt wurde*,

findet sich nicht angegeben mutanda sunt.) Ab aliis praeterea canis, qui dominum suum in pugnam Marathoniam comitatus in eadem pictura expressus fuerat, Miconi tribuebatur, licet alii eum Polygnoti opus esse dicerent. (Aelian. Hist. Anim. VII. 38.)

Maxime vero equis nobilitatus est, neque ullam eius picturam invenias, quin equi in ea picti fuerint. Simo tamen artis equitandi peritissimus, de quo iam alias locuti sumus, (v. *Demetrius* III.) τοῦτο ὄνειδος τῆς ἀμαθίας Μίκωνι προσήνεγκεν, ὅτι καὶ τὰς κάτω βλεφαρίδας προσέγραψεν ἵππου γραφῇ (Pollux II. 4. §. 12.), quibus cum verbis Aelianus Hist. Anim. IV. 50. comparandus est, qui ab aliis Apelli ab aliis Miconi hoc probrum factum fuisse narrat. In una suarum tabularum Buten quoque quendam saxo obrutum et capite tantum atque oculis prostantem pinxerat, unde proverbium de rebus cito perfectis ortum est: Βούτην Μίκων ἔγραφεν vel Θᾶττον ἢ Βούτης (Zenob. Proverb. Centur. I. 11. p. 87. Append. e Vatic. I. 12. p. 260. Schott. Adde Böttiger. l. l. p. 251. sq.) Neque vero tantum artem pingendi exercuit Mico, verum statuarius quoque fuit, ut ex Pausaniae verbis (VI. 6, 1.) apparet: Καλλίᾳ δὲ Ἀθηναίῳ παγκρατιαστῇ τὸν ἀνδριάντα ἀνὴρ Ἀθηναῖος Μίκων ἐποίησεν ὁ ζωγράφος. Callias Ol. LXXVII. vicerat (Pausan. V. 9, 3.) unde tempora optime inter se congruunt. Böttigerus l. l. p. 254. Pausaniam erroris arguens eius verba ad Miconem III. referre mavult, sed multi alii pictores iidem statuarii fuerunt; v. Siebelis ad l. l. T. III. p. 24. et ipse Plinius XXXIV. 8, 19. nr. 25.

II. Pictor a superiore probe discernendus, *qui minoris cognomine distinguitur, cuius filia Timarete et ipsa pinxit.* Plin. XXXV. 9. s. 35. Patria et aetas incerta. Utrumque confudit Böttigerus l. l. p. 254.

III. Statuarius Syracusanus Nicerati filius qui duas Hieronis II. regis Syracusani statuas, unam equestrem alteram pedestrem, Olympiae fecit, neque tamen ab ipso Hierone, sed ab eius filiis post patris mortem (Ol. CXL. 4. ante Ch. n. 215.) iussus. Ad eum haud dubie verba Plinii XXXIV. 8. s. 19. referenda sunt: *Micon athletis spectatur.*

MIDIUS.

Scalptor gemmae in bibliotheca Regia Parisiensi asservatae. (Clarac Description des antiques du Musée Royal p. 420.)

MNASITHEUS.

Pictor Sicyonius non ignobilis (Plin. XXXV. 11. s. 40.)

MNASITIMUS.

Pictor non ignobilis incertae patriae atque aetatis, Aristonidae filius et discipulus (Plin. XXXV. 11. s. 40.)

MNESARCHUS.

Scalptor Thuscus, pater Pythagorae philosophi, unde circa Ol. LXV. floruerit necesse est. (Appul. Florid. II. p. 421. sq. ed. Vulcan. Diog. Laert. VIII. 1. ubi v. Intpp.)

MNESICLES.

Architectus celeberrimus, verna Periclis, qui Propylaea Athenis aedificavit inde ab Ol. LXXXV. 4. (Philochori Fragm. p. 55.) per quinque continuos annos (437—433. ante Ch. n. Plutarch. Pericl. 13.) Inter aedificandum de altitudine fastigii delapsus sed parthenio herba Pericli somnio a Minerva monstrata sanatus est. (Plutarch. l. l. Plinius XXII. 17. s. 20.) Aere etiam a Stipace fusus est, quae statua Splanchnoptes dicta. (Plin. l. l. et XXXIV. 8. s. 19.)

MOSCHIO.

Sculptor Atheniensis filius Adamantis, qui cum fratribus Dionysodoro et Ladama statuam Isidis in insula Delo nunc Venetiis asservatam fecit. (V. quos laudavit Winckelm. Opp. T. VI. P. I. p. 56. nr. 224.)

MUSONIUS.

Architectus memoratus in Anthol. Gr. Palat. IX. 677. T. II. p. 238.

MUSTIUS.

Architectus, unus ex Plinii minoris amicis, qui eo in quodam operum suorum usus est. Plin. Epp. IX. 39.

MUSUS.

Statuarius incertae aetatis et patriae, qui Corinthiis aeneam statuam Iovis Olympiam dedicatam fecit. (Pausan. V. 24, 1.)

MUTIUS.

Architectus Romanus, qui primo ante Ch. n. seculo templa Honoris et Virtutis Marianae exstruxit. (Vitruv. VIII. Praef. §. 17.)

MYAGRUS.

Statuarius Phocaeus incertae patriae, quem Plinius (XXXIV. 8. s. 19.) artificibus annumerat, qui athletas, armatos, venatores sacrificantesque fecerint. Vitruvius vero (III. Praef. §. 2.) eum neque ab industria neque artis solertia sed a felicitate destitutum fuisse ait, quare nullam memoriam assecutus sit. — In vulgatis Plinii editionibus eius nomen *Myiagrus* scriptum invenitur; nostram scripturam a Vitruvio exhibitam solus Reg. I. exhibet.

MYCO.

Scalptor gemmae ap. Bracci tab. 83.

MYDO.

Pictor Soleus non ignobilis, discipulus Pyromachi statuarii (Plin. XXXV. 11. s. 40.), qui quum Ol. CXX. floreret, Mydonem circa Ol. CXXVIII. vixisse probabile est. Pro nomine *Pyromachi* Brotierius quidem e codd. nonnullis et Suida s. v. Προυσίας *Philomachi* scripsit; sed vulgatam lectionem Reg. I. tuetur, cuius auctoritatem in talibus sequi praestat. Idem vero cod. pro *Mydo* habet *Milon,* quorum utrum praeferendum sit, non liquet.

MYRMECIDES.

Sculptor Milesius (Aelian. Var. Hist. I. 17.) vel Atheniensis (Galenus ἐν προτρεπτικῷ πρὸς τὰς τέχνας 9. T. I. p. 20. ed. Kühn) qui cum Callicrate (II.) operibus minutissimis inclaruit. Nonnullos de eo locos, ubi cum Callicrate componitur, sub huius nomine attuli; hic addantur de solo Myrmecide Cicero Acad. IV. 38. Varro L. L. VI. init. Suidas s. v. et γελοῖος. Ceterum et vasa caelavit maiora, auctore Athenaeo XI. p. 782. B. T. IV. p. 215. ed. Schw.

MYRO.

I. Statuarius, sculptor et argenti caelator celeberrimus qui Ol. LXXXVII. fuit. De eo Plinius (XXXIV. 8. s. 19.) haec habet: *Myronem Eleutheris* [1]) *natum, et ipsum Ageladae discipulum, bucula maxime nobilitavit, celebratis versibus laudata,* [2]) *quando alieno plerique ingenio magis quam suo commendantur. Fecit et canem, et discobolon* [3]), *et Persea* [4]), *et Pri-*

---

1) Pausanias (VI. 2, 1. 8. 3. 13. 1.) Myronem Atheniensem dicit. Causam bene explicuit Thierschius Epoch. Art. Gr. (II. Adnot. p. 64. sq.) — 2) Omnia epigrammata huc spectantia collegit *Sonntag* Unterhaltungen für Freunde der alten Literatur I. p. 100. sqq. De opere eiusque fatis v. Böttiger Andeutungen p. 144. sqq. et Göthe über Kunst und Alterthum II. p. 1. — 3) De hoc discobolo cfr. Quinctil. II. 13. *Expedit saepe mutare ex illo constituto traditoque ordine aliqua, et interim decet ut in statuis atque picturis videmus variari habitus, vultus, status. Nam recti quidem corporis vel minima gratia est. Nempe*

stas [5]) *et Satyrum admirantem tibias, et Minervam; Delphicos pentathlos, pancratiastas* [6]), *Herculem* [7]) *etiam, qui est apud Circum Maximum in aede Pompeii Magni. Fecisse et cicadae monumentum ac lo-*

---

enim adversa sit facies et demissa brachia et iuncti pedes, et a summis ad ima rigens opus: flexus ille et ut sic dixerim motus dat actum quendam effictis. Ideo nec ad unum modum formatae manus, et in vultu mille species. Cursum habent quaedam et impetum, sedent alia vel incumbunt; nuda haec, illa velata sunt; quaedam mista ex utroque. Quid tam distortum et elaboratum, quam est ille Discobolos Myronis? Si quis tamen ut parum rectum improbet opus, nonne is ab intellectu artis abfuerit, in qua vel praecipue laudabilis est illa ipsa novitas ac difficultas — et Lucian. Philops. 18. T. III. p. 45. Μῶν τὸν δισκεύοντα, ἦν δ' ἐγώ, Φῂς τὸν ἐπικεκυΦότα κατὰ τὸ χῆμα τῆς ἀΦέσεως, ἀπεςραμμένον εἰς τὸν δισκοΦόρον, ἠρέμα ὀκλάζοντα τῷ ἑτέρῳ, ἐοικότα ξυναναστησομένῳ μετὰ τῆς βολῆς; οὐκ ἐκεῖνον, ἦ δ' ὅς, ἐπεὶ καὶ Μύρωνος ἔργων ἓν καὶ τοῦτό ἐςιν, ὁ δισκοβόλος ὃν λέγεις. Imitationes huius statuae enumeravit Müllerus in Amalthea. T. III. p. 243. — 4) Huius Persei meminit et Pausan. I. 23. 8. ἐν τῇ Ἀθηναίων ἀκροπόλει θεασάμενος οἶδα καὶ Μύρωνος Περσέα τὸ ἐς Μέδουσαν ἔργον εἰργασμένον. — 5) v. Böttiger Andeut. p. 147. sqq. — 6) Virgula interposita voces *pentathlos* et *pancratiastas* hucusque coniunctas a se separavi, ita ut *Delphicos* et ad solos pentathlos et una ad pancratiastas referri possit. *Pentathli pancratiastae* enim quid sibi velit, non perspicio. — 7) De isto *Hercule* qui in undecima Urbis regione stetit, v. P. Victor. Descript. Urbis Romae. Sed alias quoque huius Dei imagines fecerat Myro; Cic.

custae carminibus suis Erinna significat. [8]) *Fecit et Apollinem, quem a triumviro Antonio sublatum restituit Ephesiis Divus Augustus, admonitus in quiete.*

Verr. IV. 3. et adde infra de Herculis colosso. — 8) Mire haec in plerisque codd. corrupta sunt: *fecit et cicadae monumentum ex locustae carnibus, sicut siserna significat.* Veram lectionem ex meis libris unus Reg. I. servat, in quo per compendium scripturae *carnibus* legitur, unde reliqui libri tam foede interpolati sunt. Sed si unquam, certe hic a negligentiae crimine Plinius se defendere nequit, quod post Harduinum Heynius (priscae artis opp. ex epigrr. illustr. p. 118.) recte intellexit, ita ut satis mirari non possim, Henricum Meyerum (hist. art. Gr. T. I. p. 73.) illorum virorum observationem non curasse. Legitur enim in Anthol. Gr. Palat. VII. 190. hoc epigramma Anytae:

Ἀκρίδι τᾷ κατ᾽ ἄρουραν ἀηδόνι καὶ δρυοκοίτᾳ
Τέττιγι ξυνὸν τύμβον ἔτευξε Μυρώ,
Παρθένιον στάξασα κόρα δάκρυ· δισσὰ γὰρ αὐτᾶς
Παίγνι᾽ ὁ δυσπειθὴς ᾤχετ᾽ ἔχων Ἀΐδας.

Neminem, hoc epigrammate paullo accuratius perlecto fugere potest, hic non de *Myrone* statuario sed de *Myro* virgine aliqua agi, quae puellularum, ut aiunt, more deliciis suis sepulcellum fecerat. Erinna igitur (sive ipsa huius carminis auctor sit, sive alius eam imitatus) hac de re in carminibus suis quum dixisset, bonus Plinius parum caute rem pervertit, praeterea immemor Erinnam, quae Sapphus et Anacreontis aequalis fuit, de Myronis (Ol. LXXXVII.) opere aliquo versus facere non potuisse, unde tamen Winckelmannus (Opp. VI. P. I. p. 65. inprimis vero VII. p. 148. sqq.) miris praeterea argumentis usus collegit, Myronem Anacreontis et Erinnae aequalem fuisse. His missis id tantum addere volo, valde improbabile esse, Myronem, qui artifex

Primus hic multiplicasse veritatem 9) *videtur, numerosior* 10) *in arte, quam Polycletus in* 11) *symmetria diligentior: et ipse tamen corporum tenus curiosus, animi sensum non expressisse, capillum quoque et pubem non emendatius fecisse, quam rudis antiquitas instituisset.*

---

quando ludebat digne semper suo ingenio ludebat, ad hanc humilitatem unquam descendisse. Adde Welcker. in Creuzeri melet. II. p. 7. sq. — 9) *multiplicasse veritatem*, ita ex cod. Reg. I, cui Colbert. accedit, scripsi, quum vulgo *varietatem* legatur, quod a nemine unquam recte explicari poterit. Quid enim est „*multiplicare varietatem, die Mannigfaltigkeit der Gegenstände, die Myron künstlerisch bearbeitete, vervielfachen?*" (Meyer ad Winckelm. Opp. T. VI. P. II. p. 119. Non magis apta sunt quae de his verbis ipse Winckelm. Opp. T. VII. p. 151. affert.) Multum contra praestat *veritatem multiplicare* ita explicandum: illam unam quae in arte est veritatem in multas easque varias res transferre, quod ante Myronem sane nemo instituit. Nemo enim adhuc statuas tam varii argumenti fecerat. (Böttiger Andeutungen p. 132.) — 10) Duae huius vocis explicationes feruntur; una (Winckelm. Opp. T. VI. P. I. p. 67. T. VII. p. 151. Thiersch. Epoch. II. Adnot. p. 55.) ut sit εὐρυθμία (Harmonie der einzelnen Theile), altera (Böttiger Andeut. p. 132. Meyer ad Winck. T. VI. P. II. p. 119.) ut de multitudine operum et varietate argumentorum, quae arte sua Myro tractavit, dicatur atque verba *veritatem multiplicare* explicet vel confirmet. Nos quidem hanc interpretationem unice probamus; primum quod, ut iam alii viderunt, verba illo modo explicata iis quae Plinius de Polycleto supra dixerat, plane repugnant, et Myroni eadem virtus tribuitur quae statim infra Polycleto;

In statuis fundendis aere Deliaco utebatur (Plin. XXXIV. 2. s. 5.) et iuvat iis quae Plinius loco supra laudato de indole artis Myronis indicaverat, sententias aliorum scriptorum addere, omissis tamen locis, ubi non de singulis quibusdam Myronis virtutibus dicitur, sed in universum tantum ipse laudatur. Et Cicero quidem (Brut. 18. §. 70.) ait: *Nondum Myronis opera satis ad veritatem adducta, iam tamen quae non dubites pulchra dicere;* et Quinctil. XII. 10. *ea molliora operibus Callonis, Hegesiae et Calamidis* dicit. Cur Ovidius A. A. III. 219. eum *operosum* appellet, explicuit Böttigerus Andeut. p. 134.; et auctor ad Herennium IV. 6. inprimis capita eius statuarum laudata fuisse narrat. Vicit tamen praeclarum hunc artificem bis Pythagoras Rheginus, quem infra vide.

Restat nunc ut opera nondum a nobis enumerata deinceps laudemus, quorum primum sunto:

Iupiter, Minerva, Hercules Sami primum positi, de quibus Strabo XIV. p. 637. B. haec narrat: (ἐν τῷ Ἡραίῳ) τρία Μύρωνος ἔργα κολοσσικὰ ἱδρυμένα ἐπὶ μιᾶς βάσεως· ἃ ἦρε μὲν Ἀντώνιος, ἀνέθηκε δὲ πάλιν ὁ Σεβα-

---

tum quod ipse Plinius paullo infra, de Lysippo loquens, dicit *non habere Latinum nomen symmetriam;* sed quid *numerus* illa explicatione probata aliud est quam symmetria? denique quod idem scriptor loco a Meyero iam recte adducto (XXXV. 11. s. 40.) dicit: *ipse diligentior quam numerosior.* — 11) vulgo legitur: *Polycletus et in;* coniunctio a me expuncta, quia haec verba de Polycleto dicuntur; Lanzius legerat *qui,* Thierschius l. l. *is.*

στὸς Καῖσαρ εἰς τὴν αὐτὴν βάσιν τὰ δύο, τὴν Ἀθηνᾶν καὶ τὸν Ἡρακλέα· τὸν δὲ Δία εἰς τὸ Καπετώλιον μετήνεγκε, κατασκευάσας αὐτῷ ναΐσκον.

Bacchi simulacrum in Helicone a Sulla dedicatum. Pausan. IX. 30, 1. τὸ δὲ ἄγαλμα ἀνέθηκε Σύλλας τοῦ Διονύσου τὸ ὀρθόν, ἔργον τῶν Μύρωνος, θέας μάλιστα ἄξιον μετά γε τὸν Ἀθήνησιν Ἐρεχθέα· ἀνέθηκε δὲ οὐκ οἴκοθεν, Ὀρχομενίους δὲ ἀφελόμενος τοὺς Μινύας. Ad hunc Bacchum probabiliter spectat epigramma in Anthol. Gr. IV. 12, 257. (Append. Anthol. Palat. T. II. p. 703.) Adde quae supra de h. l. diximus s. v. *Lysippus* p. 258.

Herculis signum, ab eo quod Romae prope Circum Maximum fuit, probe distinguendum. Fuit Heii Mamertini, eique a Verre ablatum est. (Cic. Verr. IV. 3. §. 5.)

Apollo aeneus, *cuius in femine literulis minutis argenteis nomen Myronis erat inscriptum*, Agrigenti in Aesculapii religiosissimo fano a P. Scipione dedicatus, inde vero a Verre sublatus est. (Cic. Verr. IV. 43. §. 93.)

Hecates lignea imago, quae unum corpus atque os habuit. Dedicata fuit in insula Aegina. (Pausan. II. 30, 2.)

Ladae Laconis dolichodromi statua, inprimis epigrammate Anthol. Palat. T. II. p. 640. nr. 53. nobilitata; adde anecdota Hemsterhus. T. I. p. 268. Incertum est, num statua huius viri, quam Pausanias Argis in templo Apollinis Lycii vidit (II. 19, 6.) ista Myronis fuerit.

Lycini Laconis, qui Olympia curru vicerat, duas statuas ibi positas fecit Myro; (Pausan. VI. 2. 1.) *Timanthi* Cleonaeo pancratiastae, *Philippo* Pallenaeo Azani pugili inter pueros (Pausan. VI. 8, 3.) *Chionidi* Laconi dudum mortuo (Pausan. VI. 13, 1.) qui omnes in iisdem ludis vicerant, singulas statuas fecit, quibus accedat *Erechtheus*, a Pausania IX. 30, 1. laudatus. Eiusdem artificis anus ebria e marmore facta Smyrnae inprimis inclyta fuit. (Plin. XXXVI. 5. s. 4.)

Ab hominibus ad bestias a Myrone factas nunc conversis praeter buculam supra laudatam primum quatuor boves memorandi sunt, quos Augustus a. u. c. 726. in porticu templi Apollinis Palatini dedicavit. (Propert. II. 23, 7. ed. Burm.)

Atque aram circumsteterant armenta Myronis
Quatuor artificis vivida signa boves;

eiusque vitulum Tatianus adv. Graec. 54. p. 117. ed. Worth. ita describit: γελῶ καὶ τὴν Μύρωνος ἐπιστήμην ποιήσαντος μόσχον, ἐπὶ δὲ αὐτοῦ Νίκην, ὅτι τὴν Ἀγήνορος ἁρπάσας θυγατέρα, μοιχείας καὶ ἀκρασίας βραβεῖον ἀπηνέγκατο.

Opus denique ab eo caelatum vidit Martialis VI. 92.

Caelatus tibi cum sit Ammiane
Serpens in patera Myronis arte,
Vaticana bibis? bibis venenum.

De vita Myronis nihil constat, nisi quod summa inopia eum excessisse scribit Petronius 88. *Myron qui pene hominum animos ferarumque aere expresserat,*

non invenit haeredem. Filius ei fuit *Lycius*, gloria paterna non indignus.

II. Sculptor incertae patriae et aetatis, qui suum nomen capiti alicui villae Corsinianae incidit.

MYRTO.

Scalptor gemmae ap. Bracci tab. 85.

MYS.

Argenti caelator incertae patriae, qui Phidiae quidem iam aequalis (circa Ol. LXXXIV. ante Ch. n. 444.) ad Parrhasii usque aetatem vixit (Ol. XCVI. ante Ch. n. 396.) Pausanias enim I. 28, 2. ait: *ἄγαλμα Ἀθηνᾶς χαλκοῦν ἀπὸ Μήδων τῶν ἐς Μαραθῶνα ἀποβάντων, τέχνη Φειδίου· καὶ οἱ τὴν ἐπὶ τῆς ἀσπίδος Λαπιθῶν πρὸς Κενταύρους, καὶ ὅσα ἄλλα ἐςὶν ἐπειργασμένα λέγουσι τορεῦσαι Μῦν· τῷ δὲ Μυῒ ταῦτά τε καὶ τὰ λοιπὰ τῶν ἔργων Παῤῥάσιον καταγράψαι τὸν Εὐήνορος.* Viri Docti excepto uno Odofr. Müllero in Minerv. Pol. sacris p. 18. anachronismum, qui in hoc loco inest, perspexisse non videntur; quomodo enim fieri potuit, ut Parrhasius cuius pater Ol. XC. vixit, Phidiae circa Ol. LXXXIV. in opere aliquo faciendo adiutor esset? Hinc ultima huius loci verba ineptum commentum habenda sunt, cuius tamen fontem me invenisse arbitror. Exstat enim apud Athenaeum XI. p. 782. B. (T. IV. p. 215. ed. Schw.) epigramma, quo Mys in poculo caelando, cuius argumentum Ilii excidium fuit a Parrhasio adiutus fuisse dicitur:

Γράμματα Πηρασίοιο, τέχνα Μυός. ἐμμὶ δὲ ἔργον
Ἰλίου αἰπεινᾶς, ἂν ἕλον Αἰακίδαι.

His in versibus Iacobsius (Exercit. Crit. T. II. p. 152.) ex Pausaniae potissimum verbis Παῤῥασίοιο emendat, assentiente Schweighaeusero, quorum tamen duumvirorum neuter comprobavit, pro Παῤῥάσιος Ionica dialecto Πηράσιος dici posse, quum praeterea non appareat, cur Ionicae dialecto hic sit locus. Notum vero nomen in adeo insolitum transisse, vix est quod tibi persuadeas. Quae si argumenta, tum ex historicis tum ex criticis rationibus desumpta, inter se composueris, Pausanias quin humani quid passus fuerit, vix dubitabis. Periegetes enim quum *Perasium* quendam Myos opera delineasse audivisset, hunc cum *Parrhasio* pictore nobilissimo confudit qui, ut breviter hoc repetam, Phidiam et Myn in operibus eorum adiuvare omnino non potuit, quod infra suo loco pluribus demonstrabo. Mülleri vero opinio, scutum triginta fere annis post ipsam statuam caelatum fuisse mihi vix probari posse videtur. Etenim credibile non est, opus quale illa Minerva fuit non initio statim omni ex parte perfectum fuisse, quo accedit alterum etiam argumentum, pronomen quidem οἱ i. e. αὐτῷ Phidiae, quod hunc Myi aequalem aperte designat. Ceterum optimis caelatoribus adnumeratus est Mys, quod et Plinius (XXXIII. 12. s. 55.) qui eius inter paucos memorati Silenum et Cupidines in templo Minervae Lindiae in insula Rhodo positos laudat, et Propertius (III. 7, 14. ed. Burm.) cum Martiale (VIII. 33. 50. XIV. 93.) et Statio (Silv. I. 3, 50.) testantur.

N.

NAUCERUS.

Statuarius incertae aetatis et patriae, qui *luctatorem anhelantem fecit.* (Plin. XXXIV. 8. s. 19.)

NAUCYDES.

Statuarius qui Ol. XCV. floruit (Plin. XXXIV. 8. s. 19. adde Thiersch. Epoch. Art. Gr. III. Adnot. p. 85.) Argis natus (Pausan. VI. 1, 2.) filius Mothonis (Pausan. II. 22, 8.), frater et praeceptor Polycleti *Argivi* minoris (Pausan. II. 22, 8. τὸ μὲν Πολύκλειτος ἐποίησε, τὸ δὲ ἀδελφὸς Πολυκλείτου [sic utique legendum e codd. Vindob. et duobus optimis Pariss. neque Περικλείτου; cfr. Thiersch. Epoch. III. Adnot. p. 86.] Ναυκύδης Μόθωνος, coll. VI. 6, 1. Πολύκλειτος δὲ Ἀργεῖος, οὐχ ὁ τῆς Ἥρας τὸ ἄγαλμα ποιήσας, μαθητὴς δὲ Ναυκύδους, κ. τ. λ.) Plinius l. l. nr. 19. eius Mercurium, Discobolum et virum arietem immolantem memoravit; plura vero eius opera Pausanias enumerat, et primum quidem Hebes simulacrum ex ebore et auro, quod Iunoni Polycleti maioris celeberrimae in Heraeo prope Mycenas adstitisse dicitur, (II. 17, 5.) Pausaniae igitur tempore non amplius ibi fuit. Hecates signum aeneum eiusdem artificis Argis positum memoratur II. 22, 8; praeterea Erinnae Lesbiae statuam aeneam (Tatian. adv. Gr. 51. p. 113. ed. Worth.) et athletarum imagines fecit, quarum probatissimae

duae statuae Chimonis Argivi fuerunt, una Olympiae altera Argis et postea Romae in aede Pacis collocata. (Pausan. VI. 9, 1.) Baucidi quoque Trözenio (VI. 8, 3.) et Eucli Rhodio (VI. 6, 1.) statuas fecit; discipulus autem praeter fratrem Polycletum, Alypus Sicyonius ei fuit. (Pausan. VI. 1, 2.)

NEALCES.

Pictor incertae patriae qui Arati tempore (Olymp. CXXXIII. 4. a. Ch. 245.) vixit. Plutarchus enim (Arat. 13.) eum illi duci carum fuisse atque ab eo impetrasse narrat, ut imago Aristrati a Melanthio omnibusque eius sociis picta non deleretur: *ἐπιτρέψαντος οὖν τοῦ Ἀράτου, διήλειφεν ὁ Νεάλκης τὸν Ἀρίστρατον, εἰς δὲ τὴν χώραν φοίνικα μόνον ἐνέγραψεν, ἄλλο δ' οὐδὲν ἐτόλμησε παραβαλεῖν.* Ipse vero *pinxit Venerem, ingeniosus et solers in arte: siquidem cum proelium navale Aegyptiorum et Persarum pinxisset, quod in Nilo cuius aqua est mari similis factum volebat intelligi, argumento declaravit, quod arte non poterat. Asellum enim in littore bibentem pinxit et crocodilum ei insidiantem.* (Plin. XXXV. 11. s. 40.) Aliam eius picturam idem Plinius (XXXV. 10. s. 36.) ita memorat: *Nealcem successus in spuma equi, spongia impacta, secutus dicitur, cum pingeret poppyzonta retinentem equum,* (v. infra s. v. *Protogenes*) quod incerto alicui pictori evenisse narrant Valer. Max. VIII. 11. extern. 7. Plutarch. fortuna T. VII. p. 307. ed. Hutt. Eius filiam Alexandriam item pinxisse testatur Didymus ap. Clem. Alexandr. Strom. IV. p. 381. C. et

Erigonus qui ei colores triverat, celebrem discipulum Pasiam reliquit. (Plin. XXXV. 11. s. 40.)

NEARCHUS.

Pictor incertae aetatis et patriae, cuius filia et discipula Aristarete Aesculapium pinxit. (Plin. XXXV. 11. s. 40.)

NEOCLES.

Pictor incertae aetatis et patriae, cuius discipulus Xeno Sicyonius pictoribus non ignobilibus a Plinio (XXXV. 11. s. 40.) annumeratur.

NERO.

Salmasius in Exercitt. Plin. p. 142. ed. Traiect. laudat Epiphanii locum sic se habentem: *καὶ ὁ μὲν Νερωνιανὸς (σμάραγδος) πικρός ἐστι τῷ εἴδει σφόδρα χλωρίζων, διειδὴς καὶ στίλβων. — — Ἄλλοι δὲ φασὶ Νέρωνά τινα τεχνίτην τῶν παλαιῶν πιναροποιόν, εἴτουν λιθουργὸν ἐφευρεῖν τὸν ἀναγκαιότατον σμάραγδον, καὶ ἐκ τούτου Νερωνιανὸν καλεῖσθαι.*

NESEAS.

Pictor Thasius, quem nonnulli Zeuxidis praeceptorem dixerunt. (Plin. XXXV. 9. s. 36.) Floruit fere Ol. LXXIX. (Vide s. v. *Zeuxis.*)

NESSUS.

Pictor non ignobilis incertae aetatis et patriae, Habronis filius. (Plin. XXXV. 11. s. 40.)

NESTOR.

Scalptor gemmarum. Vide Ephem. literar. Ienens. 1825. nr. 193. p. 100.

NEUANTUS.

Artifex qui numis cudendis operam dedit (monetarius.) Vixit in Creta, suumque nomen numo urbis Cydoniae inscripsit. Mionnet description des médailles T. I. p. 271. nr. 112.

NEXARIS.

Architectus incertae aetatis et patriae, qui praecepta symmetriarum scripsit. (Vitruv. VII. Praef. §. 14.)

NICANDER.

Scalptor qui Iuliam filiam Titi in gemma caelavit. (Bracci Vol. II. tab. 86.)

NICANOR.

Pictor Parius qui *aliquanto* ante Aristidem encaustice pinxit. (Plin. XXXV. 11. s. 39.) Vide an de eius aetate inde aliquid colligi possit, quod Plinius eum cum Polygnoto componit, quem circa Ol. LXXX. vixisse alias docuimus. Vide praeterea s. v. *Arcesilaus II.*

NICAEARCHUS.

Pictor incertae aetatis et patriae, qui pinxit *Venerem inter Gratias et Cupidines, Herculemque tristem insaniae poenitentia.* (Plin. XXXV. 11. s. 40.)

NICEPHORUS.

Scalptor memoratus a Clarac Description des antiques du musée royal p. 421.

NICERATUS.

Statuarius Atheniensis, Euctemonis filius (Tatianus c. Graec. 53. p. 115 ed. Worth.) quem Alcibiadis aetate floruisse (Ol. XC. ante Ch. n. 420.) probabile est, siquidem Plinius (XXXIV. 8. s. 19.) ait: *Niceratus omnia quae ceteri aggressus repraesentavit Alcibiadem lampadeque accensa matrem eius Demaraten sacrificantem.* Praeterea fecit *Aesculapium et Hygiam qui sunt in Concordiae templo Romae.* (Plin. paullo supra.) Tatianus vero l. l. 62. p. 114. eiusdem artificis Telesillam et Glaucippen memorat ἣ ἐκύησεν ἐλέφαντα. Notarunt quidem recte V.V. D.D. (ut Harduinus ad Plin. T. II. p. 113.) Alcippen, quam Plinius (VII. 3.) elephantum genuisse narrat, a Glaucippa illa vix diversam esse; sed erraret, puto, qui ex Chronico Alexandrino, quo ostentum illud Vespasiano imperatore accidisse dicitur, Niceratum primo post Ch. n. seculo vixisse contenderet. Cur Plinius Niceratum, etiamsi vere Vespasiani tempore floruisset, nominare omnino non potuisset, alias docebimus.

NICEROS.

Pictor Thebanus Aristidae filius et discipulus, Aristonis frater, (Plin. XXXV. 10. s. 36.) ut proinde circa Ol. CXIV. floruerit.

NICIAS.

Pictor celeberrimus Athenis natus Nicomedis filius (Pausan. III. 19, 4.) quem quum Plinius Praxitelem in statuis circumlinendis (Intpp. ad Winckelm. T. VI. P. II. p. 181.) adiuvisse tradat (v. infra,) hinc colligendum nobis esset, eum circa Ol. CIV. floruisse (Plin. XXXIV. 8, s. 19) Quod tamen quin omni ex parte certum esse arbitremur, duae potissimum res nos impediunt; una quod idem Plinius (XXXV. 11. s. 40.) Niciam discipulum Antidoti dicit, quem Euphranor artem pingendi docuerat: Euphranora autem quum Ol. CIV. (eodem igitur tempore quo Praxitelem) floruisse Plinius bis testatus sit, quaerendum iam est, qui fieri potuerit, ut pictor qui ex illo Plinii loco certe circa Ol. CXVII. vixit, Praxitelis quoque operibus manum admoveret. (V. Meyeri hist. art. T. I. p. 168.) Stemma enim hoc est:

Euphranor Ol. CIV.
|
Antidotus Ol. CXI.
|
Nicias Ol. CXVII.

Alterum vero impedimentum Plutarchus (non posse suaviter vivi secund. Epicur. T. X. p. 469. ed. R.) nobis obiicit, narrans Niciam quandam suam picturam Ptolemaeo regi Aegyptio vendere noluisse. Ptolemaeus I. vero Ol. CXVIII. 3. (ante Ch. n 306.) rex Aegypti factus est, neque quempiam latebit, quam egregie haec cum stemmate nostro conveniant. Quod enim Plinius l. l. idem de Attalo I. rege Pergami nar-

ravit, egregie lapsus est, qui centum fere annis post regnaret; et recte hanc ob causam Perizonius ad Aelian. Var. Hist. III. 3. Plinium notavit. Haec iam nobis disputata in Niciae aetate definienda cautos nos reddere deberent, etiamsi ipse Plinius scrupulum non iniecisset. Quum enim de operibus Niciae egisset, ita pergit: *Non satis discernitur, alium eodem nomine, an hunc eundem quidam faciant Olympiade centesima secunda;* Plinii quae verba eo nos ducunt, ut duos artifices Niciae nomine usos sumere possimus, quos vero Plinius per negligentiam in talibus ei consuetam discernere operae pretium non putavit, satis habens, lectores breviter de re monuisse. Opinio mea inde quoque firmatur, quod verba illa Plinii statim ea sequuntur, quae de circumlitione statuarum Praxitelis disseruerat. Itaque vide, num illi duo artifices ita fere discerni possint:

I. Olympiade CIV. floret Praxiteles, cuius statuas Nicias maior circumlinit.

II. Olympiade CXII. Nicias minor Nicomedis filius, ab Antidoto Euphranoris discipulo edoctus artem exercere incipit. Inter alia opera Necromantiam Homeri pinxit, quam picturam Ptolemaeo I. qui Olymp. CXVIII. regnum auspicatus est, vendere noluit.

De hoc igitur omnia quae nunc afferentur valere puto, nisi forte quis aliunde demonstraverit, eundem Niciam Praxitelis aequalem, Antidoti discipulum et Ptolemaei aequalem esse potuisse. Ergo Plinius (XXXV. 11. s. 40.) haec habet: *Euphranoris discipulus Antidotus maxime inclaruit discipulo Nicia Atheniensi, qui*

diligentissime pinxit mulieres, lumen et umbras custodivit, atque ut eminerent e tabulis picturae maxime curavit. Opera eius, Nemea advecta ex Asia Romam a Silano, quam in Curia diximus [1]) *positam: item Liber Pater in aede Concordiae, Hyacinthus,* [2]) *quem Caesar Augustus delectatus eo secum deportavit Alexandria capta, et ob id Tiberius Caesar in templo eius dicavit tabulam, et Diana. Ephesi vero est Megabyzi sacerdotis Ephesiae Dianae sepulchrum: Athenis Necromantia Homeri: hanc vendere Attalo* [3]) *regi noluit talentis sexaginta, potiusque patriae suae donavit, abundans opibus. Fecit et grandes picturas, in quibus*

---

1) supra 4. s. 10. *Divus Augustus in Curia, quam in Comitio consecrabat, duas tabulas impressit parieti: Nemeam sedentem supra leonem, palmigeram ipsam, adstante cum baculo sene, cuius suvra caput tabula bigae dependet. Nicias scripsit se inussisse; tali enim usus est verbo.* — 2) De hac pictura v. Pausan. III. 19, 4. *τὸ τοῦ Ὑακίνθου ἄγαλμα ἔχον ἐςὶν ἤδη γένεια. Νικίας δὲ ὁ Νικομήδους περισσῶς δή τι ἔγραψεν αὐτὸν ὡραῖον, τὸν ἐπὶ Ὑακίνθῳ λεγόμενον Ἀπόλλωνος ἔρωτα ὑποσημαίνων.* Hyacinthi picturam incerti artificis describit Philostr. I. 24. — 3) imo Ptolemaeo I. Vide quae supra diximus. Plutarchi verba haecce sunt: *οἱ Φιλογραφοῦντες οὕτως ἄγονται τῇ πιθανότητι τῶν ἔργων, ὥστε Νικίαν γράφοντα τὴν Νεκυίαν ἐρωτᾷν πολλάκις τοὺς οἰκέτας, εἰ ἠρίστηκε. Πτολεμαίου δὲ τοῦ βασιλέως ἑξήκοντα τάλαντα τῆς γραφῆς συντελεσθείσης πέμψαντος αὐτῷ, μὴ λαβεῖν μηδὲ ἀποδόσθαι τὸ ἔργον.* De hac Niciae in opera sua intentione adde Plutarchi an seni sit gerenda respublica T. IX. p. 142. ed. R. et Aelian. V. H. III. 31.

sunt Calypso et Io et Andromeda: Alexander quoque in Pompeii porticibus praecellens, et Calypso sedens. Huic quidem adscribuntur quadrupedes: prosperrime canes expressit. Hic est Nicias, de quo dicebat Praxiteles, interrogatus quae maxime opera sua probaret in marmoribus, quibus Nicias manum admovisset; tantum circumlitioni eius tribuebat. Non satis discernitur etc.

Aliud praeterea Niciae opus Pausanias (VII. 22, 4) Tritiae urbe Achaiae vidit et his verbis describit: *πρὶν ἢ ἐς τὴν πόλιν* (Τρίταιαν) *εἰσελθεῖν, μνῆμά ἐςι λευκοῦ λίθου θέας καὶ ἐς τὰ ἄλλα ἄξιον, καὶ οὐχ ἥκιστα ἐπὶ ταῖς γραφαῖς, αἵ εἰσιν ἐπὶ τοῦ τάφου, τέχνη* Νικίου· *θρόνος τε ἐλέφαντος, καὶ γυνὴ νέα καὶ εἴδους εὖ ἔχουσα ἐπὶ τῷ θρόνῳ, θεράπαινα δὲ αὐτῇ παρέστηκε σκιάδιον φέρουσα· καὶ νεανίσκος ὀρθὸς οὐκ ἔχων πω γένειά ἐστι χιτῶνα ἐνδεδυκὼς καὶ χλαμύδα ἐπὶ τῷ χιτῶνι φοινικῆν, παρὰ δὲ αὐτὸν οἰκέτης ἀκόντια ἔχων ἐστὶ καὶ ἄγει κύνας ἐπιτηδείας θηρεύουσιν ἀνθρώποις. πυθέσθαι μὲν ἤδη τὰ ὀνόματα αὐτῶν οὐκ εἴχομεν· ταφῆναι δὲ ἄνδρα καὶ γυναῖκα ἐν κοινῷ παρίστατο ἅπασιν εἰκάζειν.*

Eius iudicium vero de sua arte praeclarum Demetrius Phalereus (Elocut. §. 76.) nobis servavit: Ν*ικίας ὁ ζωγράφος καὶ τοῦτο εὐθὺς ἔλεγεν εἶναι τῆς γραφικῆς τέχνης οὐ μικρὸν μέρος, τὸ λαβόντα ὕλην εὐμεγέθη γράφειν, καὶ μὴ κατακερματίζειν τὴν τέχνην εἰς μικρά· οἷον ὀρνίθια ἢ ἄνθη. ἀλλ' ἱππομαχίας καὶ ναυμαχίας, ἔνθα πολλὰ μὲν σχήματα δείξειεν ἄν τις ἵππων, τῶν μὲν θεόντων, τῶν δὲ ἀνθισταμένων, ἄλλων δὲ ὀκλαζόντων· πολλοὺς δὲ ἀκοντίζοντας, πολλοὺς δὲ καταπίπτοντας τῶν ἱπ-*

πέων. ᾤετο γὰρ καὶ τὴν ὑπόθεσιν αὐτὴν μέρος εἶναι τῆς ζωγραφικῆς τέχνης, ὥσπερ τοὺς μύθους τῶν ποιητῶν.

In picturis suis primus usta ochra casu reperta usus est. (Plin. XXXV. 6. s. 20.) Discipulus ei fuit Omphalio, antea servus et in deliciis; (Pausan. IV. 31, 9.) ipse vero Athenis in via ad Academiam est sepultus. (Paus. I. 29, 15.)

NICO.

Architectus et geometra, pater Galeni, (Suidas s. v. Γαληνός) qui initio secundi post Ch. n. seculi vixit.

NICODAMUS.

Statuarius Maenalius ex Arcadia, qui circa Ol. XC. floruit, quod ex Pausan. V. 6, 1. colligere possumus. Ibi enim Nicodamus statuam Androsthenis pancratiastae fecisse dicitur, quem primam victoriam (bis vero vicerat) Olympiade XC. reportasse ait Thucyd. V. 49. Ὀλύμπια δ' ἐγένετο τοῦ θέρους τούτου, οἷς Ἀνδροσθένης Ἀρκὰς παγκράτιον τὸ πρῶτον ἐνίκα. Praeter hanc vero statuam plura etiam opera Nicodamus fecit: *Minervam* aeream (ἕστηκε κράνος ἐπικειμένη, καὶ αἰγίδα ἐνδεδυκυῖα) Eleorum donarium (Paus. V. 26, 5.), porro *Herculem* ab Hippotione Tarentino Olympiae dedicatum, puerili aetate, sagittis leonem Nemeaeum conficientem (X. 25, 4.) et statuas *Antiochi* (VI. 3, 4.) et *Damoxenidae* (VI. 6, 1.) athletarum.

NICOLAUS.

Vide supra s. v. *Crito*.

NICOMACHUS.

I. Pictor, qui a veteribus scriptoribus (Plutarch. mulier. virt. T. VIII. p. 264. Vita Timol. 36. Cicero Brut. 18. §. 70.) praestantissimis artificibus annumeratur. De eius aevo ex variis, quae hic inde traduntur, indiciis hoc fere colligere possumus. Floruit eodem tempore, quo Aristratus aequalis Philippi Sicyoniorum tyrannus fuit, cuius iussu monumentum Telestae poetae pinxit, (Plin. XXXV. 10. s. 36.) qui potissimum in Ol. XCV. 3. ponitur. (Diodor. Sic. XIV. 46.) Inde vero quod Philippo fere aequalis putandus est, qui viginti tres annos natus Ol. CV. 2. regno suo potitus est, Apellem aetate paulo praecesserit oportet, qui sub Alexandro potissimum artem exercuit, et facile circa ipsam Ol. CV. poni potest. De patria porro et gente qua natus fuerit, idem Plinius l. l. ad vestigium nos ducit, quod alios nondum secutos fuisse est quod miremur. Quum enim eum paullo post Aristidem Thebanum memorarit, quaerendum sane fuit, quis tandem esset iste Aristides, frater (i. e. minor) et discipulus Nicomachi? Levius esset, novum hinc statim effingere Aristidem, quum potius temporum ratio clare demonstrare mihi videatur, celeberrimum illum Aristidem, quem ipse Plinius aequalem Apellis dicit, fratrem natu minorem Nicomachi (Thebani) esse, unde iam hoc oritur stemma gentilicium:

Aristodemus

Nicomachus Aristides

Aristocles.

Opponi fortasse nobis possit, Plinium, si Aristides frater et discipulus Nicomachi ille celeberrimus esset, eius accuratius describendi causa aliquid additurum fuisse; sed illud ipsum silentium, quo Plinius de nullo alio Aristide cogitari posse innuit, suspicionem meam potius confirmat. Quod autem denique in alio Plinii loco Euxenidas Aristidae praeceptor dicitur, hoc nos minime ab opinione nostra tuenda deterrere potest, quum et Apelli plures praeceptores fuisse sciamus, et fortasse Euxenidas post Nicomachum docuerit Aristidem. Nunc audiamus Plinium l. l. haec dicentem: *His annumerari debet Nicomachus, Aristodemi filius et discipulus. Pinxit hic raptum Proserpinae, quae tabula fuit in Capitolio in Minervae delubro supra aediculam Iuventatis. Et in eodem Capitolio,* [1]), *quam Plancus imperator posuerat, Victoria quadrigam in sublime rapiens. Ulixi primus* [2]) *addidit pileum; pinxit et Apollinem, et Dianam, Deumque matrem in leone sedentem, item nobiles Bacchas arreptantibus Satyris, Scyllamque quae nunc est Romae in templo Pacis. Nec fuit alius in ea arte velocior. Tradunt namque conduxisse* [3]) *pingendum ab Aristrato Sicyoniorum tyranno quod is faciebat Tele-*

---

1) Post *Capitolio* vulgo inseritur *alia,* male relatum ad *tabula.* Sed deest in Reg. I. a m. pr. et Dufresn. I. — 2) Vulgo *hic primus Ulyxi*; ut nos verba dedimus, leguntur ea in Reg. I. Dufresn. I. Edit. I. Ceterum sua hinc desumsit Servius Fuldensis ad Virg. Aen. II. 44. — 3) *conduxisse.* Durandus ex editt. antt. et uno cod. cui et duo Parisini

stae poetae monumentum, praefinito die, intra quem perageretur, nec multo ante venisse, tyranno in poenam accenso, paucisque diebus absolvisse, celeritate et arte mira. Discipulos habuit Aristidem fratrem et Aristoclem filium et Philoxenum Eretrium. Praeterea Tyndaridas quoque picturus erat, quod tamen opus ad finem non perduxit, (id. ibid. 11. s. 40. nr. 41.) et quartum eius discipulum Corybantem idem Plinius (l. l.) pictorem non ignobilem dicit.

Has egregias picturas quatuor tantum coloribus fecit, (Plin. XXXV. 7. s. 32.) et cum Parrhasio in umbris faciendis ochra Eretria usus est (id. ibid. 6. s. 21.) Quod vero non ad eam gloriam pervenit, cuius Apelles, Parrhasius, Protogenes alii participes fuerunt, eius rei causam Vitruvius III. Prooem. §. 2. exposuit, qui Nicomachum iis pictoribus annumerat, *quos neque industria neque artis studium neque solertia defecit, sed aut rei familiaris exiguitas aut imbecillitas fortunae seu in ambitione certationis contrariorum superatio obstitit eorum dignitati.* Apophthegma Nicomachi unum servavit Stobaeus serm. 61. εἰπεῖν ποτε Νικόμαχον λέγουσι πρὸς ἄνθρωπον ἰδιώτην, φήσαντα μὴ καλὴν αὐτῷ φανῆναι τὴν Ζεύξιδος Ἑλένην· λάβε τοὺς ἐμοὺς ὀφθαλμοὺς καὶ θεός σοι φανήσεται. Hinc puto *Nico-*

---

accedunt, *conductum eum* praeferendum putat; quo iure v. Burmannum ad Phaedr. IV. 24, 5. p. 218. Veram lectionem tuentur Dufresn. I. et Reg. I. a m. pr. quam secunda male interpolavit.

stratum, cui hoc responsum Aelianus V. H. XIV. 47 tribuit, errori modo huius scriptoris originem suam debere.

II. Scalptor gemmae apud Bracci tab. 87.

NICOPHANES.

Pictor incertae patriae, quem Apellis fere tempore vixisse probabile est. De eo potissimum egit Plinius (XXXV. 10. s. 36.) hisce verbis: *Annumeratur his et Nicophanes elegans et concinnus, ita ut venustate ei pauci comparentur. Cothurnus ei et gravitas artis. Multum a Zeuxide et Apelle abest Apellis discipulus Perseus* etc. Ita hunc locum Harduinus et Brotierius, recte quidem foedis codd. interpolationibus spretis, ediderunt, neque vero eum persanarunt. Quaestio enim est, cur Plinius Nicophanis *venustatem* memorarit, et tunc quasi obiter de virtute omnis pictoris gravissima, *cothurno et gravitate artis* dixerit. Exspectamus potius, si locum mente non praeoccupata intuemur, Plinium Nicophani gravitatem voluisse negare. Hinc locum male habere arbitror, ita tamen ut vulneri haud levi mederi me posse sperem. Interpunctione enim paululum immutata verba sic legas: *comparentur; cothurnus ei et gravitas artis multum a Zeuxide et Apelle abest. Apellis discipulus Perseus* etc. Fuit autem Nicophanes noster ex eorum numero, quos πορνογράφους appellare solebant, teste Polemone ap. Athen. XIII. p. 567. B.

NICOSTHENES.

1. Pictor incertae patriae atque aetatis, cuius dis-

cipuli Theodorus Samius et Stadieus fuere. Plinius XXXV. 11. s. 40.

II. Pictor vasculi Graeci ap. Rossi pitture dei vasi tab. 54.

NICOSTRATUS.

Vide quae diximus s. v. *Nicomachus*, in fine.

NISUS.

Scalptor gemmae ap. Bracci T. II. p. 284. Winckelm. monum. ined. 9. (NEICOC.)

O.

OENIAS.

Pictor incertae aetatis et patriae, qui pinxit Syngenicon. (Plin. XXXV. 11. s. 40.)

OLYMPIAS.

Pictrix incertae aetatis et patriae, *de qua hoc solum memoratur, discipulum eius fuisse Autobulum.* Plin. XXXV. 11. s. 40.

OLYMPIOSTHENES.

Statuarius vel sculptor incertae patriae, qui tres Musas in Helicone positas fecit (Pausan. IX. 30, 1.) Sex reliquas partim Strongylio partim Cephisodotus fecerant, et quum valde probabile sit, Strongylionem et Olympiosthenem Cephisodoti aequales fuisse (v. Meyeri hist. art. Gr. T. I. p. 100.), hoc tamen incertum est, utrius Cephisodoti aetate vixerit. Utut sit, uterque intra Olymp. CII. et CXX. floruit (v. supra s. v. *Cephisodotus*), unde quadamtenus certe de eorum aetate iudicium ferri potest. Adde infra s. v. *Strongylio.*

OLYMPUS.

Statuarius incertae patriae, qui post Olymp. LXXX. floruit. Fecit enim statuam Xenophontis Menephyli filii, Olympionicae, Aegii in Achaia nati (Pausan. VI. 3, 5.); et quum idem Pausanias VII. 17, 6. coll. l. l.

§. 4. narret, tum demum Achaeos Olympicarum victoriarum participes factos fuisse, cum Oebotae a suis civibus statua Olympiade supra dicta posita fuisset, inde aetas nostri artificis quodammodo iudicari potest.

OMPHALIO.

Pictor incertae patriae, qui Niciae celeberrimi pictoris discipulus (antea servus eique in deliciis) templum urbis Messenae operibus suis exornavit. (Pausan. IV. 31, 9.) Quem quum Niciam Nicomedis filium circa Ol. CXVIII. floruisse supra demonstraverim, eius discipulum fere in Ol. CXXV. ponere nobis licebit.

ONAETHUS.

Statuarius incertae aetatis et patriae, qui cum fratre Thylaco, suisque et huius filiis signum Iovis a Megarensibus Olympiae dedicati fecit. (Pausan. V. 23, 4.)

ONASSIMEDES.

Statuarius incertae aetatis et patriae, qui Bacchi signum totum refertum aere Thebis fecit. (Pausan. IX. 12, 3.)

ONATAS.

Statuarius et pictor unus e nobilissimis, de quo nostra demum aetate iustis laudibus Schellingius, Thierschius et Müllerus egerunt, quum iam a Plinio non commemoratus diu paene oblivione latuerit. — In insula Aegina natus, Miconis filius fuit (Pausan. V. 25, 5. 7. coll. Thiersch. Epoch. Art. Gr. II. Adnot. p. 59.) et fere usque ad Ol. LXXX. floruit. Cuius

sententiae primum argumentum Pausanias (VI. 12, 1.) nobis suppeditavit, memorans monumentum illud Hieronis nunc cum maxime celebratissimum ab Onata iussu Dinomenis Hieronis filii factum, in quo fundendo Onatas a Calamide adiutus fuerit. Hiero vero cum Ol. LXXVIII. 2. (467. a. Ch. n. v. Clinton fasti Hellen. ad h. a. p. 36.) obierit, nonnullos certe annos Onatam illi superstitem fuisse necesse est. Hoc etiam inde confirmatur, quod Onatas cum Polygnoto templum Minervae Areae Plataeis picturis decoravit (Pausan. IX. 4, 1.) quem Polygnotum circa Ol. LXXX. floruisse alias comprobavimus (s. v *Aglaophon* et *Polygnotus.*) Tertium porro aetatis Onatae indicium idem Pausanias (VIII. 42, 5.) dat, eum Ageladae et Hegiae aequalem dicens. De Hegia quidem nihil praeterea certi nobis traditum est; quam bene vero Ageladas ad hanc quaestionem quadret, supra, cum de ipso hoc statuario ageremus, docuimus; atque omnibus accurate inter se pensitatis Onatam fere ab Ol. LXXVI. usque ad LXXX. et quod excurrit floruisse arbitror, ita ut et Phidiae notitiam habere posset. De auctoritate autem, qua Onatas per totam antiquitatem usus sit, Pausan. V. 25, 7. insigne affert testimonium, eum quidem nulli artificum posthabendum esse, qui a Daedalo orti in Attica officina exstiterint.

Transeamus nunc ad opera Onatae a Pausania commemorata, quorum primum teneat locum *Hercules* aeneus a Thasiis Olympiae dedicatus, cubitorum decem, qui dextera clavam, laeva arcum gessit. (V. 25, 7.) *Apollo* aeneus Pergami positus, qui cum pro-

pter magnitudinem tum artem plurimi aestimabatur (VIII. 42, 4.) Ab eo diversus sine dubio fuit alter eiusdem artificis *Apollo* comite *Ilithyia*, commemoratus ab Antipatro in Anthol. Palat. IX. 238. — *Mercurius* a Pheneatis Olympiae dedicatus, arietem sub ala portans, galea caput armatus, idemque amictus tunica et chlamyde. Fecit hoc signum Onatas cum Callitele discipulo vel filio. (Pausan. V. 27, 5.) — *Ceres* Phigaleensis aenea, de qua statua Pausan. VIII. 42, 4. mira narrat, comparanda iis, quae alio loco (I. 38, 8.) de Bacchi simulacro aliquo refert. — Magnum Achaici concilii donarium Olympiae, complexum eorum signa aenea, qui ex provocatione cum Hectore sorte ducti erant congressuri. Ex his heroibus Ulyssem Nero Romam deduxit. (V. 25, 5.) — Currus aeneus *Hieronis*, post huius mortem Dinomenis filii iussu factus. Equi currui iuncti, et pueri equis insidentes, Calamidis opus fuerunt. (Pausan. VI. 12, 1. VIII. 42, 4.) — Tarentinorum donarium (praedae a Peucetiis reportatae pars decima) Delphis dedicatum. Statuae equestres et pedestres sibi immixtae, e quibus Opis rex Iapygum, Taras heros et Phalanthus Laco cum delphino Pausaniae nominatim memorantur. (X. 13, 5.) Hoc vero opus Onatas cum Calyntho fecit.

E picturis Onatae una tantum nobis innotuit, breviter descripta a Pausan. (IX. 4, 1. 5, 5.) Etenim Plataeis in pariete vestibuli aedis Minervae Areae primam Argivorum in Thebas expeditionem, et Eteoclis Polynicisque mutuam caedem, matrisque Euryganeae

dolorem pinxit. (Altero enim loco pro O'νασίας cum Müllero Aegin. p. 107. O'νατᾶς legendum est.)

ONESAS.

Scalptor gemmarum ap. Bracci tab. 88. 89.

OPHELIO.

I. Pictor incertae aetatis et patriae, notus ex Anthol. Palat. VI. 315. 316. Pinxit Panem et Aeropen.

II. Sculptor incertae patriae, filius Aristonidae, qui fecit Sextum Pompeium in Mus. Regio Paris. nr. 150. catal. Clarac.

ORUS.

Scalptor capitis Sileni egregie facti in gemma Worsleyana p. 144.

P.

PACUVIUS.

Clarus poeta tragicus Romanus, (circa annum 150. ante Ch. n.) cuius *pictura in foro boario aede Herculis celebrata est.* Plin. XXXV. 4. s. 7.

PAEONIUS.

I. Architectus Ephesius incertae aetatis, qui cum Demetrio vetustissimum Dianae Ephesiae templum a Chersiphrone inchoatum perfecit, et cum Daphnide Milesio Ionicum Apollinis templum Mileti instituit. Vitruv. VII. Prooem. §. 16.

II. Statuarius et sculptor anaglyphorum in anteriore fastigio templi Iovis Olympici, quae Pausanias V. 10, 2. descripsit addens: *τὰ μὲν δὴ ἔμπροσθεν τοῖς ἀετοῖς ἐςὶ Παιωνίου, γένος ἐκ Μένδης τῆς Θρᾳκίας.* Idem artifex aliquanto infra 26, 1. memoratur hisce verbis: *Μεσσηνίων δὲ τῶν Δωριέων οἱ Ναύπακτόν ποτε παρὰ Ἀθηναίων λαβόντες ἄγαλμα ἐν Ὀλυμπίᾳ Νίκης ἐπὶ τῷ κίονι ἀνέθησαν. τοῦτό ἐςιν ἔργον μὲν Μενδαίου Παιωνίου, πεποίηται δὲ ἀπὸ ἀνδρῶν πολεμίων, ὅτε Ἀκαρνᾶσι καὶ Οἰνιάδαις (ἐμοὶ δοκεῖν) ἐπολέμησαν. Μεσσήνιοι δὲ αὐτοὶ λέγουσι τὸ ἀνάθημά σφισιν ἀπὸ τοῦ ἔργου τοῦ ἐν τῇ Σφακτηρίᾳ νήσῳ μετὰ Ἀθηναίων, καὶ οὐκ ἐπιγράψαι τὸ ὄνομα τῶν πολεμίων σφᾶς τῷ ἀπὸ Λακεδαιμονίων δείματι. ἐπὶ Οἰνιαδῶν δὲ καὶ Ἀκαρνάνων οὐδένα ἔχειν φόβον.* Pauca de duobus hisce locis notanda mihi videntur. Ac

primum quidem errorem a Iunio in Catal. art. s. v. *Mendaeus* commissum, deinde vero (quamquam Valckenarius Diatr. Eur. p. 215. Iunium recte refutaverat) a Winckelmanno Opp. T. VI. P. I. p. 11. et quod magis etiam mirum est a Meyero ad h. l. P. II. p. 24. et Hist. art. Gr. T. II. p. 82. propagatum breviter commemorasse sufficit. Illi enim triumviri valde errarunt, cum artificem, de quo nunc agimus, Mendaeum appellatum et in Paeonia genitum esse putarent. Verba prioris loci eos meliora docere poterant. Fuit enim Paeonius Mendae urbe in Thracia (cfr. Poppo Prolegg. ad Thucyd. Vol. II. p. 375.) natus, hincque altero loco Pausanias, memor eorum quae paullo supra de eodem artifice dixerat, simpliciter Mendaeum eum vocat. (Cfr. Thucyd. IV. 123.) Quod vero porro ad eius aetatem attinet, non perspicio, unde Winckelmannus l. l. in eam opinionem deduci potuerit, ut illum suum Mendaeum ante Xerxis in Graeciam expeditionem floruisse putaret, qua de re Meyerus l. l. nonnulla sed ea vix magni momenti monet, cum potius in ipsis Pausaniae verbis multa insint, quae nos ad aetatem Paeonii definiendam ferre possint. Gravissimum enim est illud, quod Victoria Paeonii a Messeniis dedicata fuit, qui Naupactum incolebant, quod inde ab Olymp. LXXXI. 2. factum fuisse scimus (vide supra s. v. *Ageladas*), ita ut post hunc certe annum Paeonium artem exercuisse appareat. Pausanias autem dubitabat, utrum illud simulacrum tropaeum et donarium de Lacedaemoniis post proelium Sphacteriense, an de Acarnanibus et

Oeniadis a Messeniis dedicatum fuerit. Utut sit, discrimen non ita magnum est, cum facinus Sphacteriense Ol. LXXXVIII. 4., bellum vero a Naupactiis cum Oeniadis et Acarnanibus sine dubio Olymp. LXXXVII. 4. commissum fuerit. (Cfr. Thucyd. II. 80. sqq.) Templi autem Iovis Olympici exstructio cum fere in Ol. LXXXIV. incidat, hinc iam patet, quam egregie omnia a nobis disputata sibi consentiant.

PAMPHILUS.

I. Pictor Amphipolites (Suidas s. v. Ἀπελλῆς), discipulus Eupompi et praeceptor Apellis, Melanthii (Plutarchi Arat. 13. Plin. XXXV. 10. s. 36.) atque Pausiae, quem et encausticam picturam docuit (Plin. 11. s. 40.) *Rationem* ei potissimum tribuit Quinctil. XII. 10. atque de eo disseruit Plinius XXXV. 10. s. 40. cuius verba huc transscribam: *Pamphili cognatio et proelium ad Phliuntem ac victoria Atheniensium: item Ulysses in rate. Ipse Macedo natione, sed primus in pictura omnibus literis eruditus, praecipue arithmetice et geometrice, sine quibus negabat artem perfici posse. Docuit neminem talento minoris annis decem: quam mercedem ei Apelles et Melanthius dedere. Et huius auctoritate effectum est Sicyone primum, deinde et in tota Graecia, ut pueri ingenui omnia ante* (sic Gronovius e Voss. Pint. [Reg. 1. Dufresn. I.] coniecit, annuente Ed. I. cum vulgo sit *ante omnia*) *graphicen, hoc est, picturam in buxo docerentur, recipereturque ars ea in primum gradum liberalium.* Quod iam ad aetatem qua floruerit accuratius

definiendam attinet, in universum hunc huius quaestionis fundum sumere possumus, quod Apellis praeceptor fuit, qui iam inde ab Ol. CVII. clarus factus est. (Vide supra s. v. *Apelles.*) Quem annum si recte summum, quo pervenerit Pamphilus, vitae terminum sumere possumus, circumspiciendum nunc nobis est tempus, quo ille artem iam exercuerit. Et dubium non est, quin hunc in finem optimo iure Aristophanis Pluto 385. uti possimus, cuius haec verba sunt:

Ὁρῶ τιν' ἐπὶ τοῦ βήματος καθεδούμενον
ἱκετηρίαν ἔχοντα, μετὰ τῶν παιδίων
καὶ τῆς γυναικός, κοὐ διοίσοντ' ἄντικρυς
τῶν Ἡρακλειδῶν οὐδ' ὁτιοῦν τῶν Παμφίλου.

Ad quem quum versum plures scholiastae de tragico aliquo poeta cogitassent, quem Aristophanes innuerit, unus eorum p. 113. ed. Hemsterh. Lips. ait: *ἐν μέν τοι ταῖς Διδασκαλίαις πρὸ τούτων τῶν χρόνων Πάμφιλος οὐδεὶς φέρεται τραγικός. γραφὴ μέν τοι ἐστὶν οἱ Ἡρακλεῖδαι, καὶ Ἀλκμήνη καὶ Ἡρακλέους θυγάτηρ Ἀθηναίους ἱκετεύοντες, Εὐρυσθέα δὲ δεδιότες, ἥτις Παμφίλου οὐκ ἔστιν, ὥς φασιν, ἀλλ' Ἀπολλοδώρου. ὁ δὲ Πάμφιλος, ὡς ἔοικε, καὶ νεώτερος ἦν Ἀριστοφάνους.* Utut ea, quae de Apollodoro et Pamphilo scholiasta narrat, sese habeant, certum manet, de tragico poeta cogitari non posse, quod praeterea ipse nexus orationis impedit. Iterum vero actus est Plutus Ol. XCVII. 4. ante quem igitur annum pictura illa Heraclidarum facta est, quem si cum Ol. CVII. componas, nihil in artificis aetate inest, quod ab ulla parte improbabile sit,

unde ea quae Böttigerus Archaeol. Pict. I. p. 279. disseruit, satis refutata videntur. Picturam vero illud Pamphili opus, neque librum fuisse praeter Winckelmannum Opp. T. VI. P. I. p. 85. sq. et Meyerum hist. art. T. I. p. 166. Odofredus Müllerus in Prolegg. mythol. p. 400. sq. (contra quam antea in Doriens. T. I. p. 55. senserat) pronuntiavit, qui cum aliis *proelium ad Phliuntem* a Plinio commemoratum ad Ol. CII. vel CIII. refert; victoria autem Atheniensium, in qua reperienda Dalecampius valdè se torsit, et quam Harduinus in *hicteriam* emendare voluit, insolita huius vocis structura, cum de aliis, tum de ea, quam Ol. CI. 1. Chabrias maritimam ad Naxum reportavit, intelligi potest. Utrum Ciceronis (Orat. III. 21.) verba ad pictorem nostrum, an ad alium quem spectent, diiudicare non ausim. Ineptum certe de h. l. commentum Burmanni ad Quinctil. III. 6. p. 247. iam Hemsterhusius ad Aristoph. l. l. p. 113. recte exagitavit.

II. Sculptor incertae patriae, Praxitelis discipulus (hinc circa Ol. CXII.) qui signum Iovis hospitalis, in operibus Asinii Pollionis postea positum, fecit. Plin. XXXVI. 5. s. 4.

III. Scalptor incertae patriae et aetatis, cuius gemmam v. apud Bracci tab. 90.

PANAENUS.

Pictor Atheniensis, frater patruelis (ἀδελφιδοῦς) Phidiae (Strabo VIII. p. 354. A.) unde a Pausania V. 11, 2. et Plinio XXXV. 8. s. 34. et alibi frater illius

artificis dicitur. (Böttiger Archaeol. Pict. p. 242.) Alii eum *Panaeum*, alii *Pantaeum* vocant, quorum neutrum probari potest. (Siebenkees. ad Strabon. T. III. p. 129.) Plinius l. l. eum Ol. LXXXIII. fuisse ait, haec praeterea addens: *clypeum intus pinxit Elide Minervae quam fecerat Colotes Phidiae discipulus*, quibus verbis alius eiusdem Plinii locus (XXXVI. 23. s. 55.) lucem affert: *In Elide aedes est Minervae, in qua frater Phidiae Panaenus tectorium induxit lacte et croco subactum, ut ferunt: ideoque si teratur in ea hodieque saliva pollice, odorem croci saporemque reddit.* Hinc igitur videmus, Panaenum non solum ipsam Minervae statuam, verum etiam eius aedem arte sua exornasse. (Cfr. Böttiger l. l. p. 243. sq.) At quoque in templo Iovis Olympici picturae Panaeni spectabantur. Tria enim sepimentorum, quae soleum simulacri circumdederunt, latera ab eo picta fuerunt, nonnulla inde describente Pausania l. l. Omnino vero Phidiam in Iove faciendo a Panaeno adiutum fuisse, idem Strabo testatur, cuius verba hic apponam: Πολλὰ συνέπραξε τῷ Φειδίᾳ Πάναινος ὁ ζωγράφος ἀδελφιδοῦς ὢν αὐτοῦ καὶ συνεργολάβος πρός τε τὴν τοῦ ξοάνου (Διὸς) κατασκευήν, διὰ τὴν τῶν χρωμάτων κόσμησιν, καὶ μάλιστα τῆς ἐσθῆτος. Δείκνυνται δὲ καὶ γραφαὶ πολλαί τε καὶ θαυμασταὶ περὶ τὸ ἱερόν, ἐκείνου ἔργα, quae verba Böttigerus p. 245. de exteriore throni latere intelligit. Celeberrimum vero eius opus *pugna* Marathonia in poecile Athenis (Pausan. l. l.) fuit, de qua Plinius XXXV. l. l. haec tradit: *Proelium Atheniensium adversus Persas apud Marathona factum pinxit. Adeo iam colo-*

rum usus increbuerat, adeoque ars perfecta erat, ut in eo proelio iconicos duces pinxisse tradatur, Atheniensium Miltiadem, Callimachum, Cynaegirum: barbarorum Datim, Artaphernem, quibus ea quae Pausanias I. 15, 4. Aeschines in Ctesiph. §. 186. Bekk. memorárunt, addi possunt. In certamine quod cum Timagora Chalcidensi Pythiis iniit, ab hoc superatus est. (Plin. XXXV. 9. s. 35.)

PANAEUS.

Scalptor gemmae in bibliotheca Regia Parisiensi. Cfr. Clarac description des antiques p. 421.

PANTIAS.

Statuarius in insula Chio natus, artem a patre Sostrato edoctus (Pausan. VI. 9, 1.) quam ab Aristocle Cydoniata per manus traditam septimo eius discipulorum gradu accepit (VI. 3, 4.) Eum autem circa Ol. XCVI. floruisse, supra (s. v. *Aristocles*) nobis demonstratum est, et aliis insuper argumentis Thierschius (Epoch. Art. Gr. III. Adnot. p. 85.) rem comprobavit. Gloria non admodum magna usus fuisse videtur, quum non nisi statuae athleticae ab eo factae commemorentur. (VI. 3, 4. 9, 1. 14, 3.)

PAPIAS vide ARISTEAS.

PARRHASIUS.

Pictor a veteribus scriptoribus summis laudibus exornatus (Isocrat. π. Ἀντιδόσ. §. 2. ed. Bekk.) Ephesi

natus fuit patre et praeceptore Euenore, (Pausan. I. 28, 2. Iuba ap. Harpocrat. s. v. Παῤῥάσιος. Strabo XIV. p. 642.) quem Plinius (XXXV. 9. s. 36.) nonagesima Olympiade fuisse dicit, ita ut Parrhasius fere ab Ol. XCVI. artem exercuerit. De patria igitur et genere Parrhasii dubitatio esse non potest; quod enim a nonnullis (Seneca Controv. V. 10. Acron. ad Horat. IV. 8.) Atheniensis vocatur, Iunius in Catal. p. 142. recte statuisse videtur, Ephesi quidem eum natum, at ab Atheniensibus civitate donatum fuisse, motus potissimum verbis Plutarchi in Thes. 4. *οἱ Ἀθηναῖοι Σιλανίωνα τιμῶσι καὶ Παῤῥάσιον, εἰκόνων Θησέως γραφεῖς καὶ πλάστας γενομένους.* Aliorum certe artificum patriam hac ratione saepe cum ea urbe, cuius cives postea facti sint, confusam fuisse, Tölkenius in Amalth. III. p. 123. comprobavit. Sed dicendum mihi nunc est de aetate qua floruerit, quae quidem res, quum ex Plinio recte confici possit, variis tamen difficultatibus implicita est. Exstat enim Pausaniae locus (I. 28, 2.) supra s. v. *Mys* laudatus, qui ostendere videtur, Parrhasium Phidiae aequalem fuisse, quum Mys, qui clypeum aeneae Minervae a Phidia ex manubiis Marathoniis factae caelaverat, huius caelaturae lineas duxisse tradatur. Inde sequeretur, Parrhasium iam circa Olymp. LXXXIV. vixisse, neque Heynius (Opusc. Acad. T. V. p. 367.) quin Parrhasius aequalis Phidiae fuerit dubitat, notatus hac de causa a Tölkenio l. l. p. 124. Altera vero ex parte Seneca l. l. haec refert: *Parrhasius pictor Atheniensis, cum Philippus captos Olynthios venderet, emit unum ex his*

senem, perduxit Athenas, torsit, et ad exemplar eius pinxit Promethea. Olynthius in tormentis perit: ille tabulam in templo Minervae posuit: accusatur religionis laesae. Olynthus quum Ol. CVIII. 2. ante Ch. n. 347. capta sit, ad hunc annum ab Ol. LXXXIV. nonaginta septem anni numerantur, intra quos Parrhasius artem exercuerit, atque alterutrum certe, vel Phidiae vel Olynthi mentionem malae fidei esse, nemo negabit. Revertamur igitur ad eum quem supra statuimus numerum Olymp. XCVI. qui e Plinio a nobis desumtus aliunde quoque confirmatur. Etenim Quinctilianus XII. 10. p. 369. Parrhasium ut et Zeuxidem circa Peloponnesia tempora fuisse refert, eiusque sententiae testimonium illud notissimum cum Socrate colloquium (Xenoph. Mem. III. 10.) producit. (Mirum, ut hoc obiter adiiciam, errorem Meyerus ad Winckelm. T. VI. P. II. p. 173. commisit, putans Quinctilianum Parrhasii aetatem usque ad Alexandri successores extendere, quum illa, unde hoc coniicit, verba in universum de pictura agant.) Socrates vero Ol. XCV. 1. obiit, et vides quam egregie omnia inter se conveniant, quum is annus fere ipse ille sit, quem Plinius Parrhasio tribuit. Quod iam ad illam de homine Olynthio narrationem attinet, fortasse ad Ol. CVIII. vitam Parrhasius produxit, licet ita eum ad extremam fere senectutem pervenisse concedendum sit; quid vero de aequalitate Phidiae statuendum sit, supra s. v. *Mys* indicavimus, ubi Pausaniam erroris gravis haud immerito arguisse nobis videmur. His de artificis patria et aetate praemissis, progredi iuvat

ad enumeranda eius opera, hac quidem ratione, ut pro more nostro Plinii verbis passim refictis, aliorum scriptorum testimonia commentarii instar subiiciamus.

Parrhasius Ephesi natus et ipse multa constituit. Primus symmetriam picturae dedit, primus argutias vultus, elegantiam capilli, venustatem oris, confessione artificum in lineis extremis palmam adeptus. [1]) *Haec est in pictura summa sublimitas. Corpora enim pingere et media rerum, est quidem magni operis, sed in quo multi gloriam tulerint. Extrema corporum facere et desinentis picturae modum includere, rarum in successu artis invenitur. Ambire enim se extremitas ipsa debet* [2]) *et sic desinere, ut promittat alia post se, ostendatque etiam, quae occultat. Hanc ei gloriam concessere Antigonus et Xenocrates, qui de picturis scripsere, praedicantes quoque, non solum confitentes alia multa. Graphidis* [3]) *vestigia exstant in tabulis ac membranis eius, ex quibus proficere dicuntur artifices. Minor tamen videtur sibi comparatus in mediis corporibus exprimendis. Pinxit Demon Atheniensium,*

---

1) Huc Iunius in Catal. p. 143. verba Quinctiliani l. l. recte traxit: *Parrhasius ita circumscripsit omnia, ut eum legumlatorem vocent, quia deorum atque heroum effigies, quales ab eo sunt traditae, ceteri, tanquam ita necesse sit, sequuntur.* — 2) ita Reg. I. Vulgo: *debet se extremitas ipsa.* — 3) In iis, quae vulgo circumferuntur, editionibus ita interpungitur: *non solum confitentes. Alia multa graphidis* etc. Num antea iam talia memoravit Plinius? Hinc lectio codd. Reg. I. Dufresn. I. Colbert. Edit. I. a nobis recepta, quam et Durandus ad h. l. p. 247. defendit.

argumento quoque ingenioso: debebat [4]) *namque varium, iracundum, iniustum, inconstantem, eundem exorabilem, clementem, misericordem, gloriosum, excelsum,* [5]) *humilem, ferocem, fugacemque et omnia pariter ostendere.* [6]) *Idem pinxit et Thesea,* [7]) *qui Romae in Capitolio fuit, et Navarchum thoracatum, et in una tabula, quae est Rhodi, Meleagrum, Herculem, Persea. Haec ibi ter fulmine ambusta neque obliterata, hoc ipso miraculum auget. Pinxit et Archigallum; quam picturam amavit Tiberius princeps, atque ut auctor est Decius Eculeo, LX. sestertiis aestimatam cubiculo suo inclusit. Pinxit et Cressam nutricem, infantemque in manibus eius, et Philiscum* [8]) *et Liberum patrem adstante Virtute: et pueros duos, in quibus spectatur securitas et aetatis simplicitas, item sacerdotem* [9]) *adstante puero cum acerra et corona. Sunt et duae picturae eius nobilissimae; Hoplitites in*

De *graphide* v. Gesnerum ad h. l. in Chrestom. Plin. p. 979. — 4) ita Pintiani vetus exemplar et omnes nostri codd. Vulgo: *volebat.* — 5) ita omnes nostri codd. Vulgo: *excelsum, gloriosum.* — 6) De hac pictura quae varii scriptores cogitaverint, collegit V. D. in Kunstblatt zum Morgenbl. 1820. nr. 11. — 7) de hoc *Theseo* v. Plutarchi locum supra laudatum, et quae s. v. *Euphranoris* congessimus. — 8) Post *Philiscum* vulgo inseritur comma, quod delevi secutus auctoritatem Naekii in sched. crit. p. 26. ita ut sequentia arcte cum hac voce cohaereant, hoc quidem sensu: *P. pinxit Philiscum* (non tragicum Corcyraeum, unum e Pleiade, sed comicum) *et Liberum Patrem,* ut praesidem artis dramaticae. — 9) Num fortasse hic est

certamine ita decurrens, ut sudare videatur, alter arma deponens, ut anhelare sentiatur. Laudatur [10]) *et Aeneas, Castorque ac Pollux in eadem tabula, item Telephus; Achilles, Agamemnon, Ulixes.* [11]) *Foecundus artifex, sed quo nemo insolentius* [12]) *sit usus gloria artis. Namque et cognomina usurpavit, Habrodiaetum* [13]) *se appellando, aliisque verbis principem artis et eam ab se consummatam. Super omnia Apollinis se radice ortum, et Herculem, qui est Lindi,* [14]) *talem a se pictum, qualem saepe in quiete vidisset.*

Megabyzus, memoratus a Tzetza in Chil. VIII. 198. — 10) ita omnes nostri codd. et Ed. I. Vulgo: *laudantur.* — 11) *Ulixes*, hanc scripturam servat Reg. I. — 12) post *insolentius* vulgo addunt: *et arrogantius*, quae absunt a Reg. I. Dufresn. I. Edit. I. — 13) hanc scripturam exhibet Reg. I. Vulgo: *abrodiaetus.* Res confirmatur ab Athen. XII. p. 543. D. ἐπέγραψε δὲ ἐπὶ πολλῶν ἔργων αὐτοῦ καὶ τάδε·

Ἁβροδίαιτος ἀνὴρ ἀρετήν τε σέβων τάδ' ἔγραψεν
  Παῤῥάσιος, κλεινῆς πατρίδος ἐξ Ἐφέσου.
οὐδὲ πατρὸς λαθόμην Εὐήνορος, ὅς μ' ἀνέφυσε
  γνήσιον, Ἑλλήνων πρῶτα φέροντα τέχνης.

Ηὔχησε δ' ἀνεμεσήτως ἐν τούτοις·

Εἰ καὶ ἄπιστα κλύουσι λέγω τάδε· φημὶ γὰρ ἤδη
  τέχνης εὑρῆσθαι τέρματα τῆσδε σαφῆ
χειρὸς ὑφ' ἡμετέρης· ἀνυπέρβλητος δὲ πέπηγεν
  οὖρος. ἀμώμητον δ' οὐδὲν ἔγεντο βροτοῖς.

14) Idem Athenaeus et hoc testatur l. l. τερατευόμενος δὲ ἔλεγεν, ὅτε τὸν ἐν Λίνδῳ Ἡρακλέα ἔγραφεν, ὡς ὄναρ αὐτῷ ἐπιφαινόμενος ὁ θεὸς σχηματίζοι αὐτὸν

Ergo magnis suffragiis superatus a Timanthe Sami [15]) *in Aiace armorumque iudicio, herois nomine se moleste ferre dicebat, quod iterum ab indigno victus esset. Pinxit et minoribus tabellis libidines,* [16]) *eo genere petulantibus iocis* [17]) *se reficiens.*

πρὸς τὴν τῆς γραφῆς ἐπιτηδειότητα· ὅθεν καὶ ἐπέγραψε τῷ πίνακι

Οἷος δ' ἐννύχιον φαντάζετο πολλάκι φοιτῶν
Παῤῥασίῳ δι' ὕπνου, τοῖος ὅδ' ἐστὶν ὁρᾶν.

Ceterum de eius luxu et mollitie v. Athen. l. l. et XV. p. 687. B. C. Aelian. V. H. IX. 11. — 15) De hac Timanthis victoria cfr. Aelian. l. l. ex Theophrasto, Athen. l. l. qui verba Parrhasii refert: ὡς αὐτὸς μὲν ὀλίγον φροντίζοι, Αἴαντι δὲ συνάχθοιτο δεύτερον ἡττηθέντι. Eustath. ad Hom. Odyss. λ. 545. — 16) Talis *libido* fuit sine dubio Archigallus supra a Plinio memoratus, et pictura obscoena, de qua Sueton. Tiber. 44. haec ait: *Tiberius Caesar Parrhasii tabulam, in qua Meleagro Atalanta ore morigeratur, legatam sibi sub conditione, ut si argumento offenderetur, decies pro ea H—S acciperet, non modo praetulit, sed et in cubiculo dedicavit.* Recte igitur Odofr. Müllerus in Prolegg. Myth. p. 380. *libidines* per *unzüchtige Gemälde* reddidit, quum, si bene memini, alii de eo picturarum genere cogitarint, quod nos nunc *Carricaturen* vocamus. — 17) ita omnes nostri codd. cum vulgo legatur *petulantis ioci.* Ceterum ex nostro loco Lachmannus Propertium IV. 8, 12. (III. 7, 12. ed. Burm.) emendare voluit:

Parrhasius parva vindicat arte locum,

pro *locum* scilicet *iocum* refingens, quod quid sit nescio. Maiori iure Welckerus ad Philostr. p. 396. *Pyreicum* pro *Parrhasio* restituit, quem v. infra.

Praeter has tabulas a Plinio commemoratas pinxit Parrhasius *Mercurium* (Themist. XIV. *Φασὶ τὸν Παῤῥάσιον, ὅτι γράφειν τὸν Ἑρμῆν ἐγχειρήσας τὴν ἑαυτοῦ μορφὴν τῷ πίνακι ἐγκατέθετο, καὶ ἐξαπατᾷ τοὺς ἀνθρώπους τὸ ἐπίγραμμα τῆς εἰκόνος· οἴονται γὰρ ὅτι Παῤῥάσιος αὐτὸν ἐτίμησέ τε καὶ ἐκύδηνε τῷ ἀναθήματι, πόῤῥω ὄντες τῆς ζωγραφίας· ὃς ἵνα φύγῃ ἀπειροκαλίαν τε καὶ φιλαυτίαν, ἀλλοτρίῳ ὀνόματι εἰς τὴν γραφὴν κατεχρήσατο.*) *Ulyssem simulata vesania* (Pseudo-Plutarchus de aud. poet. 3.) *Philoctetem* (Anthol. Gr. IV. 8, 111. Append. Anth. Palat. T. II. p. 658) et *linteum pictum*, quo Zeuxidem superavit (Plin. l. l.)

PASIAS.

Pictor nobilis, de quo Plin. XXXV. 11. s. 40. *Erigonus tritor colorum Nealcae pictoris in tantum ipse profecit, ut celebrem etiam discipulum reliquerit Pasiam, fratrem Aeginetae fictoris.* Floruit circa Ol. CXL. quod probavimus s. v. *Aegineta.*

PASITELES.

I. Statuarius qui fere Ol. LXXVIII. floruit; de eo v. supra s. v. *Colotes.*

II. Statuarius, sculptor et caelator, *in omnibus his summus, qui nihil unquam fecit, antequam finxit, et plasticen matrem reliquarum artium dixit* (Plin. XXXV. s. 45.). *In Graecia, Italiae ora natus fuit, et civitate Romana donatus cum iis oppidis, Iovem fecit eboreum in Metelli aede, qua Campus petitur. Accidit ei, cum in navalibus ubi ferae Africanae erant per caveam*

intuens leonem caelaret, ut ex alia cavea panthera erumperet, non levi periculo diligentissimi artificis. Fecisse opera complura dicitur, sed quae fecerit, nominatim non refertur. (XXXVI. 4. s. fin.) Floruit vero, ut ex loco laudato colligere possumus, Pompeii M. aetate, testante insuper ipso Plinio (XXXIII. 55.) et in templo Iunonis ab Octaviae porticu incluso varia signa fecit (XXXVI. 5. s. 4. nr. 10.), ita ut usque ad annum fere 30. ante Ch. n. floruerit. Argumenta eorum, quae hucusque disserui, in Amalth. Vol. III. p. 293. sqq. exposui, ad quam dissertationem, ne cocta recoquam, lectores remittere praestat. Ibi et monui, in omnibus locis Plinianis codices modo *Praxiteles* modo *Pasiteles* exhibere, cuius varietatis causam patefecit Oberlinus in praef. ad Tacit. T. I. p. XV. Eius discipulum *Stephanum* ex inscriptione Albanica novimus; v. Thiersch. Epoch. Art. Gr. III. Adnot. p. 93. coll. p. 79. et iis quae infra s. v. *Stephanus* disseruimus, quem omnino ab ea sententia, quam in Amalthea proposui, haud ita multum recedere, valde laetor. Ea tamen, quae de critica Pausaniae loci ratione dixit, dubito quin multis persuasurus sit. Ceterum Pasiteles quinque volumina scripsit nobilium operum in toto orbe. (Plin. XXXVI. 4.)

PATROCLES.

I. Statuarius qui cum Naucyde, Dinomene et Canacho II. Olymp. XCV. floruit, quod quum a Plinio (XXXIV. 8. s. 19.) nobis traditum fuerit, a Pausania quoque confirmatur. Hic enim (X. 9, 4.) narrat Pa-

troclem nonnullas statuas Delphis positas virorum fecisse, qui cum Lysandro ad Aegospotamos vicerant (Ol. XCIII. 4. ante Ch. n. 405.) ita ut facile sumere possimus, magnam illam imaginum a Pausania l. l. descriptarum congeriem Ol. XCV. Delphos dedicatam fuisse. A Plinio vero l. l. iis artificibus accensetur, qui athletas, venatores, sacrificantesque fecerant. Quod iam ad eius patriam attinet, Sicyonius fuisse videtur. Patroclis enim filius et discipulus Daedalus (II.) Sicyonius nuncupatur (Pausan. VI. 3, 2.), qui eodem tempore Eleis tropaeum de Lacedaemoniis erexit, ita ut pater atque filius, ille grandaevus, hic iuvenis, artem simul exercerent.

II. Statuarius Crotoniates Catilli filius, qui buxeum et capite auratum simulacrum Apollinis fecit, quod Locri Epizephyrii Olympiae dedicarunt. (Pausan. VI, 19, 3.) Aetas incerta.

PAUSANIAS.

I. Statuarius Apolloniae natus, aequalis Daedali Sicyonii (Ol. XCV.) quocum magnam statuarum congeriem a Tegeatis Delphis dedicatam fecit. Pausan. X. 9, 3.

II. Pictor incertae aetatis atque patriae, quem Athenaeus XIII. 567. B. pictoribus meretricum (πορνογράφοις) annumerat, nisi quidem eo loco *Pausiae* nomen restituendum est, qui propter Glyceram sane ita dici potuit.

PAUSIAS.

Pictor Sicyonius, Apelli aequalis, de quo Plinius XXXV. 11. s. 40. haec habet: *Pamphilus Apellis praeceptor, non pinxisse solum* [1]) *encausta,* [2]) *sed etiam docuisse traditur Pausian Sicyonium, primum in hoc genere nobilem. Brietis filius hic fuit, eiusdemque primo discipulus. Pinxit et ipse penicillo parietes Thespiis, cum reficerentur quondam a Polygnoto picti: multumque comparatione superatus existimabatur, quoniam non suo genere certasset. Idem et lacunaria primus pingere instituit, nec cameras ante eum taliter adornari mos erat. Parvas pingebat tabellas, maximeque pueros. Hoc aemuli interpretabantur eum* [3]) *facere, quoniam tarda picturae ratio esset illa. Quamobrem daturus celeritatis famam,* [4]) *absolvit uno die tabellam, quae vocata est hemeresios, puero picto. Amavit in iuventa Glyceram municipem suam, inventricem coronarum, certandoque imitatione eius ad numerosissimam florum varietatem perduxit artem illam. Postremo pinxit ipsam* [5]) *cum corona, quae e nobilissimis eius tabula appellata est Stephaneplocos, ab*

---

1) *solum*, ita omnes Gronoviani et nostri codd. Vulgo *tantum.* — 2) *encausta*, hanc Gronovii emendationem egregie confirmat Reg. I. Vulgo: *encaustica.* — 3) ita Reg. I. Vulgo: *eum interpretabantur.* — 4) Vulgo legitur: *Quamobrem arti daturus et celeritatis famam;* locum emendavi e Reg. I. II. Dufresn. I. Colbert. — 5) sic Reg. I. II. Dufresn. I. Colbert. Ed. I. In veteribus edd. fuit *illam.* —

aliis Stephanopolis, [6]) *quoniam Glycera venditando coronas sustentaverat paupertatem. Huius tabulae exemplar, quod apographon vocant, L. Lucullus duobus talentis emit Dionysiis Athenis. Pausias autem fecit et grandes tabulas, sicut spectatam in Pompeii porticibus boum immolationem. Eam picturam* [7]) *primus invenit; postea* [8]) *imitati sunt multi, aequavit nemo. Ante omnia cum longitudinem bovis ostendere vellet, adversum eum pinxit, non transversum: et abunde intelligitur amplitudo. Dein cum omnes, quae volunt eminentia videri, candicantia faciant coloremque condant* [9]) *nigro, hic totum bovem atri coloris fecit, umbraeque corpus ex ipsa dedit, magnaque prorsus arte in aequo exstantia ostendens, et in confracto solida omnia. Sicyone et hic vitam egit, diuque fuit illa patria picturae.*

Pausiae etiam duae picturae Epidauri erant, de quibus v. Pausan. II. 27, 3. οἴκημα δὲ περιφερὲς λίθου λευκοῦ, καλούμενον Θόλος, ᾠκοδόμηται πλησίον, θέας ἄξιον. ἐν δὲ αὐτῷ Παυσίου γράψαντος βέλη μὲν καὶ τόξον ἐστὶν ἀφεικὼς Ἔρως, λύραν δὲ ἀντ' αὐτῶν ἀράμενος φέρει. γέγραπται δὲ ἐνταῦθα καὶ Μέθη, Παυσίου καὶ τοῦτο ἔργον, ἐξ ὑαλίνης φιάλης πίνουσα· ἴδοις δὲ κᾂν ἐν

---

6) de hac voce v. Lobeck. ad Phrynich. p. 651. — 7) vulgo legitur: *eam enim picturam*, quam particulam delevi e Reg. I. II. Dufresn. I. Colbert. — 8) vulgo: *invenit, quam postea.* Pronomen relativum omisit Reg. I. — 9) ita nostri codd. et Edit. 1. In veteribus edd. *condiant.*

τῇ γραφῇ Φιάλην τε ὑάλου καὶ δι' αὐτῆς γυναικὸς πρόσωπον. — Filius eius et discipulus Aristolaus a Plinio l. l. memoratur.

PAUSO.

Pictor incertae patriae, ob paupertatem suam notus. Schol. ad Aristoph. Plut. 602. qui ad comici verba: *Παύσωνα κάλει τὸν ξύσσιτον* haec adnotat: *ὁ Παύσων δὲ ἐπὶ πενίᾳ κωμῳδεῖται ζωγράφος ὤν.* Hinc eum ipsius Aristophanis aetate puto floruisse. Certe ante Aristotelem vixit, qui (Poet. 2.) eum homines deteriores quam essent pingere solitum fuisse ait, quo eiusdem Aristotelis iudicium (Polit. VIII. 5. p. 267. ed. Göttl.) spectare videtur, dicentis: *δεῖ μὴ τὰ Παύσωνος θεωρεῖν τοὺς νέους, ἀλλὰ τὰ Πολυγνώτου, κἂν εἴ τις ἄλλος τῶν γραφέων ἢ τῶν ἀγαλματοποιῶν ἐστιν ἠθικός.* Historiolam de Pausone, arte sua hominibus quasi illudente, narraverunt Plutarchus de Pythiae orac. 5. Lucianus in Encom. Demosth. 24. Aelian. Var. Hist. XIV. 15. Adde Böttiger de Archaeol. Pictur. T. I. p. 266.

PAZALIAS.

Scalptor incertae patriae atque aetatis, in Spilsbury Gems nr. 26. „Baccha Centaurum, cuius tergo insidet, thyrso domans.“

PEDIUS.

Pictor Romanus primo ante Ch. n. seculo, de quo Plin. XXXV. 4. s. 7. *Qu. Pedius, nepos Qu. Pedii*

Consularis triumphalisque a Caesare Dictatore coheredis Augusto dati, cum natura mutus esset, eum Messala orator, ex cuius familia pueri avia erat, picturam docendum censuit, idque etiam Divus Augustus comprobavit. Puer magni profectus in ea arte obiit.

PERGAMUS.

Scalptor incertae aetatis et patriae ap. Bracci T. II. tab. 92.

PERICLETUS.

Statuarius incertae patriae, cuius unus Pausanias uno tantum loco (de altero enim II. 22, 8. v. s. v. *Naucydes*) mentionem his verbis fecit: Ἀ'φροδίτη χαλκῆ, Κλέωνος ἔργον Σικυωνίου· τούτου δὲ ὁ διδάσκαλος τοῦ Κλέωνος, ὄνομα Ἀ'ντιφάνης, ἐκ φοιτήσεως Περικλείτου· Πολυκλείτου δὲ ἦν τοῦ Ἀ'ργείου μαθητὴς ὁ Περίκλειτος. Stemma igitur horum artificum hocce est:

Polycletus Argivus
|
Pericletus
|
Antiphanes
|
Cleo.

Polycletus Argivus quum certe iam Ol. LXXXIV. floruerit, Antiphanes vero Olympiadi fere XCIV. attribuendus sit, hinc Pericletus, qui non tam praeceptor quam potius amicus Antiphanis (ἐκ φοιτήσεως) habendus est, circa Ol. XC. vixerit necesse est.

PERICLYMENUS.

Statuarius incertae aetatis et patriae, quem Plinius XXXIV. 8. s. 19. iis artificibus accenset, qui felicissime athletas, armatos, venatores sacrificantesque expresserint. Tatianus orat. adv. Gr. 55. p. 118. ed. Worth. eum imaginem mulierculae (*Eutychidis*, v. Plin H. N. VII. 3.) fecisse ait, quae triginta deinceps infantes enixa fuerat.

PERILLUS.

Statuarius notissimus, de quo quae varii scriptores dixerunt, hic colligere nolo, utpote quae omnia in detestando aëneo tauro versentur. Quod primum ad eius nomen attinet, plerique hominem *Perillum*, Lucianus vero in Encom. Phalar. et Schol. Pind. Pyth. I. 185. *Perilaum* vocat, qui nihil nisi error librarii ΠΕΡΙΛΛΟΣ in ΠΕΡΙΛΑΟΣ male mutantis habendus est. De simili nomine cfr. Hermanni observationem in libro: über Boeckhs Behandlung der griech. Inschriften p. 106. Qua in urbe natus fuerit, non certo constat, probabile tamen est, eum Agrigentinum fuisse; et quum Phalaris ab Ol. LIII. 4. (ante Ch. n. 565.) usque ad Ol. LVII. 4. ante Ch. 549. dominationem exercuerit, (Clinton fasti Hellen. p. 4.) Perillum quoque intra hoc tempus vixisse apparet. De ipso tauro v. quae docte disseruerunt Göllerus de situ et origine Syracusarum p. 272 sqq. et Böttigerus in libro: Kunstmythologie Vol. I. p 380. sqq.

PERSEUS.

Pictor incertae patriae, Apellis discipulus, ad quem de pictura librum scripsit. Plin. XXXV. 10. s. 36. Vixit igitur circa Ol. CXVIII.

PHAEAX.

Architectus Agrigentinus, qui quum eius cives circa Ol. LXXV. multa opera publica per eum aedificanda curarent, hac in re ita excelluit, ut Agrigentini in eius honorem cloacas Φαίακας appellarent. Diod. Sic. XI. 25.

PHALERIO.

Pictor incertae patriae atque aetatis, qui Scyllam pinxit. Plin. XXXV. 11. s. 40.

PHARAX.

Statuarius vel sculptor a Vitruvio III. Prooem. §. 2. iis annumeratus, qui nullam memoriam sint assecuti, quod non ab industria neque artis solertia sed a felicitate fuerint deserti. Natus fuit Ephesi.

PHARNACES.

Scalptor incertae aetatis et patriae; v. Bracci T. II. nr. 93. Spilsbury gems nr. 11.

PHASIS.

Pictor incertae patriae atque aetatis qui Cynegirum nobilissimum (Herod. VII. 114.) ambabus manibus praeditum pinxit, laudatus hoc nomine in Anthol. Gr. IV. 8, 117. (Append. Anth. Palat. T. II. p. 660.)

PHIDIAS.

I. De uno omnium celeberrimo hoc artifice nobis acturis haud exiguus timor iniicitur, quum quibus difficultatibus eius vita implicita sit perpendimus et viros insignes respicimus, qui iam ante nos de eo scripserunt. Bene igitur gnari imbecillitatis nostri ingenii, quae quo minus altiora captare possimus prohibet, ea quae certis argumentis colligi possunt, nos nunc enarrábimus, sperantes, fore ut mox Odofr. Müllerus commentationem suam de Phidiae vita edat cuius primas, eas vero egregias, lineas in Nuntiis liter. Gotting. 1824. scid. 115. duxit.

Phidias Charmidae filius Atheniensis (Pausan. V. 16, 2. Strabo VIII. 353. D.) frater Plistaeneti (Plutarchus utrum bello an pace clariores fuer. Athen. T. VII. p. 363. ed. R.) et frater patruelis Panaeni fuit (v. supra.) Plinius XXXIV. 8. s. 19. eum Olymp. LXXXIV. (ita cod. Reg. I.) floruisse dicit, quod cur fecerit, in aprico est. Illo enim tempore Pericles summam Athenis potestatem adipisci coepit (Clinton fasti Hellen ad a. 444. et 429.), quo et magna illa monumenta eodem auctore partim ab ipso Phidia partim eo certe inspiciente deinceps condita sunt. Anno tertio Olympiadis LXXXV. (ante Ch. 438.) archonte Theodoro Minervam eboreo — auream in Parthenone dedicavit, (Eusebius ad h. a.) ita ut et hac ratione Plinii, vel potius eius quem secutus est, calculus inde confirmetur, quum Phidiam Ol. 84. hanc summi laboris statuam incepisse oporteat. His quidem ea adversari videntur, quae Scholiastes ad Ari-

stoph. Pacem 604. e Philochoro narrat, cuius verba haec sunt: Φιλόχορος ἐπὶ Πυθοδώρου ἄρχοντος ταῦτά φησι· „καὶ τὸ ἄγαλμα τὸ χρυσοῦν τῆς Ἀθηνᾶς ἐστάθη „εἰς τὸν νεὼν τὸν μέγαν, ἔχον χρυσίου σταθμὸν ταλάν- „των μδ', Περικλέους ἐπιστατοῦντος, Φειδίου δὲ ποιήσαν- „τος. Καὶ Φειδίας ὁ ποιήσας, δόξας παραλογίζεσθαι τὸν „ἐλέφαντα τὸν εἰς τὰς φολίδας, ἐκρίθη, καὶ φυγὼν εἰς „Ἦλιν ἐργολαβῆσαι τὸ ἄγαλμα τοῦ Διὸς τοῦ ἐν Ὀλυμ- „πίᾳ λέγεται. Τοῦτο δὲ ἐξεργασάμενος ἀποθανεῖν ὑπὸ „Σκυθοδώρου, ὅς ἐστιν ἀπὸ τούτου ἕβδομος." — „Φει- „δίας, ὡς φιλόχορός φησιν ἐπὶ Πυθοδώρου ἄρχοντος τὸ „ἄγαλμα τῆς Ἀθηνᾶς κατασκευάσας ὑφείλετο τὸ χρυσίον „ἐκ τῶν δρακόντων τῆς χρυσελεφαντίνης Ἀθηνᾶς, ἐφ' ᾧ „καταγνωσθεὶς ὑπ' αὐτῶν ὡς νοσφισάμενος ἀνῃρέθη." Ut nunc omissa posterioris scholii parte ad priorem convertamur, ante omnia notandum est, archontem *Scythodorum* nunquam fuisse, et vel errorem vel commentum librarii hic subesse, qui quum apud Philochorum Πυθοδώρου invenisset, hoc nomine quid iam faceret nescius, novum statim archontem fecit, qui in annum 429. ante Ch. incideret, quo Pericles dudum mortuus fuit. Hucusque igitur Palmerius in Exercitt. p. 746. (assentiente Corsinio in Fastis Att. III. p. 217.) verum vidisse videtur; num vero et in mutando prioris archontis nomine res pariter ei successerit, recte ambigi potest. Verba enim ἐπὶ Πυθοδώρου ἄρχοντος in Θεοδώρου mutat, ut cum Eusebio Philochorum consentientem faciat. At optime perspexit Heynius Antiq. Aufs. I. p. 197. Philochorum, quum res archonte Pythodoro gestas narraret, non de Minervae statua

sed de lite Phidiae illata loqui voluisse et perspicuitatis tantum causa ea breviter repetiisse quae ad rem illustrandam necessaria erant; id quod ipsa verba, dummodo attento oculo ea inspicias, probant. Hinc Phidias Ol. LXXXVII. 1. ante Ch. 432. obiit, quod et alter locus Philochori recte interpunctus (ὡς Φιλόχορός φησι ἐπὶ Πυθοδώρου ἄρχοντος,) confirmat, neque Eusebius et Philochorus unquam sibi contradixerunt. (Cfr. Müllerus l. l.)

Quae iam disputata cum certa esse videantur, progredi nobis nunc licet ad ea, quae ex illis pendent. Et hic quidem primum dicendum est de tribus operibus a Phidia factis, quae omnem eius vitae computationem aliquantum turbare possunt. Pausanias enim I. 28, 2. ait, Minervam aheneam in acropoli collocatam e manubiis victoriae Marathoniae factam fuisse; alterum ex iisdem manubiis factum signum Minervae Plataeenses ope Phidiae erexerunt (IX. 4, 1. ᾠκοδομήθη δὲ ἀπὸ λαφύρων, ἃ τῆς μάχης σφίσιν Ἀθηναῖοι τῆς ἐν Μαραθῶνι ἀπένειμαν); tertium vero opus ampla satis multitudo statuarum heroum quorundam Atheniensium, ab eodem artifice ex eadem praeda factum Delphis dedicatum fuit (X. 10, 1.) Pugna Marathonia quum Ol. LXXII. 3. (490. ante Ch. n.) commissa sit, inde sequeretur Phidiam, si more Graecis usitato paullo post victoriam reportatam illas statuas erexisset, summa senectute (fere octagenarium) duo sua opera primaria fecisse, contra quod cum narratio illa de Pantarce infra laudanda, tum verba ipsius Pausaniae (VII. 27, 1.) pugnant. Hic enim aliam quandam

Minervam Pellenensem eiusdem artificis memorans addit, hanc a Phidia factam fuisse, priusquam aureo-eboream Athenis et *Plataeensem* fecerit, quibus igitur verbis Phidiae aetas denuo retrahenda esset. Facile quidem foret, has difficultates ita solvere, ut praedam Marathoniam Phidiae demum tempore, i. e. circa Ol. LXXXII. operibus illis adhibitam fuisse; at vix credi potest, Athenienses gloriae adeo ambitiosos hanc suae virtutis laudem tamdiu parvi pependisse, et Müllerum potius verum vidisse arbitror, qui Athenienses omnibus fere Graecis tum invisos historiae fidem corrupisse ait, pugnam quidem Marathoniam facinus suum laudatissimum atque a se solis perpetratum reliquae Graeciae obtendentes et plura monumenta illi adaequantes.

Venio nunc ad alteram quaestionem de tempore quo Iupiter Olympius factus fuerit, quod signum quum plerique velut Heynius Antiq. Aufs. I. p. 203. Meyerus ad Winckelm. T. VI P. II. p. 66. Hist. Art. T. I. p. 61. ante Minervam in Parthenone factum fuisse contendant, Corsini l. l. et Müllerus recte in contrariam abeunt sententiam, accedente quoque Winckelmanno T. VI. P. I. p. 47. malo tamen sententiae suae argumento uso, ut infra demonstrabitur. Priusquam vero de illa re ea quae sentio dicere licet, impedimenta quae ex lite Phidiae mihi obiici possint removenda esse video, de qua Philochorus supra laudatus, Plutarchus in Pericle 31. et Diodorus Siculus XII. 39. egerunt. Et omnes quidem in eo consentiunt, Phidiam furti accusatum fuisse, quod in auro ad

Minervam faciendam ei tradito commiserit; quando vero Phidias accusatus fuerit, dissentiunt. Philochorus enim ait, Phidiam quum accusatus et condemnatus esset, ad Eleos fugisse, ibi Iovem fecisse, et quasi remunerationis causa ab illis occisum fuisse. Quum neque Philochorus in priore neque in posteriore scholii parte aliquid de furto in Iove faciendo commisso dicat, offendere quemque debet, Phidiam tamen ab Eleis morte multatum dici; et quum porro neque Plutarchus neque Diodorus neque etiam Pausanias huius caedis mentionem faciant, verba Philochori ὑπὸ Ἠλείων ineptum scholiastae additamentum habeo, quum Philochorus tale quid dicere *nequiret,* et in posteriore scholii parte, ubi narratio de Minerva repetitur, caedes quidem Phidiae neque vero per Eleos facta legatur. Verba enim ὑπ' αὐτῶν, a reliquis seiuncta, nonnisi de Atheniensibus valere possunt, quum de Athenis modo sermo fuerit. Apage igitur secundum illud furtum a viris quibusdam recentioribus Phidiae tributum! Apage poenam nefario dignam ab Eleis, ut dicunt, Phidiae inflictam! — Quod porro Philochorus vel potius ineptus scholiasta eo abusus dicit, Phidiam accusatum et condemnatum ad Eleos fugisse, id plane aliter tradit Plutarchus l. l. cuius verba non possum quin hic ponam: *Φειδίας ὁ πλάστης ἐργολάβος μὲν ἦν τοῦ ἀγάλματος,* (*Ἀθηνᾶς χρυσελεφαντίνης*) *ὥσπερ εἴρηται· φίλος δὲ τῷ Περικλεῖ γενόμενος, καὶ μέγιστον παρ' αὐτῷ δυνηθεὶς, τοὺς μὲν δι' αὐτὸν ἔσχεν ἐχθροὺς φθονούμενος, οἱ δὲ τοῦ δήμου ποιούμενοι πεῖραν ἐν ἐκείνῳ, ποῖός τις ἔσοιτο Περικλεῖ κριτής, Μένωνά*

τινα τῶν Φειδίου συνεργῶν πείσαντες, ἱκέτην ἐν ἀγορᾷ καθίζουσιν, αἰτούμενον ἄδειαν ἐπὶ μηνύσει καὶ κατηγορίᾳ τοῦ Φειδίου. Προσδεξαμένου δὲ τοῦ δήμου τὸν ἄνθρωπον, καὶ γενομένης ἐν ἐκκλησίᾳ διώξεως, κλοπαὶ μὲν οὐκ ἠλέγχοντο· τὸ γὰρ χρυσίον οὕτως εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς τῷ ἀγάλματι προσειργάσατο καὶ περιέθηκεν ὁ Φειδίας, γνώμῃ τοῦ Περικλέους, ὥστε πάνυ δυνατὸν εἶναι περιελοῦσιν ἀποδεῖξαι τὸν σταθμόν· ὃ καὶ τότε τοὺς κατηγόρους ἐκέλευσε ποιεῖν ὁ Περικλῆς. Ἡ δὲ δόξα τῶν ἔργων ἐπίεζε φθόνῳ τὸν Φειδίαν, καὶ μάλισθ' ὅτι τὴν πρὸς Ἀμαζόνας μάχην ἐν τῇ ἀσπίδι ποιῶν, αὑτοῦ τινα μορφὴν ἐνετύπωσε πρεσβύτου φαλακροῦ, πέτρον ἐπηρμένου δι' ἀμφοτέρων τῶν χειρῶν, καὶ τοῦ Περικλέους εἰκόνα παγκάλην ἐνέθηκε μαχομένου πρὸς Ἀμαζόνα. Τὸ δὲ σχῆμα τῆς χειρός, ἀνατεινούσης δόρυ πρὸ τῆς ὄψεως τοῦ Περικλέους, πεποιημένον εὐμηχάνως, οἷον ἐπικρύπτειν βούλεται τὴν ὁμοιότητα παραφαινομένην ἑκατέρωθεν. Ὁ μὲν οὖν Φειδίας εἰς τὸ θεσμωτήριον ἀπαχθεὶς ἐτελεύτησε νοσήσας, ὡς δέ φασιν ἔνιοι, φαρμάκοις, ἐπὶ διαβολῇ τοῦ Περικλέους τῶν ἐχθρῶν παρασκευασάντων. Τῷ δὲ μηνυτῇ Μένωνι, γράψαντος Γλύκωνος, ἀτέλειαν ὁ δῆμος ἔδωκε, καὶ προσέταξε τοῖς στρατηγοῖς ἐπιμελεῖσθαι τῆς ἀσφαλείας τοῦ ἀνθρώπου.

Nihil hic de furti convicto, nihil de fuga, nihil de Iove Olympio facto; sed Phidias a furti crimine quum se defendisset, denuo religionis laesae accusatus in vinculis obiit, quo utrum puniendus an tantum coercendus venerit, non liquet. Et Plutarchum quidem, quocum Diodorus Siculus XII. 39. T. I. p. 503. ita consentit ut calumniam tantum pecuniae per furtum sublatae memoret, in omni hac narratione fide di-

gnissimum esse, aliunde quoque comprobari potest. Heynius enim l. l. p. 197. sq. ex Philochoro et Heliodoro apud Harpocrat. s. v. Προπύλαια ταῦτα monet, Propylaea archonte Euthymene (Ol. LXXXV. 4 ante Ch. 437) inchoata et quinto anno post (archonte Apseude (Ol. LXXXVI. 4. ante Ch. n. 433.) finita fuisse. Quae quum introitum arcis facerent, nunc demum omnis aedificatio a Pericle instituta ad finem perducta fuisse ab Atheniensibus credebatur, et hoc igitur anno coram λογισταῖς rationes pecuniae impensae reddendae erant. Certe post hunc annum nulla aedis alicuius Pericle auctore exstructae mentio iniicitur, neque poterat sane, quum statim post bellum Peloponnesiacum erumperet. Hinc igitur explicatur quomodo factum sit, ut Phidias ipso hoc anno, quo Pythodorus summo magistratu functus est, accusaretur, et omnia ita inter se conveniunt, ut hinc iam ulterius progredi possimus, antea tamen Heynii insigni acumine, quod primum rem aperuit, iustis laudibus celebrato.

Revertamur igitur ad Iovem Olympium, qui mihi pariter ut viris doctissimis supra laudatis post Minervam, et proinde ab Olymp. LXXXV. 3. usque ad LXXXVI. 4. factus fuisse videtur. Argumenta quae hic proferri possint quum iam ab aliis viris occupata videam, paucis ea repetere iuvat. Et Heynius quidem, omnino in eo errans quod Iovem ante Minervam dedicatum putat, iuste tamen (p. 201.) observat Eleos, si Phidias furtum commisisset, non permissuros fuisse, artificem suum nomen simulacro in-

scribere, neque posteris eius statuam curandam credituros fuisse. Ex Philochoro autem licet foede interpolato hoc certe coniicere possumus, Phidiam Minerva a se facta ad Eleos se contulisse, et facile Müllero assentior dicenti, hoc iter honorificentissima artifici ratione factum, eumque cum sua gente suisque discipulis ab Eleis, ut ad eos veniret, invitatum fuisse, quod Panaeni et Colotae nomina indicant, quorum auxilio in statua facienda usus est. Omnem vero rem Pausanias, iam a Corsinio admotus, conficit, qui V. 11, 2. ait: *τῷ μὲν δὴ κατευθὺ τῆς ἐσόδου κανόνι (τοῦ θρόνου), ἑπτά ἐστιν ἀγάλματα ὑπ᾽ αὐτῷ· τὸ γὰρ ὄγδοον ἐξ αὐτῶν οὐκ ἴσασι τρόπον ὅντινα ἐγένετο ἀφανές. εἴη δ᾽ ἂν ἀγωνισμάτων ἀρχαίων ταῦτα μιμήματα· οὐ γάρ πω τὰ ἐς τοὺς παῖδας ἐπὶ ἡλικίας ἤδη καθειστήκει τῆς Φειδίου.* [Hoc comma adhuc in mendo cubat; aperte enim contradicit V. 8, 3.] *τὸν δὲ αὐτὸν ταινίᾳ τὴν κεφαλὴν ἀναδούμενον ἐοικέναι τὸ εἶδος Παντάρκει λέγουσι, μειράκιον δὲ Ἠλεῖον τὸν Παντάρκη παιδικὰ εἶναι τοῦ Φειδίου. ἀνείλετο δὲ καὶ ἐν παισὶν ὁ Παντάρκης πάλης νίκην Ὀλυμπιάδι ἕκτῃ πρὸς ταῖς ὀγδοήκοντα.* Pantarces igitur puer, a Photio in lexico s. v. *Ῥαμνουσία Νέμεσις* nescio unde Argivus dictus Phidiae in deliciis, qui eius nomen et digito Iovis inscripsit — (*Παντάρκης καλός.* v. Arnob. adv. gent. VI. p. 199. ed. L. B. 1651. *cum Olympii formam Iovis molimine operis extulisset immensi, super Dei digito Pantarces inscripsit pulcher. Nomen autem fuerat amati ab se pueri, atque obscoena cupiditate dilecti.* Hausit haec Arnobius ex Clem. Alexandr. Protr. p. 35. C. ed. Sylb. coll. Photio l. l. et malus

est error Gregorii Nazianzeni carm. iamb. 18. qui Phidiam illud nomen digito Minervae insculpsisse ait;) — summo artifici Elide demum cognitus Ol. LXXXVI. victoriam in pueris Olympiae reportavit, eiusque imaginem eodem habitu Phidias bis fecit, unam quidem in ipsa Alti (VI. 4, 3.) alteram in throno Iovis. Statuae vero taeniatae non nisi victoribus ponebantur, hincque Iovem ante Ol. LXXXVI. finiri non potuisse certissime apparet. Per quinque igitur annos continuos in Iove faciendo occupatus fuit et quum eum a Panaeno et Colota adiutum fuisse sciamus, quibus alios accessisse credibile est, illud tempus operi finiendo sufficere potuit. Eorum quae iam disputavimus summam paucis exponere iuvat, quo facto lectores videant, quid nobis velimus.

Annorum numeri.	Archontes Attici.	Rerum descriptio.
Ol. 85, 3. 438. ante Ch.	Theodorus.	Minerva chryselephantine in Parthenone dedicata. Priusquam eam inciperet, Pellenae et Plataeis statuae Minervae a Phidia positae.
Ol. 85, 4. 437. ante Ch.	Euthymenes	Phidias simulacrum Iovis Olympici incipit. Propylaea Athenis aedificari coepta.
Ol. 86, 1. 436. ante Ch.	Lysimachus	Pantarces victor.
Ol. 86, 4. 433. ante Ch.	Apseudes.	Iupiter Olympicus et Propylaea ad finem perducta.
Ol. 87, 1. 432. ante Ch.	Pythodorus.	Phidias accusatus obit in vinculis publicis.

Extremi igitur Phidiae anni hunc in modum quum a nobis descripti sint, de iuventute loquendum esset, dummodo aliquid de ea cognitum haberemus. Nihil autem nobis traditum est, nisi Phidiam ab Hippia et Agelada (v. supra) artem statuariam edoctum et iuvenem adeo pictorem fuisse, quo tempore Olympium pinxit. (Plin. XXXV. 8. s. 34. coll. Siebelis. in indicib. Winckelm. p. 324. Iacobs in Amalth. T. II. p. 247.) De Hippia omnia incerta. Ageladae discipulus quo tempore fuerit nescimus; sed quum Pausanias VIII. 42, 4. Ageladam aequalem Onatae faciat, qui potissimum Ol. LXXVIII. floruit, eodem fere tempore, quo Ageladam cum ipsum eximia gloria usum tum scholae iuste celebratae praefuisse probabile est, Phidiam ab summo illo artifice eruditum fuisse sumo, unde usque ad Ol. LXXXV. 3. triginta anni elapsi sunt. Quodsi hinc annum extricare volumus, quo Phidias natus sit, coniectura haud admodum improbabilis videatur, qua eum viginti annos natum Ageladam frequentasse et proinde Ol. LXXIII. 1. ante Ch. n. 488. in lucem editum putamus. Video Odofr. Müllerum in eundem fere annum incidisse, quod qua ratione factum sit, iam quidem nescio. Nunc demum videmus, qui evenerit, ut in clypeo Minervae Atticae anno 438 quinquagenarius calvum se fingeret, et biennio post anno 436. Pantarcae amore incenderetur; quorum utroque cum alii tum Müllerus ad sententiam suam corroborandam usi sunt. Obiit igitur Phidias quinquaginta sex fere annos natus.

Ab ipso artifice ad eius opera transeamus, in qui-

bus tamen enumerandis abstinendum est omnibus, quae ad explicandas singulas eorum partes pertineant, partim quod ita morem nostrum sequimur, partim quod multi viri laude mea longe superiores, in quibus unum Böttigerum acutissime super his disputantem nominasse sufficiat, doctrinae et ingenii copias insignes illis contulerunt. Eadem ratione omittendas putavi omnes omnis generis laudationes, quibus scriptores veteres artificem nostrum ornare voluerunt, utpote quae nihil habeant, unde pro huius libelli indole multum utilitatis capere possimus.

Placet autem ita progredi, ut materiarum, quibus usus Phidias opera sua fecit, naturam sequamur primum quidem de operibus toreuticis sive ex *auro et ebore* factis loquentes.

I. *Iupiter Olympius*, descriptus a Pausania V. 11. Notum est Phidiam inprimis versibus Homericis (Il. α. 529. sqq.) ad hoc simulacrum faciendum incitatum fuisse (Strabo VIII. p. 534. A. Valer. Max. III. 7, ext. 4.), et Lucianus (pro imagg. 14.) narrat, eum pariter ut Apellem iudiciis praetereuntium ad opus emendandum uti consuevisse. Pausaniae etiam tempore (V. 15, 1.) domus Olympiae ostendebatur, ubi statuam fecerat, eiusque posteris munus datum fuit, ut eam ab adventitiis sordibus purgarent, unde Phaedryntae dicti sunt. (Pausan. V. 14, 5.) Ceterum coniecturam hic proponere liceat de loco Propertii (III, 7, 15.) ab interpretibus vexatissimo, quem facili emendatione ita restitui posse arbitror:

Phidiaco signo se Iupiter ornat eburno.

De serioribus autem huius signi, *quod nemo aemulabatur,* fatis cfr. Cedrenum p. 254. D. ed. Venet. contra quem tamen Heynius (priscae artis opera Constantinopoli exst. p. 9.) disputat. Adde Feam ad Winckelm. Stor. T. II. p. 416. 424.

II. *Minerva in Parthenone* (Plin. XXXIV. 8, 19.) quae quo habitu fuerit breviter describit Maximus Tyrius in Dissertatt. XIV. T. I. p. 260. ed. R. *Φειδίας ἐδημιούργησεν Ἀθηνᾶν οὐδὲν τῶν Ὁμήρου ἐπῶν φαυλοτέραν, παρθένον καλήν, γλαυκῶπιν, ὑψηλήν, αἰγίδα ἀνεζωσμένην, κόρυν φέρουσαν, δόρυ ἀνέχουσαν, ἀσπίδα κατέχουσαν* (v. Böttiger Andeutungen p. 88.) Quae verba cur ad hanc statuam neque ad aeneam sub dio collocatam retulerim, causa est in voce *παρθένος*. Plura afferunt Plinius XXXVI. 5. s. 4. et Pausan. I. 24, 5. sq. ubi v. Siebelis. Haec est Minervae statua, cui Philorgus (Isocrat. contra Callim. §. 57. ed. Bekk.) Gorgoneum aureum abstulerat, cuius loco postea eburneum (a Pausania visum) ei datum fuisse Boeckhius Corp. Inscript. T. I. p. 242. recte suspicatus est, refutans Böttigerum, qui in Amalth. T. II. p. 314. a vero paullo aberravit. Optime autem de statua omnino disseruit, et singula quae Phidias ad eam exornandam finxerat explicuit idem Böttigerus Andeutungen p. 86 — 90. De auri, quod in hanc statuam impendebatur, pretio v. Wesseling. ad Diodor. Sic. XII. 40. p. 504, 25. Eam statuam refecit Aristocles minor Ol. XCV. 3. (Boeckh. l. l. p. 237.); et ne ea unquam humore ei necessario careret, utpote quae in

solo sicco collocata esset, ebori aquam adspergebant. (Pausan. V. 11, 5.)

III. *Minerva Elide*; de qua Pausan. VI. 26, 2. ἐν ἀκροπόλει δὲ τῇ Ἠλείων ἐστὶν ἱερὸν Ἀθηνᾶς· ἐλέφαντος δὲ τὸ ἄγαλμα καὶ χρυσοῦ. εἶναι μέντοι Φειδίου φασὶν αὐτήν. πεποίηται δὲ ἀλεκτρύων ἐπὶ τῷ κράνει, ὅτι οὗτοι προχειρότατα ἔχουσιν ἐς μάχας οἱ ἀλεκτρυόνες.

IV. *Minerva Pellenes* in Achaia, Pausan. VII. 27, 1. κατὰ δὲ τὴν ὁδὸν ἐς αὐτὴν τὴν πόλιν ἐστὶν Ἀθηνᾶς, λίθου μὲν ἐπιχωρίου, ναός, ἐλέφαντος δὲ τὸ ἄγαλμα καὶ χρυσοῦ· Φειδίαν δὲ εἶναι τὸν εἰργασμένον φασί, πρότερον ἔτι ἢ ἐν τῇ ἀκροπόλει τε αὐτὸν τῇ Ἀθηναίων, καὶ ἐν Πλαταιαῖς ποιῆσαι τῆς Ἀθηνᾶς τὰ ἀγάλματα.

V. *Venus Urania* Elide ex ebore et auro, altero pede testudinem premens (Pausan. VI. 25, 2.), quam allegoriam explicuit Plutarchus praecepta coniug. p. 142. D. de Iside et Osir. p. 381. E.

VI. *Aesculapius* Epidauri, (ὁ ἐν Ἐπιδαύρῳ Ἀσκληπιός, ἔργον Φειδίου. Athenag. legat. pro Arist. 14. p. 61. ed. Dechair.) quem eundem ebore et auro factum fuisse scimus ex Pausania V. 11, 5. statuam quidem at non auctorem commemoranti.

Convertimus iam ad *aenea* Phidiae opera.

VII. *Minerva e manubiis Marathoniis* facta, in qua exornanda eum Mys adiuvit. Collocata fuit in arce sub dio, neque ut Böttigerus (Andeutungen zur Archaeologie p. 84. Amalthea T. II. p. 314.) statuit (cfr. Boeckh. Corp. Inscc. T. I. p. 242.) in aede Poliadis, et quidem inter Propylaea et Parthenonem, quod notissimus numus apud Stuartium nos docet. (Cfr.

Müller de aede Minervae Poliadis. p. 19.) Hastae cuspis et summa galeae crista a Sunio usque adnavigantibus conspicua fuit. (Pausan. I. 28, 2.) A Demosthene (*παραπρ.* §. 272. ed. Bekk.) dicta est *ἡ μεγάλη Ἀθηνᾶ, ἣν ἀριστεῖον ἡ πόλις τοῦ πρὸς βαρβάρους πολέμου, δόντων τῶν Ἑλλήνων τὰ χρήματα ταῦτ', ἀνέθηκεν.* Utri vero Minervae, eburneaene an aeneae noctua addita fuerit, non liquet, quum et ipse Böttigerus fluctuet. (Andeutungen l. l. Amalthea T. III. p. 266.) Anno p. Ch. n. 395. eam vidit Alaricius; v. Böttiger.

VIII. „*Minerva tam eximiae pulchritudinis, ut formae cognomen acceperit,*" Plin. XXXIV. 8. s. 19. Haec quoque in arce collocata fuit, ut ex Pausaniae verbis (I. 28, 2.) scimus: *τῶν ἔργων τῶν Φειδίου θέας μάλιστα ἄξιον, Ἀθηνᾶς ἄγαλμα, ἀπὸ τῶν ἀναθέντων καλουμένης Λημνίας.* Lucianus (Imagg. 4. T. II. p. 462.) eam omnibus reliquis Phidiae operibus praetulit, laudans potissimum *τὴν τοῦ παντὸς προσώπου περιγραφήν, καὶ παρειῶν τὸ ἁπαλόν, καὶ ῥῖνα σύμμητρον.*

IX. *Cliduchus*, i. e. Clavigera, memorata a solo Plinio l. l. de qua Boeckhius Corp. Inscc. T. I. p. 235. caute dubitat, an Minerva fuerit atque an Athenis posita. Minervae tamen illud signum fuisse, hinc coniici posse puto, quod Plinius statim subiicit *et aliam Minervam.*

X. *Minerva*, „*quam Romae Paulus Aemilius* (ita Voss. Reg. I. cfr. Gronov. ad 33, 11.) *ad aedem Fortunae huiusce* (ita in Pint. Reg. I. Voss. qui tamen *huiuscemodiei* habet) *die* (ita codd. pro *dici;* v. Zumpt.

Gr. Lat. p. 72. sq.) *dicavit,"* (Plin. l. l.) Romam igitur translata fuit post annum 168. ante Ch. n.

XI. *Amazo,* qua statua cum aliis artificibus certasse Phidiam refert Plinius l. l. in qua narratione vera falsis mixta sunt. Lucianus l. l. eius *στόματος ἁρμογὴν καὶ τὸν αὐχένα* praedicat.

XII. XIII. *„item duo signa, quae Catulus in eadem aede (Fortunae) posuit, palliata,"* Plin. Pro *item,* quod omnes nostri codd. recte defendunt, Harduinus et Brotierius miro errore, fortasse tantum typographico, *ideo* habent, unde *Fred. Christ. Petersen in observatt. in Plinii hist. natur. XXXIV.* 19, 1. *Hauniae* 1824. *editis* quaedam plane singularia commentus est, in quibus refellendis longius exspatiari non est huius loci. Unum memorare placet, quod V. D. p. 10. verba Plinii *alterum colossicon nudum* de Amazone supra memorata intelligit.

XIV. *„alterum colossicon nudum"* (sc. signum fecit Phidias) Plin. Mirum est Plinium nihil de deo vel heroe dixisse, quem Phidias fingere voluerat.

XV. *Apollo aeneus* in arce Athenis positus, Pausan. I. 24, 8. *τοῦ ναοῦ* (Παρθενῶνος!) *ἐστι πέραν* Ἀπόλλων *χαλκοῦς, καὶ τὸ ἄγαλμα λέγουσι Φειδίαν ποιῆσαι·* Παρνόπιον *δὲ καλοῦσιν, ὅτι σφίσι παρνόπων βλαπτόντων τὴν γῆν ἀποτρέψειν ὁ θεὸς εἶπεν ἐκ τῆς χώρας.*

XVI — XXVIII. Tredecim statuae aeneae ab Atheniensibus e manubiis Marathoniis Delphis dedicatae. Fuerunt: *Minerva, Apollo, Miltiades, Erechtheus, Cecrops, Pandio, Celeus, Antiochus, Aegeus,*

Acamas, Codrus, Theseus, Phyleus. (Pausan. X. 30, 1. *τοὺς μὲν δὴ κατειλεγμένους Φειδίας ἐποίησε.*)

Transeamus nunc ad *marmorea* Phidiae opera:

XXIX. *Venus Urania* Pario marmore facta, quae Athenis non procul a Ceramico in suo templo stetit. (Pausan. I. 24, 8.)

XXX. *Venus* altera eximiae pulchritudinis Romae in Octaviae operibus. (Plin. XXXVI. 5. s. 4.)

XXXI. *Mercurius* in Ismenio prope Thebas. (Pausan. IX. 10, 2.) His iam operibus enumeratis memoranda restant nonnulla alia, quorum quodque singularem quodammodo classem constituit, unde ea quasi appendicis loco recensere placet.

XXXII. *Minerva Area* Plataeis e manubiis Marathonicis, *ξόανον ἐπίχρυσον, πρόσωπον δὲ οἱ καὶ χεῖρες ἄκραι καὶ πόδες λίθου τοῦ Πεντελησίου εἰσί· μέγεθος μὲν οὐ πολὺ δή τι ἀποδέει τῆς ἐν ἀκροπόλει χαλκῆς, ἣν καὶ αὐτὴν Ἀθηναῖοι τοῦ Μαραθῶνι ἀπαρχὴν ἀγῶνος ἀνέθηκαν. Φειδίας δὲ καὶ Πλαταιεῦσιν ἦν ὁ τῆς Ἀθηνᾶς τὸ ἄγαλμα ποιήσας.* Pausan. IX. 4, 1.

XXXIII. *Mater Deorum* Athenis in Metroo prope Ceramicum (Pausan. I. 3, 4.), Cymbalum manu tenuit, leonibus sub soleo cui insidebat stratis (Arrian. Peripl. Ponti Euxin. p. 9.) Qua materia in ea facienda Phidias usus fuerit, non constat.

XXXIV. *Solium aureum* aeneae Minervae Hygiae, quam quoque Pausan. I. 23, 5. memorat, in arce a Pericle dedicatae. (Plutarch. Pericl. 13. Adde infra s. v. *Stipax.*)

XXXV. Caelatorem etiam Phidiam fuisse tam e Martiali (III. 35.) quam e Iuliani epist. 8. p. 377. A. ed. Spanh. colligi potest, ubi haec leguntur: Φειδίας ὁ σοφὸς οὐκ ἐκ τοῦ Ὀλυμπιάσι μόνον ἢ Ἀθήνησιν εἰκόνος ἐγνωρίζετο, ἀλλ' ἤδη καὶ μικρῷ γλύμματι μεγάλης τέχνης ἔργον ἐγκλείσας· οἷον δὴ τὸν τέττιγά φασιν αὐτοῦ, καὶ τὴν μέλιτταν, εἰ δὲ βούλει καὶ τὴν μυῖαν εἶναι· ὧν ἕκαστον εἰ καὶ τῇ φύσει κεχάλκωται, τῇ τέχνῃ ἐμψύχωται.

XXXVI. *Picturae in Olympio* sive templo Iovis Olympici Athenis. (Plin. XXXV. 8. s. 34. v. supra.)

XXXVII. Phidiae opus spectabatur Romae in foro Pacis, prodente auctorem suum ipsa statuae inscriptione; (Procop. Bel. Goth. IV. 22.) et aliud, ut quidem dicebant, Aradi in Phoenicia (Clement. Homil. XII. §. 12.)

Tributae autem male ei sunt *Nemesis* Agoracriti (v. s. h. v.) et *Occasio* ab Ausonio Epigr. 12. quod signum vere Lysippi fuit (v. s. h. v. nr. XIII. et Welckerum ad Callistr. p. 699.) et erraret qui ex Athenaeo XIII. p. 585. F. coniiceret, Phidiam et *Cupidinem* fecisse. Pataris vero in Lycia fuerunt statuae Iovis et Apollinis quae utrum a Phidia an Bryaxide factae fuisseint dubitabatur. (Clem. Alexandr. Protrept. p. 30. C.) De Tzetzae (Chil. VIII. 33.) et Cedreni (p. 255. D. ed. Venet.) commentis tacere praestat.

Praeter haec opera varia Phidias etiam πάντα διεῖπε καὶ πάντων ἐπισκόπος ἦν Περικλεῖ, καίτοι μεγάλους ἀρχιτέκτονας ἐχόντων καὶ τεχνίτας τῶν ἔργων. (Plutarch. Pericl. 13.)

De signo colossico Romae erecto et Phidiae nomen gerente v. I. M. Wagnerum in Diario Germanico matutino 1824. Kunstblatt nr. 93. 94. 96—98.

Discipuli ei fuerunt *Agoracritus*, *Alcamenes* et *Colotes* (v. supra.)

II. *Phidias* sculptor incertae aetatis et patriae, Phidiae filius, qui cum *Ammonio* simiam magnam sedentem in museo Capitolino fecit. (Winckelm. Opp. T. V. p. 275. sq. et p. 600. T. VII. p. 248.)

PHILAEUS.

Hunc virum commemorandum esse duxi ut patrem Rhoeci Samii (quem vide), quamquam nemo scriptorum dixit, Philaeum quoque artificem fuisse. Quodsi vero consideres, illo quidem tempore artem fere hereditariam fuisse, Philaei nomen hic produci potuisse concedes.

PHILEMO.

Scalptor gemmarum ap. Bracci Vol. II. nr. 94. 95. cfr. Emmanuel Martini Epist. X. Vol. II. p. 128.

PHILEUS.

Architectus incertae aetatis et patriae scripsit librum de fano Minervae Ionico, quod fuit Prienae. Vitruv. VII. Praef. §. 12.

PHILESIAS.

Statuarius Eretriensis incertae aetatis, qui duos boves aheneos, Corcyraeis alterum, alterum suis civibus, Olympiae dedicatos fecit. Pausan. V. 27, 6.

PHILISCUS.

I. Pictor, *qui pinxit officinam pictoris, ignem conflante puero.* Plin. XXXV. 11. s. 40. Nihil praeterea de eo constat.

II. Sculptor Rhodius incerti aevi, cuius duae statuae, Apollo et Venus, in Octaviae operibus collocatae a Plinio (XXXVI. 5. s. 4.) memorantur.

PHILO.

I. Statuarius qui Alexandri M. tempore vixit. Fecit enim Hephaestionis statuam (Tatiani orat. adv. Gr. 55. p. 121. ed. Worth.) et a Plinio (XXXIV. 8. s. 19.) iis accensetur, qui athletas, armatos, venatores sacrificantesque fecerint. Vix vero dubium esse potest, quin idem artifex memoretur in inscriptione notissima, quam post Whelerum (itinerar. p. 209.) et Sponium (Miscell. erud. antiq. p. 332.) edidere Chishull antiquitt. Asiat. p 59—64. et append. p. 4. sq. et Iacobsius in Anthol. Gr. Vol. III. P. I. p. 192.

Οὔριον ἐκ πρύμνης τις ὁδηγητῆρα καλείτω
Ζῆνα, κατὰ προτόνων ἱστίον ἐκπετάσας.
εἴτ' ἐπὶ Κυανέας δίνας δρόμος, ἔνθα Ποσείδων
καμπύλον εἱλίσσει κῦμα παρὰ ψαμάθοις·
εἴτα κατ' Αἰγαίην πόντου πλάκα νόστον ἐρευνᾷ
νείσθω, τῷδε βαλὼν ψαιστὰ παρὰ ξοάνῳ·
ὧδε τὸν εὐάντητον ἀεὶ θεὸν Ἀντιπάτρου παῖς
στῆσε Φίλων ἀγαθῆς σύμβολον εὐπλοΐης.

Hoc signum Iovis Urii, quod *in Ponti ore et angustiis* fuit, usque ad Ciceronis aetatem, qui artificis nomine non addito eam memoravit (Verr. IV. 58. §. 129. 130.)

integrum inviolatumque servatum est. Plura addiderunt Chishull. l. l. Heyne antiqq. Byz. p. 51. et Osannus in commentat. epigraphica in Friedemanni et Seebodii miscellaneis max. part. crit. Vol. I. P. II. p. 293—304. coll. Levezow in commentatione: Iupiter Imperator (Berol. 1826. p. 14.)

II. Architectus qui armamentario mille navium Athenis admirabiliter fabricato (Plin. VII. 37. s. 38.) nobilitatus est. Adde de hoc opere Ciceron. Orat. I. 14. Strabon. IX. p. 395. D. Valer. Max. VIII. 12. ext. 2. Combustum est quum Sulla Athenas caperet. (Plutarch. Sulla 14.) Eius libros memorat Vitruv. VII. Praef. §. 12. *Philo scripsit de aedium sacrarum symmetriis et de armamentario, quod fecerat Piraei in portu.* Nihil quidem de tempore, quo floruerit, compertum est; sed Philonis cuiusdam Byzantii, qui medio ante Ch. n. seculo secundo vixit, duo etiamnum libri architectonici exstant, unde coniectura facile oriri potest, Philonem Byzantium Athenis opera fecisse.

PHILOCHARES.

Pictor, memoratus ab uno Plinio (XXXV. 4. s. 10.), qui eius tabulam ab Augusto in Curia, quam in Comitio consecrarat, positam fuisse tradit. *Eius admiratio fuit, puberem filium seni patrem similem esse, salva aetatis differentia, supervolante aquila draconem complexa. Philochares hoc suum opus esse testatus est.* Non sine magna probabilitatis specie Hemsterhusius in anecdotis (Vol. I. p 14.) eum ab Aeschinis fratre haud diversum esse statuit, quem De-

mosthenes quidem (Falsa legat. p. 329. E. §. 237. Bekk.) ἀλαβαστοθήκας καὶ τύμπανα pinxisse narrat. Ulpianus autem ad Demosth. p. 386. C. praestantissimis pictoribus aequiparare eum haud dubitat, ut Demosthenes illa rhetorice magis quam vere dixerit. His quidem probatis Philochares *Atheniensis* Olympiadis CIX. anno 2. etiamtum superstes fuit, quo anno illa Oratio περὶ παραπρεσβείας habita est.

PHILOCLES.

Pictor Aegyptius, a quo vel Cleanthe Corinthio linearum picturam inventam fuisse dicebant. (Plin. XXXV. 3. s. 5.)

PHILOMACHUS.

Sculptor a Suida s. v. Προυσίας memoratus, qui Aesculapii simulacrum accurate fabricavit. Eius nomen a nonnullis V. V. D. D. Plinio quoque intrusum est, de qua tamen re v. s. v. *Mydo* et *Pyromachus*.

PHILOSTRATUS.

Legitur in gemma, cui equus inscalptus est (Spilsbury Gem's nr. 31.) nomen *C. Fufius Philostratus*, quod utrum artificem an possessorem indicet, non constat.

PHILOTIMUS.

Statuarius in insula Aegina natus, cuius aevum incertum est. Unus eum memorat Pausanias (VI. 14, 5.) loco tamen adeo ambiguo, ut nihil ex eo colligi queat. Recte igitur Müllerus Aegin. p. 107.

et Siebelisius rem in medio reliquerunt. Quodsi tamen eum Pantiae aequalem esse volueris, in Olymp. XCVI. fere ponendus est.

PHILOXENUS.

Pictor Eretrius, Nicomachi discipulus, qui circa Ol. CV. rege Philippo floruit (v. supra.) Hinc Philoxeni aetas fere in Ol. CXIII. inciderit necesse est, unde aequalis Apellis habendus Attamen vitam usque ad Ol. CXVI. extendisse videtur, quum Plinius eum Cassandro *regi* picturam fecisse dicat, qui regnum Macedonicum illius Olympiadis anno secundo adeptus est (Clinton fasti Hellen p. 150. 214.), nisi quidem vocem *regi* hoc loco non adeo urgendam esse statuas. Plinius igitur (XXXV. 10, 36.) haec de eo habet: *Philoxeni tabula nullis postferenda, Cassandro regi picta*, *continuit Alexandri proelium cum Dario. Idem pinxit et lasciviam, in qua tres Sileni comessantur. Hic celeritatem praeceptoris (Nicomachi) secutus, breviores etiamnum quasdam picturas compendiarias invenit.*

PHITEUS.

Architectus qui de Mausoleo a se Satyroque facto librum scripsit. Vitruv. VII. Praef. §. 12.

PHOCAS.

Scalptor gemmae apud Raspium 8001.

PHOCIO.

Scalptor gemmarum, ut videtur. Cfr. Winckelm. Opp. T. VI. P. I. p. 110.

PHOENIX.

Statuarius incertae patriae, discipulus Lysippi, unde fere in Ol. CXX. collocandus est, Epithersen fecit (Plin. XXXIV. 8. s. 19.) de quo nobili pugile v. Pausan. VI. 15, 3.

PHRADMO.

Statuarius Argivus, qui ut nunc quidem res se habet, Ol. LXXXVII. floruit. Plinius enim XXXIV. 8. s. 19. eum inter hos artifices memorat, qui illa Olympiade vixerunt, ubi tamen permirum est, eius et Polycleti nomen ab omnibus meis codd. excepto Reg. III. abesse, in quo *Phrammo* legitur. Facile quis hinc coniecerit, nomen artificis hoc quidem loco spurium esse, quod vero utique defendendum videtur. Nam quum Plinius statim verba subiiciat *ex his Polycletus discipulos habuit,* inde apparet, Polycletum iam semel a scriptore commemoratum fuisse, et quum nullus alius locus exstet, ubi hoc factum fuerit, sequitur, *Polycleti* et inde etiam *Phradmonis* illi adhaerentis nomen a plerisque codd. incuria tantum librariorum evanuisse, ita ut celebrior artifex alium minus celebrem secum trahat. Fortasse etiam illam aetatem Columella (X. 30 sqq.) confirmat, qui eum Polycleto et Ageladae adiungit. Obiter moneo, Meyerum Hist. art. T. I. p. 82. ex hoc Columellae loco permira quaedam collegisse. Fuit vero Argivus (Pausan. VI. 8, 1.) eiusque tria tantum opera memorantur, unum statua Amertae Olympionicae (Pausan. l. l.), alterum Amazonis simulacrum a Plinio l. l. dictum, ubi omnes

codd. scripturam *Phradmon* confirmant, spreta illa altera *Phragmon*, quae in veteribus Plinii edd. regnat; tertium duodecim vaccae Minervae consecratae, notum illud ex Theodoridae epigrammate, quod primus edidit Lucas Holstenius ad Steph. Byz. s. v. Ἴτων (Anthol. Palat. IX. 743.)

Θέσσαλαι αἱ βόες αἵδε· παρὰ προθύροισι δ' Ἀθανᾶς
Ἑστᾶσιν καλὸν δῶρον Ἰτωνιάδος.
Πᾶσαι χάλκειαι δυοκαίδεκα, Φράδμονος ἔργον,
Καὶ πᾶσαι γυμνῶν σκῦλον ἀπ' Ἰλλυρίων.

PHRYGILLUS.

Scalptor gemmae descriptae a Winckelmanno Opp. T. V. p. 256. Adde Lessingii epistolae antiquar. T. I. p. 145. sq. (Berol. 1778.)

PHRYLLUS.

Pictor incertae patriae, qui cum Aglaophonte II. Cephisodoro et Euenore patre Parrhasii Olympiadi XC. a Plinio XXXV. 10. s. 36. vindicatur; omnes quidem istos artifices iam illustres dicit, non tamen in quibus haerere expositio debeat.

PHRYNO.

Statuarius incertae patriae cuius tantum praeceptor Polycletus, et hinc aetas circa Ol. XCIII. nota est. (Plinius XXXIV. 8. s. 19.) Veram scripturam, de qua v. Thierschium de Epoch. art. Gr. III. Adnot. p. 80. tuetur Reg. I.

PHYLOMACHUS.

Statuarius vel sculptor incertae aetatis et patriae, unice notus ex epigrammate Apollonidae (Append. Anth. Palat. T. II. p. 698.):

Ἄνθετ' Ἀναξαγόρης με τὸν οὐκ ἐπὶ ποσσὶ Πρίηπον,
ἐν χθονὶ δ' ἀμφοτέρῳ γούνατι κεκλιμένον.
Τεῦξε δὲ Φυλόμαχος· χαρίτων δέ μοι ἀγχόθι καλὴν
ἀθρήσας, δίζευ μηκέτι πῶς ἔπεσον.

Antea scribebatur Φυρόμαχος; v. Diodor. Excerpt. XXXI. p. 588.

PICTOR.

De eo vide inprimis Plinium XXXV. 4. s. 7. *Apud Romanos honos mature huic arti (picturae) contigit. Siquidem cognomina ex ea Pictorum traxerunt Fabii clarissimae gentis, princepsque eius, cognominis ipse, aedem Salutis pinxit anno urbis conditae CCCCL. quae pictura duravit ad nostram memoriam, aede Claudii principatu exusta.* Ingentem igitur errorem commisit Winckelmannus Opp. T. V. p. 300. cum hunc Pictorem post cladem Cannensem ad oraculum Delphicum missum diceret, quod potius de nepote nostri Pictoris valet. Praeeunte Ger. Io. Vossio de histor. Lat. I. 3. omnem rem breviter iam confecerat Harduinus ad Plinii l. l.

PIGMO.

Scalptor gemmae in museo Florentino; v. Clarac description des antiques du Musée Royal p. 421.

PINUS.

Cornelius Pinus, pictor Romanus imperatore Vespasiano vixit, eique Honoris et Virtutis aedes restituenti una cum Attio Prisco illas pinxit. Plinius XXXV. 10. s. 37.

PISIAS.

Statuarius incertae patriae et aetatis, qui in Metroo Athenis Apollinem fecit. (Pausan. I. 3, 4. coll. Thiersch. Epoch. II. Adnot. p. 32. sq.)

PISO.

Statuarius natus Calaureae Trözeniorum, discipulus Amphionis circa Ol. XCIV. floruit, quod cum e loco Pausaniae VI. 3, 2. (v. s. v. *Critias*, *Democritus*, *Amphio*) tum ex alio eiusdem scriptoris loco (X. 9, 2.) colligi potest, ubi statua Abantis vatis ab illo facta memoratur, qui Lysandro pugnam ad Aegospotamos (Ol. XCIII. 4.) commissuro vaticinatus fuerat. Fuit vero illa statua pars magni donarii, quod Lacedaemonii propter victoriam a se reportatam dedicarunt.

PISTO.

Statuarius incertae patriae, qui circa Ol. CXXVI. et certe non ante eam vixit; nam *imposuit Tisicratis bigae mulierem, idemque fecit Martem et Mercurium, qui sunt in Concordiae templo Romae.* (Plin. XXXIV. 8. s. 19.) V. s. v. *Tisicrates.*

PLAUTIUS.

Caelator Romanus incertae aetatis, qui nomen suum

vasi a se confecto inscripsit: *Novios. Plautios. Med. Romai. Fecid.* Cfr. Winckelm. Opp. T. V. p. 290. sqq.

PLISTAENETUS.

Pictor Atheniensis, frater Phidiae; v. Plutarch. de gloria Athen. (T. VII. p. 363. ed. R.)

PLOCAMUS.

Sculptor incertae patriae atque aetatis; v. Montfaucon antiquité expliquée Vol. II. p. 11.

POLEMO.

Pictor Alexandrinus, quem Plinius (XXXV. 11. s. 40.) inter pictores non ignobiles refert. Tempus, quo floruerit, incertum.

POLIS.

Statuarius quem Plinius (XXXIV. 8. s. 19.) iis accenset, qui optime athletas, armatos, venatores, sacrificantesque fecerint.

POLLIO.

Scalptor gemmae, memoratus a Bracci praef. ad Commentar. T. II. p. 6.

POLLIS.

Architectus qui conscripsit praecepta symmetriarum. Vitruv. VII. Praef. §. 14.

POLYCHARMUS.

Sculptor incertae aetatis et patriae, qui fecit *Venerem lavantem sese, Daedalum stantem.* Ita quidem

vulgo apud Plinium XXXVI. 5. s. 4. exstat, mira ut neminem latebit lectione. Nemo enim Daedalum stantem a Polycharmo fictum facile concoquet, et medelam huius loci ex uno Reg. I. (reliqui enim libri Pariss. cum editt. consentiunt) petendam esse arbitror, in quo haec leguntur: *Venerem lavantem sese de dalsa stantem.* Quae verba quum primo obtutu plane nullum sensum fundere videantur, scriptorem ita reliquisse suspicor: *Venerem lavantem se, sed et aliam stantem Polycharmus* (*fecit.*) Ut verba eo melius intelligantur, et quid inter Venerem se lavantem et stantem intersit, perspiciatur, recordandum multorum signorum huius Deae, quae lavantis speciem habent; et notatu dignum est, Summum Viscontium in Catalogo operum artis antiquae in museo Regis Galliarum asservatorum ad explicandam talem statuam Veneris (quae tunc locum 344. cepit, nunc in Claracii catalogo 698 obtinet,) haec monuisse: „*Polycharme, sculpteur grec, est connu pour avoir fait une Venus au bain. On la voyait à Rome du temps de Pline. La conformité du sujet traité dans cette figure pourrait faire conjecturer que c'est une répétition antique de cet original.*" Videre quoque memini aliam huius generis statuam Veneris e marmore Pario multo infra humanam magnitudinem factae in aedibus Schweighaeuseri minoris Argentoratensis, qui Vir Doctissimus cuius benevolentiam non semel tantum expertus sum, huius signi et Mercurii aenei affabre facti descriptionem cum hominibus harum rerum studiosis communicare non diutius dedignetur.

POLYCLES.

I. II. Duo apud Plinium (XXXIV. 8. s. 19.) statuarii memorantur, quorum alter Ol. CII. alter CLV. vixit. De utro eorum verba Pausaniae (VI. 4, 3. *πλάστης δὲ ἄλλος τῶν Ἀττικῶν Πολυκλῆς, Στadιέως μαθητὴς Ἀθηναίου, πεποίηκε παῖδα Ἐφέσιον παγκρατιαστήν, Ἀμύνταν Ἑλλανίκου*) intelligenda sint, certo quidem nemo pronunciarit. Coniecturam tamen in Amalthea Vol. III. p. 289 — 293. quo omnino lectores remitto, proposui, artificem qui a Plinio post alterum Polyclem statim memoratur, *Athenaeum*, per errorem tantum huc venisse; *Athenaeus* enim hoc loco idem esse quod *Atheniensis*, additum quidem a scriptore, unde Plinius sua hauserit, ut hoc gentilitio epitheto *minor* Polycles a *maiore* discerneretur, male autem intellectum a Plinio. Hinc igitur verba Pausaniae ad minorem huius nominis artificem referenda sint. Quae porro de operibus utriusque Polyclis scimus, sunt haec: *Polycles* (ex aere) *Hermaphroditum nobilem fecit* (Plinius XXXIV. 8. s. 19.) idem Amyntam (Paus. l. l.) Iuno vero eius marmorea in Octaviae operibus Romae spectabatur (Plinius XXXVI. 5. s. 4.) et Varro ap. Nonium s. v. *ducere* (si quidem Lipsii coniectura certa est, cfr. Osannus in Amalthea Vol. I. p. 348.) aheneas eius Musas memorat. Utri haec omnia tribuenda sint, non constat, neque magis, utrius filii a Pausania (VI. 12, 3. X. 34, 4.) laudentur, qui ne nomina quidem addidit.

III. Pictor Adramytenus a Vitruvio III. Praef. §. 2. memoratus inter eos, *quos neque industria neque ar-*

tis studium neque solertia defecit, sed aut rei familiaris exiguitas aut imbecillitas fortunae seu in ambitione certationis contrariorum superatio obstitit eorum dignitati.

POLYCLETUS.

Nomen huius artificis miras difficultates movit, quae maxime inde oriuntur, quod duo huius nominis artifices, uterque Argivus, tempore fere eodem vixerunt. De iis potissimum egit Thierschius Epoch. Art. Gr. II. Adnot. p. 62. et III. Adnot. p. 81. a quo tamen viro ingeniosissimo in nonnullis discedendum mihi video. Fundus omnis huius quaestionis in verbis Pausaniae VI. 6, 1. iacet: Πολύκλειτος δὲ Ἀργεῖος, οὐχ ὁ τῆς Ἥρας τὸ ἄγαλμα ποιήσας, μαθητὴς δὲ Ναυκύδους, παλαιστὴν παῖδα εἰργάσατο Θηβαῖον Ἀγήνορα. Discernit igitur nostro loco Pausanias duos Polycletos utrumque Argivum; quodsi enim alteri diversa patria fuisset, hoc addere satis erat, neque ad praeceptorem Naucydem confugere eum oportebat. Naucydes vero Ol. XCV. floruit, eiusque frater et discipulus Polycletus fuit, (Pausan. II. 22, 8. v. s. v. *Naucydes*) qui ergo maxime centesima Olympiade artem exercuerit necesse est. Hicce Polycletus minor tripodem adstante Venere Amyclaea Lacedaemoniis ex manubiis victoriae ad Aegospotamos reportatae fecit (Pausan. III. 18, 5.); et aptissimum hunc esse puto locum, quo de verbis Pausaniae VIII. 31, 2. dicere possim. Memorat enim ibi Pausanias inter alias statuas, quae Megalopoli fuerunt, et simulacrum Iovis Philii, quem opus Polycleti Argivi dicit. Ista urbs

Ol. CII. 2. condita est, unde igitur sequeretur, Polycletum minorem vitam usque ad Ol. fere CIII. extendisse, quae cum Ol. XCIV. qua tripodem illum fecit, comparata, nihil habet, quod nos offendere possit. Sed cauti certe in sententia nostra de hac re ferenda esse debemus, quum facile fieri potuerit, ut haec quoque statua, sicut aliae (VIII. 30. 2. 31, 3. etc.) a civibus aliorum oppidorum, qui Megalopolin commigraverant, huc secum deductae, antea in alia urbe esset, unde Ol. CII. Megalopolin est translata. His iam missis certo saltem scimus, Polycletum minorem Naucydis fratrem et discipulum paullo ante Ol. C. floruisse. Et ab hoc quidem Pausanias loco supra laudato eum diligenter discernit, qui Iunonem Argivam fecit, a Parmenione etiam in Anthol. Palat. II. 691. Argivus dictus. Hic vero post Ol. LXXXIX. 2. vixit, quo quidem anno vetus templum Iunonis Argivae socordia Chrysidis deflagrasse scimus. Thucyd. IV. 133. coll. Clinton fasti Hellen. p. 64. Ad hunc Polycletum Argivum spectant verba Pausaniae VI. 13, 4. Βύκελος — ἐστὶν ἔργον Σικυωνίου Κανάχου παρὰ τῷ Ἀργείῳ Πολυκλείτῳ διδαχθέντος. Canachus minor, nam de hoc tantum sermo esse potest, a Plinio in Olympiade XCV. ponitur, unde egregie aevum, quo Polycletum maiorem floruisse ex statua in Heraeo ab eo posita scimus, comprobatur. Iam vero ad Polycletum Sicyonium apud Plinium XXXIV. 8. s. 19. transeundum est, quem Thierschius l. l. ab Argivo discernit, ita ut duo Argivi et unus Sicyonius huius nominis artifices ipsi numerentur. Sed primum permi-

rum est, a Plinio omnia Polycleti opera Sicyonio, a Pausania vero Argivo tribui, et neutrum scriptorem neutrius Polycleti mentionem facere, ita ut iam inde cum plerisque viris doctis colligere possimus, eundem artificem, ab alio scriptore alia patria ipsi tributa innui. Permirum quoque esset, si *Sicyonius*, qui egregia opera fecit, a Plinio tantum laudaretur, ab aliis vero scriptoribus silentio praeteriretur; altera vero ex parte nemo facile credat, artificem qui iussu alicuius civitatis simulacrum aedi destinatum fecerit, nullis aliis operibus celebratum fuisse, ut saltem omnia, quae certo alteri Polycletorum tribuuntur, Sicyonii a Plinio tantum laudati esse possint. Artifex cui tale quid mandatur, multis iam antea factis operibus nobilitatus fuerit necesse est, neque etiam verosimile est eum prima iuventa sed provectioribus iam annis opus suscepisse. Fortasse etiam huc trahi possunt verba Plinii: *Polycletus iudicatur toreuticen sic erudisse, ut Phidias aperuisse,* licet iis minus tribuam, quam ipse Thierschius, cum constet, *toreutices* significationem a Plinio latissime sumi. (V. Schneider Lex. Gr. s. v. *τορεύω.*) Ad haec quidem verba Thierschius locum Strabonis infra a nobis laudandum apte admovit. Tempus autem, quod Thierschius summum suae sententiae argumentum esse putat, minime impedit, quo minus Sicyonius qui Ageladae discipulus fuit, etiam Iunonis imaginem facere potuerit. Quodsi enim Ageladae, quem Olympiade etiam LXXVIII. vixisse supra vidimus, scholam Polycletus iuvenis viginti annorum frequentavit, nonagesima Olympiade, qua Iuno-

nem fecit, septuaginta fere annos natus fuit, et Plinius recte eum Ol. LXXXVII. potissimum floruisse dixit. Ubi vero Polycletus natus fuerit, coniectura tantum assequi possumus; et puto quidem eum parentibus Sicyoniis Sicyone editum, sed ab Argivis in suam civitatem receptum fuisse, qui honor iis fere tribui solebat, qui de civitate aliqua bene meruerant. (Vide supra *Apelles* et alibi.) Quod si neges, sumere quoque possis, Polycletum, qui fama Ageladae ductus adolescens Argos migraverat, ibi mansisse, et ab altera quasi patria, ubi et eruditus et celebratus est, civitate donatum fuisse (cfr. Pausan. VI. 4, 7.), unde se in titulis operum non Sicyonium sed Argivum dixerit. Iam de huius operibus Plinium audiamus:

Polycletus Sicyonius Ageladae discipulus Diadumenum [1]) *fecit molliter iuvenem, centum talentis nobilitatum: idem et Doryphorum viriliter puerum fecit,* [2]) *et quem canona artifices vocant, lineamenta artis ex eo petentes, velut a lege quadam: solusque hominum*

---

1) de *Diadumeno* cfr. quoque Luciani Philopseud. τὸν διαδούμενον τὴν κεφαλὴν τῇ ταινίᾳ, τὸν καλόν, ἔργον Πολυκλείτου. — 2.) ita e cod. Reg. I. scripsi, v. Amalthea Vol. III. p. 297. Suspicio autem Hirtii et Meyeri, Doryphorum a Canone non diversum fuisse, comprobatur a Cicerone Brut. 86. §. 296. *Polycleti Doryphorum sibi Lysippus magistrum fuisse aiebat,* et Orat. 2. §. 5. *nec simulacro Iovis Olympii, aut Doryphori statua deterriti* etc. unde magna auctoritas, qua haec statua usa fuerit, elucet. Adde Lucian. de Saltat. 75. p. 308. T. II. ed. Wetst. Galenum περὶ σπέρματος II. p. 606. T. IV. Kühn. περὶ

artem ipse [3]) *fecisse artis opere iudicatur. Fecit et destringentem se* [4]) *et nudum talo incessentem* [5]) *duosque pueros item nudos talis* [6]) *ludentes, qui vocantur astragalizontes, et sunt in Titi imperatoris atrio, quo opere nullum absolutius plerique iudicant. Item Mercurium, qui fuit Lysimachiae, Herculem qui Romae agetera arma sumentem,* [7]) *Artemona qui peri-*

κράσεων I. 9. T. I. p. 566. — 3) Istud quidem pronomen quemque offendere debet; sed vereor ne Langius (ad Lanzii libell. de sculpt. p. 45.) multorum plausum laturus sit, suspicans, ambiguam dictionem ex graeco auctore, quem non recte expresserit Plinius, fluxisse. Mihi potius pronomen leviter corruptum esse videtur, et restituendum hoc: *artem ipsam effecisse*, quae verba ita fere scripta fuerunt *ipsēffecisse.* — 4) *se* addidi ex omnibus meis codd. Abest ab editt. Hard. Brot. — 5) mire explicuit haec verba Gesnerus in Chrestom. Plin. de eo qui alterum pede trudit, talum cum calce confundens; melius Harduinus: „provocantem ad ludum.“ — 6) *nudos talis*, ita Reg. I. Vulgo: *talis nudos.* — 7) Accedo ad locum qui hucusque crux criticorum vere dici potuit. Et in editt. quidem Hard. Brot. assentientibus cum aliis tum Heynio (artis opera ex epigr. illustr. p. 86.) legitur, *Herculem qui Romae: alexetera arma sumentem*, ut sit „adiutor, defensor, propulsator iniuriae, cuius conatus in armis capiendis exprimitur.“ Neque vero video, quomodo statua, aliis non additis, haec omnia quae Harduinus voluit, exprimere possit. Denique correctio nimis a codd. vestigiis recedit. Codd. enim interpolati (Men. Gud. Reg. II. Dufresn. I. Colb.) habent: *Romae a terra sustinentem*, Acad. *Romae acerram sustinentem*, Reg. I. *Romae* a terra (haec verba a secunda manu priori inscripta) *arma sumentem*, cod. Pint. *qui Ro-*

phoretos appellatus est. [8]) *Hic consummasse hanc scientiam iudicatur, et toreuticen sic erudisse, ut Phidias aperuisse. Proprium eius est,* [9]) *ut uno crure insisterent signa, excogitasse: quadrata tamen ea esse tradit Varro, et paene ad unum exemplum.* [10])

---

mae ha cetera arma sumentem, quod parum abest a Voss. *qui Romae agetera arma sumentem.* Et miror quidem Pintianum ex suo libro restituere potuisse: *Romae in excetram arma sumentem,* I. Fr. Gronovium vero: *qui Romae ab Otrera arma sumentem,* respicientem ad abstrusum aliquem mythum (Hygin. fab. 20.) cum *agetera* nulla sit ratione sollicitandum. Hercules enim ἀγήτηρ hic dicitur, ut Mercurius ap. Pausan. VIII. 31. 4. et Plinius ex Graeco auctore nomen addidit, sub quo haec statua nota fuit. Verba vero eadem ratione se excipiunt, qua infra XXXV. 10. s. 36. *Herculem qui est Lindi talem a se pictum.* Ceterum memoratu vix digna est foeda interpolatio nonnullarum editionum *Romae Antaeum a terra sustinentem,* unde et duas statuas nullius pretii Polycleto tribuere voluerunt (v. Winckelm. Opp. T. III. Praef. p. VII.) — 8) v. Plutarchi Periclem 27. Cogitandum vero puto de Artemone ab Anacreonte commemorato, contra plerosque V. V. D. D. Ceterum haecce statua, sine dubio cubantis et reclinati specie facta, refutat sententiam aliquam Osanni in Amalthea T. I. p. 347. sq. — 9) *eius est,* sic scripsi e cod. Reg. I. Vulgo *eiusdem.* — 10) Sic in editt. haec verba leguntur, atque certatim ea explicuerunt Böttigerus in Andeut. p. 120. Meyerus ad Winckelm. T. V. p. 554. et hist. art. Gr. T. I. p. 71. Schornius de studd. artiff. Graecc. p. 300. Thierschius Epoch. Art. Gr. II. Adnot. p. 64. At locus multo aliter in codd. legitur, neque omnino scio, unde vulgata scriptura hausta fuerit; in nullo

Praeter haecce vero opera fecit et *Amazona*, cui inter alias aliorum artificum primae partes concedebantur (Plin. l. l. paullo antea) *Herculem* Hydram interficientem (Cicero Orat. II. 16. §. 70.) *Canephoras* (Cicero Verr. IV. §. 4. 5. Symmach. Epp. I. 23. v. Böttigerum in Amalthea. Vol. III. p. 164.) *Iovis* statuam Baccho similem Megalopoli collocatam (VIII. 31, 2.) pluresque Olympionicas, velut *Antipatrum* Milesium (VI. 2, 4.) *Cyniscum* Mantineensem (VI. 4, 6.) *Pythoclem* Eleum (VI. 7, 3.) *Xenoclem* Maenalium (VI. 9, 1.) *Thersilochum* et *Aristionem* (VI. 13, 4.) Fortasse tamen nonnullae harum statuarum Polycleto minori tribuendae sunt, certe Olympionicarum, quum artifices primi ordinis, qualis Polycletus maior fuit, in talibus statuis victorum fingendis occupati esse non videantur. Polycleti minoris vero fuit *Hecate* Argis posita (Pausan. II. 22, 8.) *Venus Amyclaea* ex Pausania supra laudata et statua *Alcibiadis*, quam abscissis manibus mutilam se vidisse testatur Dio Chrysostomus orat. XXXVII. T. II. p. 122. ed. Reisk. Ceterum Polycletus maior ad opera sua fundenda aere Aeginetico usus est (Plin. XXXIV. 2, 5.) Memoran-

---

certe libro MS. *quadrata* prostat, et peioris notae libris omissis, inprimis Reg. I. audiendum esse puto, in quo haec sunt: *excogitasse ea ait Varro et pene ad unum exemplum.* Hinc, expuncta vocula *ea*, quae ex duabus vocibus eam iungentibus orta est, locum ita legendum arbitror: *Proprium eius est ut uno crure insisterent signa excogitasse, ait Varro, et paene ad unum exemplum.*

tur vero etiam eius opera marmorea, ut Iovis Milichii (Pausan. II. 20, 1.) et Apollinis, Latonae et Dianae signa, (II. 24, 6.) quorum illud Argis, haec in eorum vicinia dedicata fuerunt.

Maximam vero sibi paravit gloriam simulacro ex auro et ebore facto, quod in Heraeo ab urbibus Argis et Mycene dedicatum fuit. Quod quanti aestimatum sit, videre licet ex Strabone VIII. p. 551. B. *ἐν ᾧ (Ἡραίῳ) τὰ Πολυκλείτου ξόανα, τῇ μὲν τέχνῃ κάλλιστα τῶν πάντων, πολυτελείᾳ δὲ καὶ μεγέθει τῶν Φειδίου λειπόμενα.* Descripsit opus egregium Pausan. II. 17, 4. sq. cuius verba optime illustravit Böttigerus (Andeutungen p. 122. sqq.) qui etiam locos scriptorum veterum de eo agentium collegit; (vide potissimum Append. Anth. Palat. T. II. p. 691. Maximum Tyrium Dissert. XIV. T. I. p. 260. ed. R.)

Ut plerique vero illius temporis statuarii, etiam Polycletus architectus eximius fuit, et in fano Aesculapii apud Epidaurios theatrum una cum tholo aedificaverat, quod ratione symmetriae et pulchritudinis habita Pausanias II. 27, 5. omnibus reliquis theatris, ne Romanis quidem exceptis, praeferre non dubitat.

Omnes vero scriptores veteres miris laudibus Polycletum tollunt. Ita Cicero Brut. 18. eius opera plane perfecta praedicat. Quinctilianus XII. 10. ei potissimum diligentiam et decorem tribuit, ita tamen ut pondus deesse putarent. Dionysius Halicarn. de Isocrat. p. 95. ed. Sylb. eius Phidiaeque opera *κατὰ τὸ σεμνὸν καὶ μεγαλότεχνον καὶ ἀξιωματικὸν* in honore haberi dicit. Inprimis pectora statuarum ab eo facta-

rum laudat Auctor Rhet. ad Heren. IV. 6., et variae insuper de eo historiolae narrantur, quae eius peritiam et subtile de arte iudicium comprobent (Plutarch. Sympos. II. 3. init. Aelian. Var. Hist. XIV. 8. 16.) Praeterea autem librum de symmetria partium corporis humani scripsit, de quo v. Galenum *περὶ τῶν καθ' Ἱπποκράτην καὶ Πλάτωνα* IV. 3. T. V. p. 449. ed. Kühn. *τὸ δὲ κάλλος οὐκ ἐν τῇ τῶν στοιχείων, ἀλλ' ἐν τῇ τῶν μορίων συμμετρίᾳ συνίστασθαι νομίζει (Χρύσιππος), δακτύλου πρὸς δάκτυλον δηλονότι, καὶ συμπάντων αὐτῶν πρός τε μετακάρπιον καὶ καρπόν, καὶ τούτων πρὸς πῆχυν, καὶ πήχεως πρὸς βραχίονα, καὶ πάντων πρὸς πάντα, καθάπερ ἐν τῷ Πολυκλείτου κανόνι γέγραπται. πάσας γὰρ ἐκδιδάξας ἡμᾶς ἐν ἐκείνῳ τῷ συγγράμματι τὰς συμμετρίας τοῦ σώματος ὁ Πολύκλειτος ἔργῳ τὸν λόγον ἐβεβαίωσε, δημιουργήσας ἀνδριάντα κατὰ τὰ τοῦ λόγου προστάγματα, καὶ καλέσας δὴ καὶ αὐτὸν τὸν ἀνδριάντα, καθάπερ καὶ τὸ σύγγραμμα, κανόνα.*

Discipuli ei fuerunt praeter Pericletum et Canachum supra laudatos Asopodorus, Alexis, Aristides, Phryno, Dino, Athenodorus et Demeas Clitorii (Plin. XXXIV. 8. s. 19.)

Loquendum nunc mihi restat de nonnullis locis scriptorum veterum, qui singularia quaedam referunt. Et primum quidem legitur epigramma in Append. Anthol. Palat. T. II. p. 633. cuius initium ita habet:

Χείρ με Πολυκλείτου Θασίου κάμεν· εἰμὶ δ' ἐκεῖνος
Σαλμωνεύς, βρονταῖς ὃς Διὸς ἀντεμάνην.

Quum Polycletus Thasius nusquam memoretur, Brun-

ckius Πολυγνώτου restituit, quae emendatio certa dici posset, nisi Heynio (priscae artis opera ex epigrr. illustr. p. 93.) recte monente, de pictore verba χεὶρ κάμεν inepte tantum dicerentur. Hinc Heynius l. l. aut poetam errasse in patriae appellatione, aut fuisse sculptorem Polycletum patria Thasium putat, cui sententiae Thierschius l. l. assentit, ita tamen ut varia admisceat, quae nunquam comprobari poterunt. Fortassis, lectione Πολυγνώτου probata, referri huc possit locus Plinii XXXIV. 8. s. 19. ubi Polygnotum pictorem statuariam quoque artem exercuisse dicit. Sed quum libri MSS. Anthol. Gr nos deficiant, aliquid certi pronunciare velle temerarii foret. Plane contraria res est in epigrammate Append. Anthol. Palat. P. II. p. 671. ubi Polycleti Polyxena πίναξ commemoratur:

Α῞δε Πολυκλείτοιο Πολυξένα, οὐδέ τις ἄλλα
Χεὶρ ἔθιγεν τούτου δαιμονίου πίνακος.
Η῞ρας ἔργον ἀδελφόν· ἴδ' ὡς πέπλοιο ῥαγέντος
Τὰν αἰδῶ γυμνὰν σώφρονι κρύπτε πέπλῳ.
Λίσσεται ἁ τλάμων ψυχᾶς ὕπερ· ἐν βλεφάροις δὲ
Παρθενικᾶς ὁ Φρυγῶν κεῖται ὅλος πόλεμος.

Quum de picturis Polycleti nihil sciamus (Tzetzam enim Chiliad. VIII. 191. nemo puto curabit) hic quoque errorem poetae subesse puto.

III. *Polycletus* tertius qui vel Persarum regi alicui vel Perseo regi Macedoniae lucernam fecit, ob quam in magno honore habitus est. (Moschio ap. Athen. V. p. 206. E. ubi haec leguntur: Πολύκλειτος θαυμάζεται ἐπὶ τῷ λυχνίῳ τῷ κατασκευασθέντι τῷ Πέρσῃ.

De hoc igitur intelligenda esse puto verba Martialis VIII. 51. *Quis labor in phiala? docti Myos, anne Myronis? Mentoris haec manus est, an Polyclete tua?*

IV. Scalptor ap. Bracci tab. 96. quem Stoschius de gemm. p. 76. nobilissimum illum statuarium habet. Sed v. Lewezow über den Raub des Pallad. p. 31. sqq.

POLYCRATES.

Statuarius incertae patriae atque aetatis, quem Plinius XXXIV. 8. s. 19. inter artifices refert, qui fecerint athletas, armatos, venatores sacrificantesque. Adde appendicem.

POLYDECTES.

Sculptor qui primo post Ch. n. seculo vixit, et cum aliis artificibus Palatinas Caesarum domos probatissimis signis replevit. Plin. XXXVI. 5. s. 4.

POLYDORUS.

I. Vide quae modo dixi s. v. *Polycrates*, quocum Polydorus componitur.

II. Vide quae supra dixi s. v. *Agesander*, addito Thierschio Epoch. Art. Gr. III. Adnot. p. 109.

POLYEUCTUS.

Sculptor incertae patriae, qui Demosthenis fere aetate vixit. V. Pseudo-Plutarch. Vitae X. Oratorr. p. 847. A. p. 266. T. IV. ed. W. *Αἰτήσας τε γραμματεῖον (Δημοσθένης), ἔγραψεν τὸ ἐπὶ τοῦ εἰκόνος αὐτοῦ ἐλεγεῖον ἐπιγεγραμμένον ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων ὕστερον* — —

Κεῖται δὲ εἰκὼν πλησίον τοῦ περισχοινίσματος καὶ τοῦ βωμοῦ τῶν δώδεκα θεῶν, ὑπὸ Πολυεύκτου πεποιημένη.

POLYGNOTUS.

Pictor unus ex notissimis, de cuius patria et genere prae ceteris audiendus Harpocratio s. v. Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ τῆς Ἱερείας περὶ Πολυγνώτου τοῦ ζωγράφου, Θασίου μὲν τὸ γένος, υἱοῦ δὲ καὶ μαθητοῦ Ἀγλαοφῶντος (v. supra s. v. *Aglaophon* et *Aristophon* et Simonidem ap. Pausan. X. 27.), τυχόντος δὲ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας, ἤτοι ἐπεὶ τὴν Ποικίλην στοὰν ἀνέγραψε προῖκα, ἢ ὡς ἕτεροι, τὰς ἐν τῷ Θησαυρῷ καὶ τῷ Ἀνακείῳ γραφάς. Hinc sua desumserunt Suidas et Photius, neque amplius dubium manebit (iam animadvertente Iunio in Catalogo p. 172.), qui Theophrastus apud Plinium H. N. VII. 56. eum Atheniensem dicere potuerit, cum semper Thasius audiat. Quod ad aevum, quo floruerit, attinet, Plinius XXXV. 9. s. 35. eum ante Ol. XC. vixisse dicit, quae verba nihil aliud probant, nisi eum *ante* hanc Olympiadem, neque *illa ipsa* artem exercuisse. Et Viri Egregii Wimarienses (Weimarsche Kunstfreunde) in Ephem. liter. Ien. 1805. Vol. III. p. III. IV. bene coniecerunt, Polygnotum circa Ol. LXXX. floruisse oportere, nimium tamen, ut mihi quidem videtur, tribuentes stylo, ut aiunt, eius operum de quo quum paene nihil sciamus, iudicium nostrum lubricum est. Sed aliae causae adsunt, quae eodem ducant, quarum partem iam supra s. v. *Aglaophon* exposui, partem hic afferam. Et omnis quidem disputatio ordienda est a Cimone eiusque sorore

Elpinice, quam inter et Polygnotum necessitudo aliqua intercessit. Quum Miltiades 489. ante Ch. n. obiret, Cimo perquam adolescens fuit, (μειράκιον παντάπασιν Plutarchi Cim. 4.) ita ut fere a. 506. eum natum fuisse facile sumere possimus. Hinc Cimonis aetas ita describenda:

Ol. LXVIII. 3. ante Ch. 506. Cimo nascitur.
- LXXII. 4. — — 489. Miltiades obit.
- LXXIX. 2. — — 463. Thasus recepta. (Clinton fasti Hellen. p. 38.) Paullo post Cimo accusatus et absolutus est, quo tempore Pericles Elpinicae pro fratre suo sollicitanti ait: γραῦς εἶ, ὦ Ἐλπινίκη, ὡς τηλικαῦτα διαπράττεσθαι πράγματα. (Plut. Cim. 14.)
- LXXIX. 4. ante Ch. 461. Cimo exsul factus.
- LXXXI. 1. — — 456. Cimo revocatus in patriam.
- LXXXII. 4. — — 449. Cimo obit, quinquagintaquinque annos natus.

Quodsi iam Elpinicen duobus annis minorem statuimus, tum quum Pericles inurbanum ei daret responsum, quadraginta et quod excurrit annos nata fuit, neque nunc meum est, perscrutari, quo iure Pericles tam mali moris se gesserit. Aliorum tamen hoc iudicium non fuisse videtur, siquidem Polygnotus eius amore captus fuit, (Plut. Cim. 4.) adeo ut eam in Poecile a se picta Laodicen fingeret. Et quum Thasi natus ibique a patre Aglaophonte doctus fuisset, quaerendum est, quo fere tempore Athenas venerit; neque ullum tempus aptius inveniri potest, quam

quo Cimo Thaso recepta in patriam rediit (praeeunte nobis Odofr. Müllero in Nunt. liter. Gotting. 1824. Scid. 115.) ut proinde hunc comitaretur, et hac ratione in eius et Elpinices familiaritatem veniret. Gravissima autem suberat causa, qua Cimo illum virum se Athenas sequi iuberet, ut scilicet monumenta a se vel certe se auctore Athenis condita picturis exornaret. Inter quae primum facile locum obtinuit templum Thesei nunc quoque exstans, aedificatum ossibus herois antiqui Athenas Scyro a Cimone reportatis. Factum hoc scimus Aphepsione archonte, Ol. LXXVII. 4. ante Ch. 469. (Plutarch. Cim. 8. coll. Thes. 35. ubi v. Leopold. Clinton fasti Hellen. p. 235.) et quum probabile sit, anno sequenti templum strui coeptum esse, hinc quoque egregia Reinesii emendatio a nobis iam supra s. v. *Mico* laudata confirmatur, qui in Harpocratione (de hoc enim tantum sermo esse potest, quum inde Suidas sua sumserit, ad quem Reinesius illa protulit) verba *ἐν τῷ Θησαυρῷ* (quae subtilius quam verius interpretari suscepit Böttigerus Archaeol. Pict. I. p. 270. sq.), coll. Pausania I. 17, 2. mutat in: *ἐν τῷ Θησέως ἱερῷ*. Quae omnia mutuo sese adiuvantia Polygnotum potissimum circa Olymp. LXXX. vixisse ostendunt, quo et alia argumenta supra s. v. *Aglaophon* allata nos ducunt. Addendum est, quod Poecilen quoque pinxit; quae quum a Cimone amoenior facta sit (Plutarch. Cim. 13.) inde quoque sequitur, Polygnotum certe ante Ol. LXXXII. qua obiit Cimo, Athenis artem exercuisse. De picturis vero Polygnoti aliorumque, quae in cella ante Pro-

pylaea exstructa Pausaniae tempore (I. 22, 6.) visebantur, et quae demonstrarent, Polygnotum Olympiadem LXXXVI. superasse, quod fieri potuisse facile concedo (v. Böttiger Archaeol. Pict. p. 290), cautissimum nostrum sit iudicium oportet, quod et verba Pausaniae admodum dubia sunt, nullamque certam explicationem admittunt, et quod illa opera, fortasse variis ex locis conquisita non uno tempore facta sunt, quod saltem de Alcibiade illic picto valet.

Locus vero de Polygnoto, ut aiunt, classicus est apud Plin. XXXV. 9. s. 35. *Primus mulieres lucida veste pinxit, capita earum mitris versicoloribus operuit, plurimumque picturae primus contulit. Siquidem instituit os adaperire, dentes ostendere, vultum ab antiquo rigore variare. Huius est tabula in porticu Pompeii, quae ante Curiam eius fuerat: in qua dubitabatur, ascendentem cum clypeo pinxerit, an descendentem. Hic Delphis aedem pinxit: hic et Athenis porticum, quae Poecile vocatur, gratuito, cum partem eius Micon mercede pingeret: unde maior huic auctoritas. Siquidem Amphictyones, quod est publicum Graeciae concilium, hospitia ei gratuita decrevere.*

Primus cum Micone sile pingere instituit, Attico duntaxat (Plin. XXXIII. 12, 56.), atramentum e vinaceis fecit, tryginon appellatum (XXXV. 6. s. 25.) et encausticas quoque picturas reliquit (XXXV. 11. s. 36.) In eorum vero numero recensetur, qui quatuor tantum coloribus usi sunt, (Ciceron. Brut. 18.) eiusque opera et serioribus temporibus a nonnullis magni fiebant. (Quinctil. XII. 10.) Aristoteles (Polit. VIII.

5. p. 267. ed. Göttl. coll. Poet. VI. 15.) eum *γραφέα ἠθικόν* dicit (v. Böttigeri Archaeol. Pict. I. p. 266. sq.) eumque homines natura meliores, Pausonem peiores, Dionysium vero similes fecisse (Poet. II. 2.)

Haec de vita et ingenio Polygnoti apud veteres scriptores leguntur, quibus missis nunc ad eius opera transeundum est. Et hic quidem Böttigeri (Archaeol. Pict. I. p. 274—369.) merita summa laudandi locus foret, nisi talis vir omni mea laude longe superior esset. Utinam seni venerabili otium fiat, alteram huius operis partem perficiendi, cui negotio nunc solus par est!

I. „*Delphis aedem pinxit.*" Plin. l. l. De picturis egit Pausan. X. 25—31. In dextro latere Graecorum reditus Troia et caedes in arce Pergamis fuit, in laevo vero *νεκυία*. Cfr. Böttiger l. l. p. 296—364. Ex illa pictura Lucianus Imagg. 7. T. II. p. 465. potissimum praedicat *ὀφρύων τὸ ἐπιπρεπὲς καὶ παρειῶν τὸ ἐνερευθὲς — καὶ ἐσθῆτα δὲ — ἐς τὸ λεπτότατον ἐξειργασμένην, ὡς συνεστάλθαι μὲν ὅσα χρή, διηνεμῶσθαι δὲ τὰ πολλά.*

II. „*Pinxit Athenis porticum, quae Poecile vocatur.*" Plin. l. l. De eo quod gratuito hoc fecit, v. Plutarchi Cim. 4. Harpocrat. l. l. Böttiger l. l. p. 271. sq. Ipsam picturam, cuius argumentum excidium Troiae fuit, artifice tamen non nominato, breviter describit Pausan. I. 15, 3. De cane vel a Micone vel a Polygnoto ibi picto v. s. v. *Mico*. Ablatae sunt denique tabulae a proconsule aliquo, teste Synesio in epist. 135.

III. Picturae in cella ad introitum propylaeorum sinistra ex parte aedificata. Unus earum mentionem fecit Paus. I. 22, 6. loco adeo obscuro, ut quid scriptor sibi voluerit, accurate perspici nequeat. Nisi fallor, Polygnoti tantum fuerunt Polyxena in tumulo Achillis immolanda, et, excidium Scyri et Ulyssis colloquium cum Nausicaa.

IV. Pictura in Anaceo sive templo Dioscurorum (v. locos huc pertinentes in Anecd. Hemsth. Vol. I. p. 226.) Athenis; nuptiae filiarum Leucippi cum illis heroibus. (Pausan. I. 18, 1. coll. Böttiger Archaeol. Pict. I. p. 291—295.)

V. Thesei templum; v. supra. Mico ibi quaedam pinxerat, qua in re eum a Polygnoto adiutum fuisse certe non improbabile est. V. Pausan. I. 17, 2.

VI. Picturae in templo Minervae Areae Plataeis cum Onata factae; ipse Ulyssem caede procorum perpetrata pinxit (Pausan. IX, 4, 1.) In illo igitur templo tres summi illius temporis artifices coniuncti sunt, Phidias, qui statuam Minervae fecit, et Polygnotus cum Onata qui aedem picturis ornabant. Phidias qui iam Ol. LXXVIII. qua Polygnotus in Graeciam venit floruit, in illa Minerva facienda fortasse rudimenta artis posuit, unde dubitationes Böttigeri l. l. p. 365. sq. evanescunt.

VII. *Parietes Thespiis a Polygnoto picti postea a Pausia reficiebantur* (Plin. XXXV, 11. s. 40.) Pausias vero pictor encausticus hic comparatione superatus iudicabatur, quia non suo genere certasset, utpote quum Polygnotus et in illis picturis penicillo usus

esset. Nimium autem huic loco tribuit Böttigerus l. l. p. 368. ex eo colligens, Polygnotum nunquam encaustice pinxisse, quum ipse locus hoc minime demonstret, et Plinius alio loco (11. s. 39.) profiteatur, Polygnoti picturas encausticas exstitisse. — Ceterum Plinium XXXIV. 8. s. 18. Polygnotum et statuarium fuisse refert.

POLYIDUS.

Pictor et poeta dithyrambicus, qui Ol. XCIV. 3. floruit. Diod. Sic. XIV. 46. Adde Fabric. Bibl. Gr. T. II. p. 135. Herm. ad Aristot. Poet. p. 155.

POLYSTRATUS.

Statuarius Ambraciota, qui simulacrum Phalaridis fecit. Tatianus adv. Gr. 54. p. 118. ed. Worth.

PORINUS.

Vide quae attuli supra s. v. *Antistates.*

POSIDONIUS.

Caelator et statuarius Ephesius, qui circa Pompeii Magni tempora vivens, Pasitelis quoque aequalis fuit. (Plin. XXXIII. 12. s. 55. XXXIV. 8. s. 19.)

POSIS.

Plasta Romanus primo ante Ch. n. seculo vivens. De eo Plin. XXXV. 11. s. 45. haec habet: „*M. Varro tradit sibi cognitum Romae Posim nomine, a quo facta poma et uvas, ut ea non posses aspecta discernere a veris.*“ Ita maximam partem cum Gronovio, cuius

inventum more solito Harduinus sibi vindicat, scripsi; argumenta alias afferam.

POTHAEUS.

Vide quae supra dixi s. v. *Antiphilus* II.

PRAXIAS.

Sculptor Atheniensis Calamidis discipulus, qui opera marmorea in fastigio templi Apollinis Delphis fecit, at morte impeditus non perfecit. (Pausan. X. 19, 3.) Floruit paullo ante Ol. XC.

PRAXITELES.

I. Statuarius et sculptor unus ex nobilissimis, qui cum Euphranore Ol. CIV. floruit. Haec a Plinio (XXXIV. 8. s. 19.) dicta apte confirmat Pausanias (VIII. 9, 1.): *Πραξιτέλης δὲ τὰ ἀγάλματα εἰργάσατο τρίτῃ Ἀλκαμένην ὕστερον γενεᾷ*, de quo loco v. supra s. v. *Alcamenes* I. Vitruvius VII. Praef. §. 13. eum et Mausolei aedificati participem fuisse ait, unde Ol. CVII. vixit. (Amalthea Vol. III. p. 286.) Qua in urbe natus fuerit, incertum est. Cedrenus quidem Annal. p. 265. (254. D. ed. Venet.) eum Cnidium dicit, errore tamen satis aperto, quum modo de Venere Cnidia actum fuisset. Meyerus ad Winckelm. Opp. T. VI. P. II. p. 162. sq. et Hist. art. Gr. T. II. p. 101. eum *Andrium* fuisse contendit, usus ad hanc sententiam comprobandam epigrammate Damagetae in Anthol. Palat. VII. 355. Sed unumquemque ad versus hic laudatos mente non praeoccupata accedentem interrogo, num ex iis hoc colligi possit:

Τὴν ἱλαρὰν Φωνὴν καὶ τίμιον, ὦ παριόντες,
τῷ χρηστῷ χαίρειν εἴπατε Πραξιτέλει·
ἦν δ' ὡ' νὴρ Μουσῶν ἱκανὴ μερίς, ἠδὲ παρ' οἴνῳ
κρήγυος· ὦ χαίροις Ἄνδριε Πραξίτελες.

Sermo ibi est de aliquo Praxitele, cuius nominis multos Graecos fuisse scimus. Videndum vero num ex alio loco hucusque certatim a V. V. D. D. mutato aliquid lucrari possimus. Est is Propert. III. 7, 16, ubi quod in editione Burmanni legitur:

Praxitelem Parius vindicat urbe lapis

Lachmannus p. 265. recte reiecit. Optimus quisque liber MS. *propria* habet, unde Brouckhusius assentiente Lachmanno fecit *Paria*, quo probato tamen vix intelligas, quomodo *Paria* in omnibus codd. in *propria* mutatum sit. Ego potius hanc lectionem defendendam censeo, ita ut *lapis Parius* (nam de hoc sermo est) *in propria urbe* i. e. in insula Paro *Praxitelem* sibi *vindicet*. Paros vero *propria* urbs dicitur ratione Praxitelis habita, ita ut hic patriam sua arte quasi suum dominium fecerit.

Bis de eo egit Plinius, cuius verba ex codd. qualicunque ratione emendata illustrare conabor. Et primum quidem XXXIV. 8. s. 19. de Praxitele *statuario* haec habet:

Praxiteles marmore felicior, ideo et clarior fuit. Fecit tamen ex aere pulcherrima opera: Proserpinae raptum, item Catagusam: [1]) *et Liberum patrem et*

1) *Catagusam;* neque Harduinus ad h. l. neque Meyerus hist. art. T. II. p. 112. veram huius vocis sententiam ceperunt.

Ebrietatem nobilemque una Satyrum, [2]) *quem Graeci periboeton* [3]) *cognominant. Signa etiam, quae ante Felicitatis aedem fuere, Veneremque, quae cum ipsa aede incendio cremata est Claudii principatu, marmoreae illi suae per terras inclytae parem. Item Stephusam, Spilumenen,* [4]) *Oenophorum, Harmodium et Aristogitonem tyrannicidas, quos a Xerxe Persarum rege captos victa Perside Atheniensibus remisit Magnus Alexander.* [5]) *Fecit et puberem Apollinem subrepenti lacertae cominus sagitta insidiantem, quem Sauroctonon vocant. Spectantur et duo signa eius adfectus exprimentia flentis matronae, et meretricis gau-*

---

interpretantes de Cerere filiam suam domum reducente. Tum *anagusam* dicendum fuit! Est potius *Ceres* quae ex pacto inito filiam ad Plutonem deducit, ita ut egregius artifex raptum ferocem et deductionem tranquillam sibi opposuerit. Vide num fortasse quodammodo huc referri possit praestantissimum vas pictum in *Millingen's ancient unedited monuments* T. I. tab. 16. — 2) Ad haec verba illustranda Welckerus ad Philostr. Imagg. p. 212. bene admovet Nonnum XIX. 17. XVIII. 124. ubi Μήϑη dicitur Staphylo Satyro nupta. Adde Böttigeri Andeutungen p. 166. — 3) De hoc v. Pausan. I. 20. 1. Plinius autem duos Satyros a Praxitele factos confudisse videtur; alter enim *περιβοητός* solus stabat in via tripodum Athenis, alter vero, quem Plinius h. l. intelligit una cum Ebrietate comitatui Bacchi inserviebat, quales nunc quoque multae Satyri statuae exstant. Meyer hist. art. T. I. p. 117. — 4) Tatianus c. Graec. p. 122. *σπιλούμενόν τι γύναιον Πραξιτέλης ἐδημιούργησεν.* Cfr. Philostr. Apoll. Tyan. VI. p. 276. — 5) De hoc insigni errore v., quae

dentis. Hanc putant Phrynen fuisse, deprehenduntque in ea amorem artificis, et mercedem in vultu meretricis. Habet simulacrum et benignitas eius. Calamidis enim quadrigae aurigam suum imposuit, ne melior in equorum effigie, defecisse in homine crederetur. 6)

Alter vero locus, quo Plinius de Praxitele *sculptore* agit, legitur XXXVI. 5. s. 4. ita habens:

Praxitelis aetatem inter statuarios diximus, qui marmoris gloria superavit etiam semet. Opera eius sunt Athenis in Ceramico: [1]) *sed ante omnia, et non solum Praxitelis, verum et in toto orbe terrarum, Venus, quam ut viderent, multi navigaverunt Cnidum.* [2]) *Duas fecerat, simulque vendebat, alteram velata specie,* [3]) *quam ob id quidem praetulerunt, quorum con-*

---

supra monui s. v. *Antenor.* — 6) de sensu horum verborum vide Thiersch. Epoch. Art. Gr. II. Adnot. p. 45.

1) Quae fuerint ista opera in Ceramico posita, non constat. — 2) vulgo legebatur: *viderent multi, navigaverunt C.* Interpunctionem ineptam mutavi. — 3) De duabus his vocibus quid statuendum sit, nemo hucusque satis explicuit. Böttigerus (Andeutg. p. 171.) et Meyerus (hist. art. Gr. T. II. p. 109. sq.) eam inferiore corporis parte velatam fuisse aiunt, quod quo modo comprobare possint, non assequor. *Species* enim nihil aliud significat, quam similitudo (Schein) et fortasse hinc coniicere possemus, legendum esse *velatam specie,* (dem Schein nach verhüllt) ita velatam, ut vestem quidem induta esset, quae tamen membra perspici pateretur. Sed offendit haec coniectura non uno nomine, et potius censeo, scripsisse Plinium: *alteram velatam speciose* i. e. ornate, pulchre. Diiudicent alii! Ceterum

ditio erat, Coi, cum alteram etiam eodem pretio detulisset, severum id ac pudicum arbitrantes; reiectam Cnidii emerunt, immensa differentia famae. Voluit etiam postea a Cnidiis mercari rex Nicomedes, [4] *totum aes civitatis alienum quod erat ingens, dissoluturum se promittens. Omnia perpeti maluere, nec immerito: illo enim signo Praxiteles nobilitavit Cnidum.* [5]

---

hanc Coam Venerem imitatione adhuc nobis superesse putabat Visconti (description des antiques du Musée Royal Paris 1817. p. 59.) quum statua Veneris in Museo Regio Paris. asservata Praxitelis nomen portaret (nr. 185. catal. Clarac.) Sed quominus Viro Summo, qui praeterea hanc Venerem Parii ad Hellespontum fuisse ait, confundens scilicet eam cum Cupidine, assentiamus, impedimento est quod illi statuae Cupido etiam additus est. — 4) De Nicomede idem iam antea retulerat Plin. VIII. 38. — 5) De Venere Cnidia multi multa dixerunt. Ad Phrynes imaginem Praxitelem hoc simulacrum expressisse testatur Athen. XIII. p. 591. A. B. 585. F. (unde ipsam statuam ἑταίραν dicit Athenagoras legat. pro Christ. 14. p. 61. ed. Dechair. Vide tamen Iacobsium in Wielandi Museo Att. T. III. p. 23. 49.) cum qua omnino artifex arcte coniunctus fuit; et quod eadem mente de Cratina narrant Clem. Alexandr. Protr. p. 21. C. Arnob. adv. gent. VI. fortasse confusis tantum nominibus nititur. Celebrarunt Venerem poetae in Anthol. Gr. IV. 12, 160. (App. Anth. Palat. T. II. p. 674.) Anal. Brunck. IV. 6. p. 442. XII. 7. p. 462. Ausonius epigr. 56.; nemo vero magis perspicue de statuae natura disseruit Luciano (Amorr. 13. T. II. p. 411. ed. R.) εἴσω τοῦ νεὼ παρῄειμεν· ἡ μὲν οὖν Θεὸς ἐν μέσῳ καθίδρυται. Παρίας δὲ λίθȣ δαίδαλμα κάλλιστον ὑπερήφανον καὶ σεσηρότι γέλωτι μικρὸν ὑπομειδιῶσα.

Aedicula eius tota aperitur, [6]) *ut conspici possit undique effigies deae, favente ipsa, ut creditur facto. Nec minor ex quacunque parte admiratio est. Ferunt amore captum quendam, cum delituisset noctu, simula-*

πᾶν δὲ τὸ κάλλος αὐτῆς ἀκάλυπτον, οὐδεμιᾶς ἐσθῆτος ἀμπεχούσης γεγύμνωται, πλὴν ὅσα τῇ ἑτέρᾳ χειρὶ τὴν αἰδῶ λεληθότως ἐπικρύπτειν. Τοσοῦτό γε μὲν ἡ δημιουργὸς ἴσχυσε τέχνη, ὥστε τὴν ἀντίτυπον οὕτω καὶ καρτερὰν τοῦ λίθου φύσιν ἑκάστοις μέλεσιν ἐπιπρέπειν. De eius tergo paullo post 14. p. 412. sq. haec habet: ὅση μὲν τῶν μεταφρένων εὐρυθμία, πῶς δ' ἀμφιλαφεῖς αἱ λαγόνες, ἀγκάλισμα χειρόπληθες· ὡς δ' εὐπερίγραφοι τῶν γλουτῶν αἱ σάρκες ἐπικυρτοῦνται, μήτ' ἄγαν ἐλλιπεῖς αὐτοῖς ὀστέοις προσεσταλμέναι, μήτε εἰς ὑπέρογκον ἐκκεχυμέναι πιότητα· τῶν δὲ, τοῖς ἰσχίοις ἐνεσφραγισμένων ἐξ ἑκατέρων τόπων, οὐκ ἂν εἴποι τις, ὡς ἡδὺς ὁ γέλως, μηροῦ τε καὶ κνήμης ἐπ' εὐθὺ τεταμένης ἄχρι ποδός, ἠκριβωμένοι ῥυθμοί. Caput simulacri ita describit de imagg. 6. T. II. p. 463. laudans: τὰ μὲν ἀμφὶ τὴν κόμην καὶ μέτωπον, ὀφρύων τε τὸ εὔγραμμον — — καὶ τῶν ὀφθαλμῶν δὲ τὸ ὑγρὸν ἅμα τῷ φαιδρῷ καὶ κεχαρισμένῳ. Ceterum sententiae Heynii, Cnidiam Venerem fuisse talem a Praxitele effictam, qualem eam iudicaverit Paris (priscae artis opp. ex epigrr. p. 106.) praeter Eueni carmen in Anthol. Gr. IV. 12, 166. (Append. Anthol. Palat. T. II. p. 676.) favet quoque Platonis epigr. ibid. 161. (p. 675.)

οὔτε σε Πραξιτέλης τεχνάσατο, οὔθ' ὁ σίδαρος·
ἀλλ' οὕτως ἔστης, ὥς ποτε κρινομένη.

6) Illustrat haec verba Lucianus Amorr. 13. T. II. p. 412. R. ἔστι δ' ἀμφίθυρος αὐτῆς ὁ νεώς, καὶ τοῖς θέλουσι τὴν θεὸν ἰδεῖν ἀκριβῶς, καὶ κατὰ νώτου, καὶ ἵνα μηδ-

oro cohaesisse, eiusque cupiditatis esse indicem maculam. 7) *Sunt in Cnido et alia signa marmorea illustrium artificum: Liber pater Bryaxidis, et alter Scopae et Minerva: nec maius aliud Veneris Praxiteliae specimen, quam quod inter haec sola memoratur. Eiusdem est et Cupido* 8) *obiectus a Cicerone Verri ille propter quem Thespiae visebantur, nunc in Octaviae scholis positus. Eiusdem et alter nudus in Pario*

δὲν αὐτῆς ἀθαύμαστον ᾖ. δι' εὐμαθείας οὖν ἔστι τῇ ἑτέρᾳ πύλῃ παρελθοῦσι τὴν ὄπισθεν εὐμορφίαν διαθρῆσαι. — 7) Cfr. Lucian. l. l. 15. sq. T. II. p. 414 — 416. ed. R. Valer. Max. VIII. 11. ext. 4. Adde Athen. XIII. p. 605. F. — 8) De hoc loco prolixius iam exposui in Amalth. Vol. III. p. 299—302. unde hic ea quae nunc mihi probata videntur breviter repetere iuvat. Duas, ut ex Plinio cognitum habemus, Cupidinis statuas fecerat Praxiteles; *altera* quam Phrynae donavit, ab hac vero Thespias dedicata (Pausan. I. 20, 1.) Ciceronis tempore Thespiis adhuc fuit (Cic. Verr. IV. 2. §. 4. *propter quem Thespiae visuntur.*) A variis imperatoribus Romam delatus (Pausan. IX. 27, 1. quem locum pariter atque ego interpretatus est Thierschius Epoch. III. Adnot. p. 114.) in Scholis Octaviae positus (Plin.) et paullo post combustus est (Pausan.) Quo tempore hoc factum sit, assequi possumus, siquidem illae ipsae scholae Octaviae Tito imperatore igni absumtae sunt. (Dio Cassius LXVI. 24.) Errorem igitur in Amalthea nobis commissum, Cupidinem Parium in scholis Octaviae combustum esse, deprecamur, et Plinius verbum *est* optimo iure scripsit, cum eius tempore vere adhuc exstaret; Siebelisium etiam, qui et ipse nuper hunc locum tractavit (Progr. Nonnulli veterum scriptorum

colonia Propontidis, par Veneri Cnidiae nobilitate et iniuria. Adamavit enim eum Alchidas Rhodius, atque in eo quoque simile amoris vestigium reliquit. Romae Praxitelis opera sunt Flora, Triptolemus, Ceres in hortis Servilii; Boni Eventus et Bonae Fortunae simulacra in Capitolio: item et Maenades et quas Thyiadas vocant et Caryatidas: [9]) *et Sileni,* [10]) *in Pollionis Asinii monumentis, et Apollo et Neptunus.* [11])

---

loci tractantur. Budissae. 1826. p. 10. sqq.) eo facilius mihi nunc assentientem habere confido, quo melius omnes scriptorum loci, dummodo temporis, quo quisque scripsit, rationem habeas, inter se conspirant. — Transeamus nunc ad *alterum in Pario colonia Propontidis*, de cuius fatis quum nihil omnino nobis compertum sit, satis tamen probabile est, eum per proconsulem aliquem Pario ablatum in Heii, Siculi divitis, sacrarium pervenisse, qui eum aliquamdiu Romam, ut C. Claudio placeret, commodavit, ab hoc remissum rursus recepit, sed paullo post Verri cedere coactus est. (Cic. Verr. l. l.) Quid deinde de eo factum sit nescimus. Hac de causa Plinii quoque auctoritas stat integra, quum duos tantum memoret Cupidines Praxitelis, utrumque marmoreum (unde omnia quae de *aeneo* signo habent Callistratus stat. 4. 11. Iulianus in Anthol. Gr. IV. 12, 203. App. Anth. Palat. T. II. p. 687. refutantur) errans in hac una re, quod Thespiensen a Verre Heio ereptum fuisse dicit; unde etiam explicatur, qui Plinius de illo Pariensi ita loqui potuerit, quasi vere ibi adhuc exstaret. Non est igitur cogitandum de tribus Praxitelis Cupidinibus, quos et Lessingius (Opp. Vol. X. p. 261.) et Heynius (priscae artis opera ex epigrr. p. 91.) et Meyerus (hist. art. T. II. p. 106.) reperisse sibi visi sunt. Simonidis,

His iam pro virium mearum modulo expositis reliqua, quae apud veteres scriptores commemorantur, opera Praxitelis breviter enumeremus, ita ut a viris sive Diis sive heroibus exordientes ad feminas deinceps convertamus, qua in re tamen dolendum est, nos saepe deficere notitiam, ex qua materia hoc illudve opus factum fuerit.

I. *Apollo cum Latona et Diana* Megaris. Pausan. I. 44, 2.

II. *Bacchus* Elide. Pausan. VI. 26, 1.

III. *Mercurius* ferens Bacchum infantem; opus marmoreum. Pausan. V. 17, 1.

IV. *Aesculapius* in luco Trophonii Lebadeae. Pausan. IX. 39, 3.

V. *Satyrus* e marmore Pario, Megaris. Pausan. I. 43, 5. Bene igitur distinguendus est a Satyro aeneo περιβοητῷ.

VI. *Pan utrem ferens, cum Nymphis et Danae,* omnia e marmore Pario. Nicomedes in Anthol. Palat. VI. 317. et alius poeta in Append. Anthol. Palat. T. II. p. 705. ubi Heynius (priscae artis opera ex

---

ut fertur, epigramma (Anthol. Planud. IV. 12, 204. App. Anth. Palat. T. II. p. 687.) nihil momenti ad hanc litem diiudicandam habet. — 9) Vid. Böttiger. in Amalth. Vol. III. p. 147. sq. — 10) Ad hunc Silenum pertinet fortasse epigr. Aemiliani in Anthol. Palat. IX. 756. — 11) Probe tenendum est, Plinium extremo in loco de statuis tantum loqui, quae Romae tum spectabantur, quare cavendum, ne forte Iunium secuti alias eorundem Deorum Praxitelis statuas in aliis locis positas (v. infra) cum iis confundamus.

epigrr. p. 89.) perperam de Satyro cogitat. Quo nexu inter se fuerint haec opera, atque utrum singulas statuas an symplegma effecerint, non liquet.

VII. *Duodecim Dii,* e quibus tamen Dianam fecit Strongylio, Megaris in aede antiqua positi, et pro Praxitelis operibus habiti. Pausan. I. 40, 2.

VIII. *Herculis labores* in fastigio templi huic heroi Thebis exstructi. Deerat pugna cum avibus Stymphaliis et purgatio stabuli Augeae, quorum in locum luctam cum Antaeo substituit. Pausan. IX. 11, 4.

IX. *Miles cum equo* sepulchro insistens, Athenis. Cuius imago fuerit expressa, incertum est. Pausan. I. 2, 3.

X. *Iuno in solio sedens, adstante Minerva et Iuventa,* Mantineae in templo Iunonis. Paus. VIII. 9, 1.

XI. *Iuno τελεία* (pronuba) insigni magnitudine et *Rhea* lapidem fasciis involutum Saturno tradens; utraque lapide Pentelesio Plataeis in templo Iunonis. Pausan. IX. 2, 5.

XII. *Diana Brauronia* in arce Athenarum. Pausan. I. 23, 9. Vide Böttigerum Andeutungen p. 163.

XIII. *Diana* Anticyrae in Phocide, *δᾷδα ἔχουσα ἐν τῇ δεξιᾷ, καὶ ὑπὲρ τῶν ὤμων Φαρέτραν· παρὰ δὲ αὐτὴν κύων ἐν ἀριστερᾷ. μέγεθος δὲ ὑπὲρ τὴν μεγίστην γυναῖκα τὸ ἄγαλμα.* Pausan. X. 37, 1.

XIV. *Ceres cum Proserpina et Iaccho* Athenis in templo Cereris. Pausan. I. 2, 4. Clem. Alexandr. Protr. p. 41. C. ed. Sylb.

XV. *Venus* lapidea Thespiis. Pausan. IX. 27, 4.

XVI. *Venus* Alexandriae posita, quae fuit urbs Cariae ad Latmum. Steph. Byz. s. v. Ἀλεξάνδρεια.

XVII. *Latona* Argis in suo templo dedicata. Pausan. II. 21, 10.

XVIII. *Latona* cum liberis Mantineae; in basi Musa insculpta et Marsyas tibiis canens. Pausan. VIII. 9, 1.

XIX. *Suadae* et *Consolatricis* simulacra in templo Veneris Megaris. Pausan. I. 43, 6 ad quem locum Siebelisius in aperienda Παρηγόρου significatione interiore errat; consolatur ista Dea nuptas de virginitate erepta. Cfr. Böttigerum in nuptiis Aldobrand. p. 40.

XX. *Fortunae* signum in aede huius Deae Megaris. Pausan. I. 43, 6.

XXI. *Phrynes* statua marmorea Thespiis. Pausan. IX. 27, 4.

XXII. *Phrynes* statua inaurata, Delphis ab illa ipsa posita. Plutarch. de Pythiae orac. 15. Athen. XIII. p. 591. B. Pausan. X. 14, 5. Tatian. adv. Gr. 53. p. 115. ed. Worth.

Praeterea multa eius signa in templo Ephesiae Dianae posita fuisse tradit Strabo XIV. p. 641. B. et ambigebant veteres, Niobe cum liberis moriens, utrum Scopae an Praxitelis esset (Plin. l. l.), quamquam epigr. in Anth. Gr. IV. 9, 129. (Append. Anthol. Palat. T. II. p. 664. ed. Iac.) et Auson. heroum epit. 28. Praxiteli opus tribuunt.

De colosso Romano Praxitelis nomen gerente v. I. M. Wagneri commentationem supra p. 349. laudatam. Equos duos eiusdem artificis ab Hadriano imperatore

Athenis dedicatos memorat Iunius in Catal. p. 182. ex Zygomala; an vere Praxitelis habendi sint, viderint alii, quibus libri illius inspiciendi est copia.

Quod Diogenes Laertius V. 2. nr. 14. de testamento tradit, quo Theophrastus mandaverit ut Praxiteles statuam Nicomachi perficeret, id, nisi totum confictum est, certe Praxitelem, de quo nos nunc agimus, spectare non potest, quum Theophrastus Olympiade demum CXXIII. 2. obierit (Clinton fasti Hellen. p. 161. sq.), quo anno Praxiteles non amplius in vivis esse potuit. (V. Thiersch. Epoch. III. Adnot. p. 87.)

Usus est Praxiteles opera Niciae pictoris (v. supra) in circumlinendis statuis (Plin. XXXV. 11.) Quinctilianus (XII. 10.) eum cum Lysippo ad veritatem optime accessisse tradit, et auctor ad Herennium IV. 6. inprimis eius brachia praedicat.

Filii ei fuerunt Timarchus et Cephisodotus minor (Pseudo-Plutarchus Vitae X. Oratt. p. 843. E. p. 258. T. IV. ed. Wytt.) quos Pausanias (I. 8, 5. IX. 12, 5.) memorat, eorum tamen nomina reticens.

II. Pictor incertae patriae, qui post Aristidem vixit, commemoratus a Plinio XXXV. 11. s. 39. *quidam* (picturam encausticam) *Aristidis inventum putant, postea consummatum a Praxitele.* Quin de statuario cogitandum sit, prohibet temporum ratio, quum Aristides circa Ol. CX., Praxiteles vero Ol. CIV. vixerit.

III. Caelator sub Demetrio rege vivens, siquidem Scholiastae ad Theocrit. V. 103. fidem habere possumus, quam tamen recte elevasse videtur Kiesslingius ad h. l.

PRISCUS.

Pictor Romanus, de quo Plinius XXXV. 10. s. 37. haec habet: *Post eum* (Fabullum, qui Neroni domum auream pinxit) *fuere in auctoritate Cornelius Pinus, et Attius Priscus, qui Honoris et Virtutis aedes imperatori Vespasiano Augusto restituenti pinxerunt: sed Priscus antiquis similior.* Brotierius post Harduinum edidit *Accius*, refragantibus codd. Reg. I. Dufresn. I.

PRODORUS.

Statuarius et pictor incerti aevi et patriae, quem Plinius XXXIV. 8. s. 19. iis artificibus annumerat, qui nullis operum suorum praecipui fuerint.

PROTARCHUS.

Scalptor gemmae nobilissimae Florentinae, cuius nomen olim vulgo Πλωταρχος legebatur. Verum viderunt Cochi apud Bracci memorie T. II. p. 176. et Uhdenius in commentatt. Regiae acad. Berolin. 1822. p. 234.

PROTOGENES.

Pictor nobilissimus, simul et statuarius Apelli aequalis, quo tamen diutius vitam extendit, cum Olympiade etiam CXIX. superstes esset, quo anno Rhodus a Demetrio oppugnata est. Eum circa Ol. CIV. natum fuisse, non sine probabilitate coniecit Meyerus hist. art. T. I. p. 189. De eo inprimis audiendus Plinius XXXV. 10. s. 36. loco corruptissimo, cui restituendo quantopere vires meae impares sint, ipsemet optime perspicio.

Simul ut dictum est [1]) *et Protogenes floruit. Patria ei Caunus,* [2]) *gentis Rhodiis subiectae. Summa paupertas initio, artisque summa intentio, et ideo minor fertilitas. Quis eum docuerit, non putant constare; quidam et naves pinxisse usque ad quinquagesimum annum;* [3]) *argumentum esse, quod cum Athenis celeberrimo loco Minervae delubri propylaeon pingeret, ubi fecit nobilem Paralum et Ammoniada,* [4]) *quam quidam Nausicaam vocant, adiecerit parvulas naves longas in iis, quae pictores parerga appellant, ut appareret a quibus initiis ad arcem ostentationis opera*

---

1) Quum de Apelle sermo esset. — 2) Pausan. I. 3, 4. Plutarchi Demetr. 22. Πρωτογένης Καύνιος. Verba statim sequentia *gentis Rhodiis subiectae* multa difficultate laborant. Etenim omnes codd. plane alia praebent; et omissis Reg. II. Colbert. quorum auctoritas fere nulla est, Dufresn. I. exhibet: *patria si caunus gentis obisubletia,* Reg. I. vero: *patria Africanus gentis obi sublecia.* A quo ea quae nunc in edd. regnat interpolatio intrusa fuerit, nondum compertum habeo; Plinium certe id non scripsisse, luce, ut aiunt, clarius est. Pertinet hic locus ad eorum numerum, de quibus iudicium difficillimum est, quum in iis varia scribere potuerit auctor, quorum unum ad codd. proxime accedens eligendum est. Quodsi mihi hariolari licet, nolo enim meae coniecturae aliud dare nomen, vide an scriptura codicis Reg. I. GENTISOBISUBLECIA nasci fortasse potuerit ex GENS CONTIGUA LYCIAE? Caunus fuit oppidum Cariae, proxime adiacens Lyciae. Suidas eum Xanthi Cariae oppidulo natum fuisse tradit. — 3) ita Reg. I. Vulgo *annum quinquagesimum.* — 4) Reg. I. Edit. I. *Amoniadam,* unde verum restitui. Reg. II. *hammonia-*

sua pervenissent. Palmam habet tabularum eius Ialysus, qui est Romae, dicatus in templo Pacis. Cum pingeret eum, [5]) *traditur madidis lupinis vixisse, quoniam simul et* [6]) *famem sustinerent et sitim, ne sensus nimia dulcedine obstrueret. Huic picturae quater colorem induxit, contra subsidia* [7]) *iniuriae et vetustatis, ut decedente superiore inferior succederet. Est in ea canis mire factus, ut quem pariter casus* [8]) *pinxerit. Non iudicabat se in eo exprimere* [9]) *spumam anhelantis, cum in reliqua parte omni,* [10]) *quod difficillimum erat, sibi ipse satisfecisset. Displicebat autem ars ipsa, nec minui poterat, et videbatur nimia, ac longius a veritate discedere, spumaque illa pingi, non*

---

dam, Colb. *hamoniadam,* edd. antt. *hemionida,* quod Harduinus (cum Dufresn. I.) in *hammoniada* mutavit, qui autem more suo hanc emendationem, quae proxime a veritate abfuit, alii subripuit; dudum enim ita coniecerat Valesius ad Harpocrat. p. 419. ed. Lips. Interpretationem quoque huius emendationis tacite ab alio mutuatus est, verbo tenus exscribens Maussacum ad Harpocrat. p. 85. ed. Lips. — 5) Ita scripsi e Reg. I. II. Dufresn. I. Colbert. Antea: *quem cum pingeret.* — 6) *simul et famem,* ita Reg. I. II. Dufr. I. Colbert. Vulgo deest copula. — 7) Harduinus et Brotier. ediderunt: *induxit, subsidio.* Sed Voss. Gud. Men. Acad. Reg. I. II. Dufr. I. Colbert. Edit. I. *contra subsidia* exhibent, recte probante I. Fr. Gronovio, neque improbante, ut videtur, Gesnero in Chrestom. Plin. p. 997. *Subsidium* pro *insidiis* dictum. — 8) Ita Reg. I. Dufr. I. Voss. In editt. vulgg. inseritur *et ars.* — 9) Ita Voss. Reg. I. Dufresn. I. Acad. Edit. I. Vulgo: *exprimere in eo.* — 10) *parte omni* habent Reg.

ex ore nasci, anxio animi cruciatu, cum in pictura verum esse, non verisimile vellet: absterserat saepius, mutaveratque penicillum, nullo modo sibi approbans. Postremo iratus arti, quod intelligitur, [11]) *spongiam eam* [12]) *impegit inviso loco tabulae; ex illa* [13]) *reposuit ablatos colores, qualiter cura optaverat, fecitque in pictura fortuna naturam. Hoc exemplo eius similis et Nealcem successus in spuma equi, similiter spongia impacta, secutus dicitur, cum pingeret poppyzonta* [14]) *retinentem equum. Ita Protogenes monstravit et Fortuna. Propter hunc Ialysum, ne cremaret tabulam* [15]) *Demetrius rex, cum ab ea parte sola posset Rhodum*

I. Dufresn. I. Vulgo: *omni parte.* — 11) *intelligitur,* ita Reg. I. Dufr. I. Edit. I. Vulgo *intelligeretur.* — 12) pronomen *eam* Reg. II. Colbert. omittunt, quibuscum consentirem, nisi hi ipsi codd. valde suspecti essent. Quum vero *eam*, quod Reg. I. Dufresn. l. retinent, omnino non explicari possit, legerim *etiam,* i. e. adeo. — 13) *Ex illa* scripsi Reg. I. Dufresn. I. auctoribus, cum vulgo legatur *et illa.* Praepositio *ex* saepe significat idem quod: alicuius ope. — 14) Omnem hunc locum *Hoc exemplo - poppyzonta* iam Gronovius ex Voss. cui nunc accedunt Reg. I. Dufr. I. Edit. I., egregie restituit, lapsus statim post in verbis *retinentem equum.* Codices alii alia dant: Voss. *retinent pamecum*, Reg. I. Dufresn. I. *retinentem pane cum,* Acad. *retinente panetum*, Gud. Menap. *retinente pamecum*, Reg. II. *retinentem panetum*, Colbert. *retinente panecum*, Edit. I. *retinent panecum.* Et de hoc quidem nemo dubitabit, quin ex literis *e cum* restituendum sit *equum*, quo facto remanent monstra lectionum *pam* vel *pan,* unde Gronovius exsculpsit: *retinent Parii equum,* hac

capere, non incendit: parcentemque picturae fugit occasio victoriae. Erat tunc Protogenes in suburbano suo hortulo, [16]) *hoc est, Demetrii castris. Neque interpellatus proeliis inchoata opera intermisit omnino, nisi adcitus a rege; interrogatusque, qua fiducia extra muros ageret respondit, scire se cum Rhodiis illi esse,* [17]) *non cum artibus. Disposuit* [18]) *rex in tutelam eius stationes, gaudens quod posset manus servare, quibus iam pepercerat: et ne saepius avocaret, ultro ad eum*

---

addita interpretatione: „personam ποππύζοντος periisse nescio quo casu; eam partem, qua equus erat pictus, superesse apud istos." Non opus est, prolixius explicare, quapropter hoc admitti nequeat; equidem legi maluerim; *retinentem palpo equum.* Vide Gesneri thes. L. L. — His iam scriptis, Gulielm. Dindorfius elegantem Aug. Seidleri de hoc loco coniecturam amicissime mecum communicavit: *par equum* i. e. equorum (ein Paar Pferde), quam mirifice mihi arridere fateor. — Postea vocem *Canem*, quae ante *ita* legebatur, eieci auctoribus omnibus codd. Minime tamen cum Gronovio legendum *Fortunam*, cum, si tale quid admittere velis, potius *Protogenem monstravit et Fortuna* restituendum esset; sed ad vocem *monstravit* ex superioribus repetendum vel *Canem* vel *Naturam.* — 15) Ita Reg. I. Edit. I. Vulgo: *tabulas.* — 16) ita Reg. I. Dufresn. I. Antea *hortulo suo.* — 17) Vulgo: *cum Rhodiis illi bellum esse.* Penultimam vocem egregie omittit Reg I. Saepe reperitur: *est mihi tecum,* ich habe mit dir zu thun Ceterum de hac imagine v. Plin. VII. 38. Gellius XV. 3. Strabo XIV. p. 965. Plutarchi Demetr. 22. ubi v. Facium in excerptis ex Plutarchi opp. p. 193. sq. — 18) vulgo hic inseritur *ergo*, omissum ab Reg. I. Dufresn. I.

venit hostis, relictisque victoriae suae votis inter arma et murorum ictus spectavit artificem. Sequiturque tabulam illius temporis haec fama, quod eam Protogenes sub gladio pinxerit. Satyrus hic est, quem Anapauomenon vocant, ne quid desit temporis eius securitati, tenentem tibias. Fecit et Cydippen, Tlepolemum, Philiscum tragoediarum scriptorem meditantem, et athletam, et Antigonum regem, et matrem [19]) *Aristotelis philosophi, qui ei suadebat, ut Alexandri Magni opera pingeret propter aeternitatem rerum. Impetus animi et quaedam artis libido in haec potius eum tulere. Novissime pinxit Alexandrum ac Pana; fecit et signa ex aere ut diximus.* [20])

Praeter haec opera unum non nisi a Pausania (I. 3, 4.) memoratur, picturae thesmothetarum in Curia Quingentorum Athenis, et videmus, Plinium Protogeni recte *minorem fertilitatem* tribuisse, natam ex *cura,* quam Quinctilianus (XII. 10.) potissimum in eo laudat. Petronius (Satir. 84.) eius rudimenta cum ipsius naturae veritate certantia dicit.

PTOLICHUS.

I. Statuarius Aegineta, filius et discipulus Synnoontis, quem Aristocles II. Canachi Sicyonii frater artem docuit. (Pausan. VI. 9, 1.) De eius aetate Odofr.

— 19) Vulgo *imaginem matris;* nostrum tuentur Voss. Reg. I. Dufresn. I. Edit. I. — 20) supra XXXIV. 8. s. 19. ubi Protogenes statuariis accensetur, qui athletas, armatos, venatores sacrificantesque fecerunt.

Müllerus (Aegin. p. 104.) et Thierschius (Epoch. Art. Gr. III. Adnot. p. 84.) disseruerunt, quorum ille Ptolichum ante Ol. LXXVI. hic circa Ol. LXXIX. floruisse tradit. Equidem s. v. *Aristocles* Ol. LXXXII. eum vixisse conieci, et si quid video, sententiae Mülleri et Thierschii opinioni meae non refragantur, ita ut Ptolichus ab Ol. LXXVI. usque ad LXXXII. artem exercuerit, quod, post Aeginae (Ol. LXXX. 4.) devictionem Elide facere potuit. Commemorantur enim eius tantum statuae Hieronicarum, Theogneti Aeginetae (Paus. VI. 9, 1.) et Epicradii Mantineensis (VI. 10, 2.)

II. Statuarius Corcyraeus, discipulus Critiae Atheniensis, quem quum circa Ol. LXXV. potissimum floruisse suo loco demonstraverimus, Ptolichus fere Ol. LXXXI. vixit. (Pausan. VI. 3, 2.)

PYLADES.

Scalptor gemmae descriptae a Iongio in Catalogo Musei Batavi p. 167.

PYREICUS.

Pictor incertae aetatis et patriae, de quo Plinius XXXV. 10. s. 37. haec tradidit: *Subtexi par est minoris picturae celebres in penicillo, e quibus fuit Pyreicus, arte paucis postferendus: proposito, nescio an destruxerit sese, quoniam humilia quidem secutus, humilitatis tamen summam adeptus est gloriam. Tonstrinas, sutrinasque pinxit, et asellos et obsonia ac similia: ob hoc cognominatus rhyparographos, in iis*

consummatae voluptatis. Quippe eae pluris veniere, quam maximae multorum. Welckerus quidem ad Philostrat. p. 396. *rhopographos* legendum censet; sed ut taceam in omnibus codd. Pariss. *rhyparographos* sine ulla varietate exstare, quod in tali voce multi momenti est, ῥυπαρογραφία quoque non tam de obscoenis quam potius de sordidis rebus, quales tonstrinae sutrinaeque sunt, usurpatur. Huc accedit, quod ῥῶπα tantum de mercibus parvis dictum invenitur, unde Welckeri emendatio ferri posset, nisi praeter *obsonia* a Plinio alia quoque commemorata essent. Recte vero idem Vir Doctiss. l. l. post *Beroaldum* Propertio III. 9, (7. ed. Burm.) 12. e codd. Vatic. I. IV. (de aliis tacent interpretes) restituit:

Pyreicus parva vindicat arte locum,

„ubi pro nomine minus noto librariorum et editorum quorundam inscitia *Parrhasius* substitutus est."

PYRGOTELES.

Scalptor gemmarum suae aetatis nobilissimus, memoratus a Plinio VII. 37. XXXVII. 1. s. 4. Appul. Florid. (v. s. v. *Lysippus* et *Apelles*). Vetuit Alexander Magnus, se ab alio scalpi quam a Pyrgotele. Duae etiamnum huius artificis gemmae exstare dicuntur (Bracci memorie tab. 98. 99.) quas tamen spurias esse Winckelmannus Opp. T. VI. P. I. p. 107—111. pluribus argumentis evicit.

PYRILAMPES.

Statuarius Messenius incertae aetatis, qui statuas hieronicarum fecit. Pausan. VI. 3, 5. 15, 1. 16, 4.

PYROMACHUS.

Statuarius incertae patriae qui floruit Ol. CXX. Fecit Alcibiadem in quadriga, et cum aliis artificibus proelia Attali et Eumenis adversus Gallos (Plin. XXXIV. 8. s. 19. passim), ut etiam Ol. CXXVI. superstes esset, quum Galli Ol. CXXV. 3. in Asiam transirent. Eius discipulus Mydo Soleus pictor non ignobilis fuit; Plin. XXXV. 11. s. 40. ubi quod Brotierius reposuit nomen *Philomachi*, supra s. v. *Mydo* e cod. Reg. I. reieci.

PYRRHO.

Philosophus nobilissimus, antea pictor fuisse dicitur. Elide quoque in gymnasio aiunt asservari *λαμπαδιστάς* non infeliciter ab eo elaboratos. Diog. Laert. IX. §. 61. ex Antigono Carystio, Suidas s. v.

PYRRHUS.

I. Architectus qui cum filiis Lacrate et Hermone fecit thesaurum Epidamniorum Olympiae. (Pausan. VI. 19, 5.)

II. Statuarius qui fecit Hygiam et Minervam. Plin. XXXIV. 8. s. 19.

PYTHAGORAS.

I. Statuarius Rheginus ex Italia, qui circa Ol. LXXIII. artem exercere incepit, quum statuam Astyli Crotoniatae qui hac Olympiade vicit (Mülleri Doriens. T. II. p. 497) fecerit. Idem vero etiam Ol. LXXXVII. superstes fuisse dicitur, auctore certe Plinio (XXXIV.

8. s. 19. vide tamen infra) qui paullo post haec de eo refert:

Vicit Myronem Pythagoras Rheginus ex Italia, pancratiaste Delphis posito. Eundem vicit et Leontinus, qui fecit stadiodromon Astylon, qui Olympiae ostenditur: et Libyn puerum tenentem tabellam, eodem loco, et mala ferentem nudum. Syracusis autem claudicantem: cuius ulceris dolorem sentire etiam spectantes videntur. Item Apollinem, serpentemque eius sagittis confici: citharoedum, qui Dicaeus appellatus est, quoniam cum Thebae ab Alexandro caperentur, aurum a fugiente conditum, sinu eius celatum esset. Hic primus nervos et venas expressit, capillumque diligentius. — Rhegini autem discipulus et filius sororis fuisse Sostratus traditur.

Ita hunc locum Brotierius scripsit, a quo in nonnullis verbis Viri Docti recte quidem recesserunt, ita tamen ut non omnes dubitationes sustulerint. Et primum quidem pro *pancratiaste* scribendum est *pancratiasta*, quod codicum lectiones quamvis corruptissimae abunde comprobant, in quibus ultimae duae vocis syllabae in *hasta* transierunt. — In seqq. Brotierius Harduini interpolationem recepit, qui, quum antea *Leontius* exstaret, nomen artificis novum atque inauditum, *Leontinus* edidit, ut tres Pythagorae inter se discernantur, Rheginus, Leontinus, Samius. Sed Heynius (Opusc. Acad. T. V. p. 371.) hunc Harduini errorem bene perspexit, et ex Pausania (VI. 4, 2. *τὸν δὲ ἀνδριάντα Λεοντίσκου Πυθαγόρας ἐποίησεν ὁ Ῥηγῖνος*) et vestigiis veterum editionum verba ita refinxit:

Vicit eum Pythagoras - posito. Et Leontiscum fecit et stadiodromon Astylon, deletis igitur verbis *eundem vicit,* quod improbans Thierschius (Epoch. Art. Gr. II. Adnot. p. 66.) tentat: *Eundem vicit et Leontisco. Fecit et Stadiodromon* etc. Huic vero coniecturae obstat partim res ipsa, cum si Pythagoras Myronem bis vicisset, Plinius hoc certe multo maiore verborum ornatu praedicasset, partim codicum scriptura, quae quantumvis vel interpolata vel corrupta, ad alia tamen nos deducit. Etenim codd. Reg. II. Colbert. Dufresn. I. habent: *Eodem vicit et leontius cum fecit hasta diadromon astilon,* Reg. I. *eodem vicit et leonti* [iam sequitur rasura brevissima] *cum fecit et stadias dromon,* unde apparet accusativum neque dativum vocis *Leontiscus* in autographo Pliniano fuisse. Quodsi iam scripturam Regii I. fundum ponimus: POSITO EODEM VICITETLEONTISCUM, vix dubitem quin haec coniectura scriptoris manum prae se ferat: *Delphis posito. Idem fecit et Leontiscum, fecit et stadiodromon Astylon.* Crebra neque vero Plinio inusitata repetitio (vide huius section. §. 2. 4. rell.) vocis *fecit* librarios primum perturbasse videtur, quo accessit similitudo extremae syllabae vocis *posito* cum initio voculae *eodem.* De *Astylo* vero *Stadiodromo* cfr. Pausan. VI. 13, 1. qui praeterea has Olympionicarum statuas a Pythagora factas recenset: Protolai Mantineensis (VI. 6, 1.) Euthymi simulacrum spectatu dignissimum (6, 2.) Dromei Stymphalii (7, 3.) Mnaseae Cyrenaei, quem Libyn cognomento appellaverunt, (13, 4.) cuius filium Cratisthenem et ipse in curru

aeneo adstante Victoria finxit (18, 1.) Alii scriptores haec eius opera commemorant: Perseus alatus (Dio Chrysost. Orat. XXXVII. T. II. p. 106. ed Reisk.) Europa tauro insidens (Tatianus c. Graec. 53. p. 116. ed. Worth.) Polynices et Eteocles mutuo se occidentes (id. 54. p. 118.); et nescio an ei tribuendus sit Bacchus, cum certe pulcherrima huius Dei statua a Proclo in Append. Anthol. Palat. T. II. p. 782. ita celebretur:

Ρηγίνου μελάθροισι τὸν εὐαστῆν Διόνυσον
Δέρκεο κ. τ. λ.

Praeceptorem habuit Pythagoras Clearchum Rheginum, qui hac de causa Ol. LXVIII. floruerit necesse est. Diogenes vero Laertius VIII. Pythag. 25. haec habet: *καὶ ἄλλον, ἀνδριαντοποιὸν Ῥηγῖνον γεγονέναι φασὶ Πυθαγόραν, πρῶτον δοκοῦντα ῥυθμοῦ καὶ συμμετρίας ἐστοχάσθαι· καὶ ἄλλον, ἀνδριαντοποιὸν Σάμιον,* quae verba Harduini de tertio quodam Pythagora Leontino sententiam funditus evertunt, nosque ad hunc ipsum Samium deducunt.

II. Statuarius Samius, de quo Plinius l. l. ait: *Fuit et alius Pythagoras Samius, initio pictor, cuius signa ad aedem Fortunae huiusce die* (v. s. v. *Phidias*) *septem nuda et senis unum laudata sunt. Hic supra dicto* (Rhegino) *facie quoque indiscreta similis fuisse dicitur.* Ad hunc Samium Pythagoram referenda esse videntur verba Pausaniae IX. 35, 2. *καὶ πρὸς τῷ ὀνομαζομένῳ Πυθίῳ Χάριτες καὶ ἐνταῦθά εἰσι, Πυθαγόρου γράψαντος Παρίου,* quam vocem in *Σαμίου* refingendam esse censeo. Quo tempore vero P. Sa-

mius vixerit, nunc non constat, nisi quidem verba Plinii „*Olympiade* LXXXVII. *fuere — Callon — Pythagoras*“ Samium neque Rheginum spectare arbitreris, de quo facile cogitari potest, quum Rheginum iam Ol. LXXIII. artificem non ignobilem fuisse supra viderimus.

PYTHEAS.

I. Caelator argenti qui paullo post Pompeii Magni aetatem vixit, de quo Plin. XXXIII. 12. s. 55. haec habet: *Fuit dein* (post Posidonium Pompeii aequalem) *Pytheas, cuius duae unciae* XX. [ita Voss. Gud. Men. Acad. Reg. II. Dufresn. I. Colbert. Ed. I. Vulgo et Reg. I. X.] *venierunt. Ulixes et Diomedes erant in phialae emblemate, Palladium surripientes. Fecit idem et coquos, Magiriscia appellatos parvulis potoriis, sed e quibus ne exempla quidem liceret exprimere; tam opportuna iniuriae subtilitas erat;* v. I. Fr. Gronov. ad Sen. Brev. Vit. 17.

II. Pictor natus Burae urbe Achaiae, qui muros pinxit, et Pergami fecit elephantem. Steph. Byz. s. v. Βοῦρα.

PYTHEUS.

Architectus incertae patriae atque aetatis, qui pariter atque alii *antiqui architecti negavit Dorico genere aedes sacras oportere fieri, quod mendosae et disconvenientes in his symmetriae conficerentur.* Vitruv. IV. 3, 1.

PYTHIAS.

Statuarius incertae patriae qui Ol. CLV. vixit. Plin. XXXIV. 8. s. 19. Ita nomen artificis exhibent

Dufr. I. Reg. II. Colb. Sed Reg. I. *Pytas*, Reg. III. IV. Dufresn. II. *Pitas.*

PYTHIS.

Sculptor incertae patriae qui circa Ol. CVII. vixit, siquidem quadrigam marmoream in summo Mausoleo (Amalth. Vol. III. p. 286.) fecit. Plin. XXXVI. 5. s 4. Artificis nomen, uti ego scripsi, exhibent Reg. I. Dufr. I. Colbert. At Reg. II. *Pitis.*

PYTHIUS.

Architectus antiquus qui Prienae aedem Minervae nobiliter est architectatus, cuiusque de hac arte commentarios laudat Vitruvius I. 1, 12.

PYTHOCLES.

Statuarius probatus incertae patriae, qui Ol. CLV. floruit. Plin. XXXIV. 8. s. 19.

PYTHOCRITUS.

Statuarius incertae patriae atque aetatis, quem Plinius XXXIV. 8. s. 19. iis artificibus adnumerat, qui fecerint athletas, armatos, venatores sacrificantesque.

PYTHODICUS.

Statuarius et pictor incertae aetatis et patriae, nullo operum suorum praecipuus. Plin. XXXIV. 8. s. 19. ubi nomen e Reg. I. casu excidit, cum retineant illud Dufr. I. II. Reg. III. IV.

PYTHODORUS.

I. Statuarius Thebanus, qui floruit ante Phidiam, siquidem ἄγαλμα ἀρχαῖον Iunonis, Coroneae positum fecit, quod manu Sirenas tenuit. Pausan. IX. 34, 2.

II. III. Sculptores duo, qui primo post Ch n. seculo Palatinas domos Caesarum probatissimis signis replevere. Plin. XXXVI. 5. s. 4. coll. Thiersch, Epoch. Art. Gr. III. Adnot. p. 109.

Q.

QUINTILIUS.

Scalptor gemmarum, quarum duae exstant, in Bracci memorie tab. 100. (Neptunus) et Spilsbury's Gems nr. 27. (Mercurius nudus.)

QUINTUS.

Scalptor, cuius unius gemmae fragmentum tantum exstat. Fuit filius Alexandri, et frater Auli II. (V. Bracci memorie tab. 8.)

R.

RABIRIUS.

Architectus Romanus a Martiali aequali laudatus, VII. 5.

RHEGIO.

Scalptor memoratus a Comite Illustr. de Clarac in Catalogo Musei Regii Gallici p. 422.

RHOECUS.

Quo tempore hic vir, cui Graeca ars plurima debere traditur, floruerit, infra s. v. *Theodorus* I. videbimus. Fuit Sami natus, filius Philaei (Herod. III. 60. Pausan. VIII. 14, 5. IX. 41, 1. Thiersch. Epoch. Art. Gr. II. Adnot. p. 56.), et cum Theodoro aeris fundendi artem invenit (Paus. l. l.), quod idem Plinius (XXXV. 12. s. 43.) tradit mirum tamen simul errorem committens, quem recte notavit Welckerus ad Philostr. p. 196. Theodori opus nusquam repererat Pausanias, Rhoeci vero vidit statuam Noctis in templo Dianae Ephesio (X. 38, 3.) Ceterum et architectus nobilis fuit Rhoecus, siquidem amplissimum templum Sami (Herod. l. l.) et cum Smilide et Theodoro labyrinthum Lemni fecit. (Plin. XXXVI. 13. s. 19. emendante Heynio in opusc. acad. T. V. p. 342. cui assentiunt cum alii tum Müllerus in Aegin. p. 99.)

RUFUS.

I. Pictor commemoratus in Anthol. Gr. Palat. XI. 233. T. II. p. 386.

II. Scalptor gemmae in Raspii catalogo, 9823.

S.

SALPIO.

Sculptor Atheniensis incertae aetatis, cuius cratera e Pario marmore factum et affabre caelatum etiamnum possidemus, hac addita inscriptione ΣΑΛΠΙΩΝ ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΕΠΟΙΗΣΕ. (Gruteri thes. inscript. 67, 7. Spon miscell. erud. antiqu. II. 1. p. 25.)

SAMOLAS.

Statuarius Arcas, cuius duo signa ahenea Triphyli et Azanis Delphis posita innotuerunt. (Pausan. X. 9, 3.) Aequalis vero fuit, quod ex Pausàniae verbis certo colligere licet, Daedali minoris, Antiphanis aliorumque, quibuscum magnum Tegeatarum donarium ipsis Delphis positum fecit, unde eum circa Ol. XCIV. floruisse constat.

SARNACUS.

Architectus incertae aetatis et patriae, qui praecepta symmetriarum conscripsit. (Vitruv. VII. Praef. §. 14.)

SATUREIUS.

Caelator incertae aetatis et patriae, cuius Arsinoen crystallo caelatam memorat Anthol. Gr. Palat. IX. 776.

Ζεύξιδος ἡ χροιή τε καὶ ἡ χάρις, ἐν δέ με μικρῇ
Κρυστάλλῳ, τὸ καλὸν δαίδαλον Ἀρσινόη
Γράψας τοῦτ' ἔπορεν Σατυρήϊος· εἰμὶ δ' ἀνάσσης
Εἰκών, καὶ μεγάλης λείπομαι οὐδ' ὀλίγον.

SATYRUS.

Architectus incertae patriae qui cum Phiteo Mausoleum inde ab Ol. CVII. (v. Amalthea T. III. p. 286.) aedificavit aedificatumque descripsit. (Vitruv. VII. Praef. §. 12.) Diversus ab eo fuit alter Satyrus Alexandrinus, qui tempore Ptolemaei Philadelphi Olymp. CXXX. vixit. (Plin. XXXVI. 9. s. 14.)

SAURIAS.

Samius qui equum in sole circumscribens σκιαγραφίαν invenit. (Athenag. legat. pro Christ. 14. p. 59. ed. Dechair.)

SAURUS vide BATRACHUS.

SCOPAS.

Sculptor nobilissimus, de quo priusquam agere licet, dicendum est de loco Plinii XXXIV. 8. s. 19. ubi in editt. Hard. Brot. al. ex Barbari coniectura (qui eam e codd. interpolatis hausisse videtur, quum certe Reg. III. *philosophos Scopas utraque* exhibeat) haec leguntur: *Simon canem et sagittarium fecit. Stratonicus caelator ille philosophos; Scopas utraque,* quorum verborum duo extrema adeo inepta sunt, ut mirum sit, nullum interpretem in iis offendisse. Et codicibus quidem obiter tantum inspectis apparet, *Scopae* nomen a librariis in textum illatum fuisse, cum a plerisque iisque optimis absit. Etenim Reg. I. IV. habent: *caelator ille philosophus uterque;* Dufresn. II. *ille philosophos. Uterque athletas et arma-*

tos, quod quam male correctum sit, ex verbis sequentibus huc vero non pertinentibus elucet. De Dufresn. I. Reg. II. Colbert. sermo hic esse non potest, in quibus totus locus desideretur. Ut dicam quod sentio, non solum *Scopas*, verum et *uterque* librarii alicuius commentum esse puto, qui memor, Plinium nostro loco de iis artificibus loqui voluisse, qui eiusdem generis opera fecerant, verbo *philosophos* adscripsit *uterque*, oblitus scilicet Plinium propositi sui minime tenacem singulorum quoque artificum singula opera laudasse, qua de re Cephisodotum, Daippum, Pistonem notasse sufficit. Remoto igitur Scopa illo ficticio neque vero fictore, *philosophos* periodum claudit, et transire nunc licet ad ipsum, de quo agimus, artificem. Fuit is in insula Paro natus (Strabo XIII. p. 604. C. Pausan. VIII. 45, 4.) et potissimum intra Ol. XCVII. et CVII. floruit. Cuius sententiae argumenta iam alibi a me exposita (Amalth. Vol. III. p. 285. sq.), hic breviter repetere iuvat. Scopas igitur templi Minervae Tegeatici in Arcadia aedificandi particeps fuit, quod post Ol. XCVI. 2. demum fieri potuit, quo anno vetus templum deflagravit. (Pausan VIII. 45, 1.) Simili ratione eum et in aede Dianae Ephesiae faciendа, quae post Ol. CVI. 1. condi coepta est (Clinton fasti Hell. p. 114.) operam praestitisse apud Plin. XXXVI. 14. s. 21. legimus, ubi tamen quum in editionibus vulgatis verba exstent: *ex iis (columnis) XXXVI. caelatae, una a Scopa,* neque hanc scripturam neque Winckelmanni (Monumenti ined. T. II. p. 271.) emendationem licet ingeniosam *uno e scapo*

probaverim. Auctore potius codice Reg. I. a quo praepositio *a* abest, locum interpunctione paululum immutata ita legendum suspicor: *caelatae. Una Scopa operi praefuit Chersiphron* etc. ut iam verum artificis nomen, cui illud templum aedificandum commissum fuerat compertum habeamus, quum de Chersiphrone sermonem esse non posse quisque sciat, de *Dinocrate* (v. supra) res incerta sit. Ablativus vero *Scopa* ab adverbio *una* pendet eandem vim habente, quam saepe in adverbio *simul* inesse videmus, ut apud Tacitum Ann. IV. 55. VI. 9. (v. Vechn. Hellenol. p. 380.) Adde Zumptii Gram. lat. p. 262. Denique Plinius (XXXVI. 5. s. 4.) nos docet, Scopam cum Bryaxide, Timotheo et Leochare in exornando Mausoleo industrium fuisse. Mausolus autem quum Ol. CVI. 4. obierit (Clinton fasti Hellen. p. 262.) sequenti saltem Olympiade Scopas in eius sepulcro caelando occupatus fuit, unde quod supra posui confirmatur. De operibus vero plurima et gravissima debemus Plinio XXXVI. 5. s. 4 cuius verba haec sunt:

Scopae laus cum his [1]) *certat. Is fecit Venerem et Pothon,* [2]) *qui Samothrace sanctissimis caerimoniis coluntur. Item Apollinem Palatinum, Vestam sedentem laudatam in Servilianis hortis, duasque chametaeras circa eam, quarum* [3]) *pares in Asinii monu-*

---

1) Praxitele et Cephisodoto. — 2) Post *Pothon* vulgo inserunt *et Phaetontem*, quae verba auctore Reg. I. omisi. — 3) *chametaeras - quarum*, haec Harduini neque codicum lectio merito habet, quo offendat. Primum enim ipsa vox

mentis sunt, ubi et Canephoros eiusdem. Sed maxima in dignatione delubro Cn. Domitii in Circo Flaminio Neptunus ipse et Thetis atque Achilles, Nereides supra delphinos et cete et hippocampos sedentes. Item Tritones, chorusque Phorci et pistrices, [4] *ac multa alia marina, omnia eiusdem manus, praeclarum opus, etiamsi totius vitae fuisset. Nunc vero praeter supra dicta, quaeque nescimus, Mars etiamnunc est sedens colosseus eiusdem, in templo Bruti Callaici apud Circum eundem. Praeterea Venus in eodem loco nuda Praxiteliam illam antecedens,* [5] *et quemcunque alium locum nobilitatura. — — Haesitatio est in templo Apollinis Sosiani, Niobae liberos morientes* [6] *Scopas an Praxiteles fecerit: item Ianus pater in suo templo dicatus ab Augusto, ex Aegypto advectus, utrius manus sit, iam quidem et auro occultatur. Similiter in Curia Octaviae quaeritur de Cupidine fulmen tenente.*

---

rarior est, quam qua ad signa describenda uti potuerint; deinde nemo facile explicuerit quid *chametaerae* cum Vesta commune habeant (v. Schneider lex. Gr. s. v. χαμεταιρίς); denique ea lectio nimis ab omnibus codd. recedit, in quibus est: *duosque camiteras — quorum*, unde tamen quid efficiendum sit, nondum liquet. — 4) ita Voss. Reg. I. II. Colb. Men. Gud. Acad. Vulgo: *pristes.* — 5) Ita totidem literis Reg. I. In Voss. Dufr. I. est: *Praxitelia illam antecedens.* De tempore quo utraque statua facta fuerit neque de eorum pretio hic agi, vidit Brotierius. — 6) Vulgo *Nioben cum liberis morientem.* At quum in Reg. I. legatur: *Sosia intobe liberos morientes,* quod idem habet Dufr. I. nisi quod in eo est *liberiis*, equidem a vul-

Id demum adfirmatur, Alcibiadem esse principem forma in ea aetate. — — Scopas habuit aemulos eadem aetate, Bryaxin et Timotheum et Leocharem, de quibus simul dicendum est, quoniam pariter caelavere, Mausolo Cariae regulo, qui obiit Olympiadis centesimae sextae 7) *anno secundo. Opus id ut esset inter septem miracula, ii maxime artifices fecere. — — Ab oriente caelavit Scopas etc.*

Praeterea alii scriptores haec Scopae opera commemorant:

I. *Apollo Smintheus* Chrysae oppido Troadis; Strabo XIII. p. 604. C. et ex eo Eustath. ad Iliad. α. 39. p. 34, 16. ed. Rom.

II. *Bacchus* Cnidi. Plin. l. l. paullo supra.

III. *Mercurius* laudatus in Anthol. Gr. IV. 12, 192. (Append. Anth. Palat. T. II. p. 684.)

IV. *Hercules* Sicyone dedicatus. (Paus. II. 10, 1.)

V. VI. *Aesculapius* imberbis cum *Hygia* Gortyne in Arcadia. Pausan. VIII. 28, 1.

VII. VIII. IX. Ἔρως, Ἵμερος, Πόθος apud Megarenses in Veneris aede. Paus. I. 43, 6. Diversa haec signa fuerunt ab iis, quae Plinius noverat.

---

gata scriptura iure puto meo recessi. — 7) Hanc vocem (*sextae*) omittunt cum aliae editt. tum Brotier. invitis codd. Voss. Reg. II. Dufresn. I. Colb. Veram Regii I. scripturam rasura delevit. Ceterum de Plinii errore in definiendo quo Mausolus obierit anno egi Amalth. Vol. III. p. 286.

X. *Paniscus*, quem ex Cicer. Divin. I. 13. sumere possumus: *fingebat Carneades in Chiorum lapicidinis saxo diffisso caput exstitisse Panisci. Credo, aliquam non dissimilem figuram, sed certe non talem, ut eam a Scopa factam diceres.*

XI. *Minerva* in aditu portae Thebanae. (Paus. IX. 10, 2.)

XII. *Minerva* Cnidi. Plin. l. l.

XIII. *Diana* εὐκλεία Thebis. Paus. IX. 17, 1.

XIV. *Diana* memorata a Luciano Lexiph. 12. p. 335. cuius tamen auctoritati non multum tribuerim.

XV. *Hecate* Argis posita. (Paus. II. 22, 8.)

XVI. XVII. *Furiae* duae; v. supra s. v. *Calus.*

XVIII. *Baccha* insaniens; Simonides in Anthol. Planud. IV. 3, 60. (Append. Anth. Pal. T. II. p. 642.) Glaucus in Anthol. Pal. IX. 774.

XIX. *Aedes Minervae* Tegeaticae in Arcadia. Pausan. VIII. 45, 4. qui et signa in utroque fastigio collocata describit.

Appendicis loco his omnibus addantur Σκόπα ἔργα quae Tyrwhittus Straboni XIV. p. 640. insigni ingenii sagacitate restituit et Iacobsius (Amalth. T. II. p. 237 sqq. coll. T. III Praef. p. X. sq.) contra nonnullorum imperitam vulgatae lectionis (σκολιὰ ἔργα) defensionem praeclare vindicavit. Posita illa erant Ortygiae apud Ephesum, Latona quidem sceptrum gerens adstante Ortygia, quarum utraque infantem brachio tenet.

Sed iam restant duo loci hucusque nobis neglecti, quorum unus quaecunque aliunde de Scopae aetate sci-

mus evertit, simulque dubitationem de eius arte iniicit. Sunt haec verba Plinii XXXIV. 8. s. 19. qui artificibus Ol. LXXXVII. florentibus accenset *Pythagoram, Scopam, Perelium.* Dudum viderunt V. V. D. D. quantas difficultates haec verba moveant comparata cum iis quae de Mausoleo a Scopa post Ol. CVI. exornato traduntur, quum si utramque Olympiadem inter se componas centum saltem annos natus Scopas Ol. CVI. fuerit necesse sit, et proinde vel *Scopae* nomen illo loco eiicere (Heyne antiq. Aufs. I. p. 234. Böttiger Andeut. p. 153.) vel duos eiusdem nominis artifices sumere, (Fea ad Winckelm. T. II. p. 197.) vel denique Scopam in *Onatam* mutare voluerunt. (Thiersch. Epoch. II. Adnot. p. 31.) Alterum quod non minori iure contra *hunc Scopam* protulit Heynius l. l., versatur in eo, quod Scopas a Plinio ibi inter statuarios recensetur, quum alibi tantum de eius peritia lapidis sculpendi certiores simus. Hic vero paullisper nobis subsistendum et videndum est, an fortasse aliquid inveniatur, quod has difficultates expediat. Et hoc quidem invenisse mihi visus sum in eo nomine quod proxime Scopam apud Plinium sequitur *Perelius,* de cuius mala fide cum Heynius tum Thierschius cogitarunt, quorum hic inde exsculpsit *Perillum,* in quo ei assentire nequeo. Mihi potius in corrupta illa voce patria Scopae latere videtur, ut proinde duo sane Scopae discernendi sint, alter *Parius,* alter *Elius.* De quo posteriore quum nemo hucusque aliquid neque compertum habuerit, neque tradiderit, suspicio mea quibus argumentis nitatur, demonstran-

dum est. In edd. quidem vett. non *Perelius* sed *Parelius* legitur; et quum Pausanias (VI. 25, 1.) de *aeneo* Veneris vulgaris hirco insedentis simulacro *Elide* posito loquatur, in Amaltheae Vol. III. p. 288. coniecturam proposui, vocem *Parelius* per errorem Plinii ortam esse, qui quum in Graeco, unde sua hausit fonte, ΠΑΤΡΙΔΑΗΛΕΙΟΣ per compendium scriptum invenisset, novum inde artificem finxerit. Omnia nunc bene quadrant, patria artificis, quae eadem fuit urbs, ubi unum suorum operum dedicavit, et materia qua usus est. Ipsius quidem coniecturae me nondum poenitet; de ratione tamen, qua vox nata fuerit, nunc secus sentio. Scripserat Plinius *Scopas Elius*, quod quum librariorum unum paullo doctiorem offenderet, cui Scopae patria Paros nota fuit, hanc urbem illi suprascripsit, unde SCOPAS $\overset{\text{PAR}}{\text{ELIUS}}$ factum est. More vero solito (v. Hottinger. in Wielandi Museo Att. T. II. fasc. 2. p. 30.) alius librarius utramque lectionem deinceps scripsit, quod originem mirae vocis *Parelius* abunde explicare videtur.

SCYLAX.

Scalptor gemmarum ap. Bracci memorie tab. 101. 102. 103.

SCYLLIS vide DIPOENUS.

SCYMNUS.

Caelator et statuarius, nullo tamen operum suorum praecipuus, Critiae discipulus (Plin. XXXIV. 8. s. 19.), unde circa Ol. LXXXII. floruerit necesse est.

SELEUCUS.

Scalptor gemmae ap. Bracci nr. 104.

SEPTIMIUS.

Architectus qui de sua arte duo volumina ediderat (Vitruv. VII. Praef. §. 14.), nisi eum fortasse eadem ratione libros composuisse sumas, qua Varro et Plinius, usi illi quidem scriptis aliorum, neque sua experientia.

SERAMBUS.

Statuarius Aegineta incertae aetatis qui Agiadae Olympionicae signum fecit. Paus. VI. 10, 2.

SERAPIO.

Pictor incertae aetatis et patriae qui, quum hominem pingere non posset, scenas optime pinxit hisque magnam consecutus est gloriam. (Plin. XXXV. 10. s. 37.)

SILANIO.

I. Statuarius Athenis natus (Pausan. VI. 4, 3) qui Ol. CXIV. floruit, aequalis Lysippi. De eo inprimis videndus est Plinius XXXIV. 8. s. 19. qui haec habet: *In hoc* (Silanione) *mirabile, quod nullo doctore nobilis fuit. Ipse discipulum habuit Zeuxiadem,* ubi Harduinus et Brotierius veteres sed interpolatas editiones secuti scripserunt: *discipulos habuit Zeuxin et Iadem.* Sed ut mittam permirum illud nomen *Iades,* cum *Zeuxiadae* potius nomen simillimum sit *Calliadae* aliorumque, omnes quoque codices a me

collati eam quam ego exhibui lectionem, licet librariorum oscitantia leviter corruptam tuentur. Quorum a pessimo (Reg. II.) ut incipiam, *Silanionis* nomen et verba *ipse discipulum habuit* hic omittit, deinde vero *Zensiadem* praebet. In Dufr. I. Reg. IV. Colbert. *Silanionis* quidem nomen etiam deest, sed omnes servant scripturam: *nobilis fuit. Ipse discipulum habuit Zeusiadem.* In Reg. I. et III. *Silanionis* nomen legitur, et hic quidem exhibet deinde: *fuit. Ipse discipulos habuit Zeusiadem;* ille vero, cui fere ubique primae debentur, egregie haec praestat: *nobilis fit* (l. *fuit.*) *Ipse discipulum habuit Zeuxiaden.* De operibus vero Silanionis haec nobis traduntur: Plinius l. l. paullo infra eius *Apollodorum* (v. supra), *Achillem nobilem et Epistaten exercentem athletas* laudat. Fecit etiam *Satyrum Eleum* nobilem pugilem Olympiae (Pausan. VI. 4, 3.), ibidem *Telesten* et *Demaratum Messenios* (14, 1. 3.), *Iocasten moribundam* (Plutarchus de audiendis poet. 3. p. 69. T. VII. ed. Hutt.) cui loco Facius in excerptis recte admovit alium eiusdem scriptoris Quaest. Symp. V. 1. p. 680. T. VIII. ed. R. ubi verba leguntur: ἧς Φασιν εἰς τὸ πρόσωπον ἀργύρου τι συμμίξαι τὸν τεχνίτην, ὅπως ἐκλιπόντος ἀνθρώπου καὶ μαραινομένου λάβῃ περιΦάνειαν ὁ χαλκός) *Theseum* (Plutarch. Thes. 4.) *Platonem* (Diog. Laert. III. §. 25.) *Corinnam* (Tatian. adv. Gr. 52. p. 114. ed. Worth.) et *Sappho* τὴν ἑταῖραν (id. ibid. p. 113.) Hoc signum Cicero (Verr. IV. 57. §. 125. 126.) opus perfectum, elegans et elaboratum dicit, unum ex iis quae Verres Siculis abstulerat. Illo vocabulo ἑταίρας Vis-

contius, qui in Iconographia Graeca Vol. I. p. 69 sqq. duas feminas Lesbias Sapphus nomen gerentes fuisse contendit assentiente Hauterochio in diatribe de Sappho meretrice Eresia (Paris. 1822.) ad sententiam suam stabiliendam uti potuisset, quamvis ne sic quidem viro summo accedere possemus. Praeterquam enim quod Welckerus in dissertatione notissima Viscontium plane refutavit, Tatianus certe de discrimine aliquo inter Sappho poetriam Mytilenensem et meretricem Eresiam faciendo non cogitavit, quod cuique patebit, qui eius verba paullo post insequentia p. 114. perlegerit.

II. Architectus incertae aetatis et patriae, qui praecepta symmetriarum conscripsit. Vitruv. VII. Praef. §. 14.

SILENUS.

Architectus incertae aetatis et patriae, qui volumen de symmetriis Doricorum edidit. Vitruv. VII. Praef. §. 12.

SILLAX.

Pictor Rheginus qui Phliunte picturam in Polemarchia porticu fecerat; commemorant hunc pictorem Simonides et Epicharmus (Polemo ap. Athen. V. p. 210. B.), ita ut fere quingentesimo ante Ch. n. anno floruerit.

SIMENUS.

Statuarius incertae aetatis et patriae, qui a Plinio XXXIV. 8. s. 19. iis accensetur, qui athletas, armatos, venatores sacrificantesque fecerint. Dubito tamen, an ipsum artificis nomen integrum ad nos pervenerit.

SIMMIAS.

Sculptor incertae aetatis et patriae, filius Eupalami, cuius opus, Bacchum Morychum, memorat Zenobius V. 13. fin. *κατεσκεύασται δὲ ἀπὸ Φέλλα καλουμένου λίθου ὑπὸ Σιμμίου τοῦ Εὐπαλάμου*, unde Clemens Alexandr. Protr. p. 31. A. Sylb. emendandus est. Ibi haec verba, quorum unum nunc demum Thierschius Epoch. II. Adnot. p. 33. restituit, leguntur: *ἀλλ' ὅπως μήτις ὑπολάβῃ καὶ ταῦτά με ἀγνοίᾳ παρηκέναι, παραθήσομαι, τοῦ Μορύχου Διονύσου τὸ ἄγαλμα Ἀθήνησι γεγονέναι μὲν ἐκ τοῦ Φελλείτα καλουμένου λίθου, ἔργον δὲ εἶναι Σίκωνος τοῦ Εὐπαλάμου, ὡς φησὶ Πολέμων ἔν τινι ἐπιστολῇ.* Sylburgius pro inaudito *Siconis* nomine *Simonem* non sine probabilitatis specie restituerat, assentiente Thierschio; sed locus Zenobii veram nos docet scripturam, neque ulla ratione Müllero (Aeginet. p. 104.) accedere possum, qui corrupto Clementis loco ad corrigendum Zenobium uti mavult. De aetate vero Simmiae Thierschius statuit, eum vetustioribus artificibus adnumerandum esse, utpote quem Clemens Palladiis antiquissimis et Dipoeno Scyllidique adiungat.

SIMO.

Statuarius Aegineta „cum Dionysio Argivo equos et aurigas fecisse scribitur, quos Phormio Maenalius militia apud Gelonem et Hieronem clarus Olympiae posuerat. Paus. V. 27, 1. Plinio teste *Simon canem et sagittarium fecit,* XXXIV. 8. s. 19." Müllerus Aegin. p. 104. Quum supra Dionysii Argivi aetatem alio quoque argumento usus in Olymp. LXXVI. po-

suerim, nunc et Simoni hoc tempus tribuendum est. Commemoravit eum praeterea Diog. Laert. II. 123.

SIMONIDES.

Pictor incertae aetatis et patriae, qui fecit Agatharchum et Mnemosynen Plin. XXXV. 11. s. 40. Quis fuerit iste Agatharchus, non constat.

SIMUS.

I. Pictor incertae aetatis et patriae, qui *fecit iuvenem requiescentem in officina fullonis, Quinquatrus celebrantem, idem Nemesin egregiam.* Plin. XXXV. 11. s. 40.

II. Sculptor Salaminius, filius Themistocratis, incertae aetatis, qui fecit statuam Bacchi in museo Regio Parisino. V. Claracii catal. nr. 676.

SLECAS.

Scalptor gemmae apud Bracci T. I. p. 234. Ipsum tamen nomen, CΛΕΚΑΣ, incertum est, et ultra videndum, an vestigia adsint, quae aliquo ducere possint.

SMILIS.

Unus ex artificibus Graeciae vetustissimis, Daedali aequalis, qui plura simulacra lignea fecit. Fuit filius Euclidae Aegineta, gloriam Daedali non assecutus. (Paus. VII. 4, 4.) Nobilissimum eius signum Iuno Samia fuit, de qua egerunt Pausanias l. l. Clem. Alex. Protr. p. 13, 51. Sylb. (ubi pro corruptis vocibus σμίλῃ τῇ Εὐκλείδου cum Heynio Opusc. V. p. 344. le-

gendum est Σμίλιδι E.) et Callimachus ap. Euseb. Praep. Evang. III. 8. cuius verba haec sunt: Ἥρας δὲ καὶ Σάμιοι ξύλινον εἶχον εἶδος, (Bentl. recte ἕδος) ὥς φησι Καλλίμαχος·

> Οὔπω σκέλμιον ἔργον εἰς ξόανον, ἀλλ' ἐπὶ τεθμὸν
> Δὴ νεόγλυφον ὦναξ θεᾶς ἦσθα σανίς.
> Ὧδε γὰρ καθιδρύοντο θεοὺς τότε, καὶ γὰρ Ἀθήνης
> Ἐν Λίνδῳ Δαναὸς λεῖον ἔθηκεν ἕδος.

In restituendis his verbis oscitantia librariorum misere corruptis cum alii Viri Docti tum Bentleius (Fragm. Callim. 105. p. 477. Ern.) insignem operam posuerunt. Et pro σκέλμιον quidem Wesselingius Probab. 34. Valckenarius in Diatr. p. 215., Ernestius Σμίλιον reponendum esse viderunt; deinde Bentleius ἔργον εὔξοον ἀλλ' ἐπὶ τεθμοῦ Δηναίου γλυφάνῳ ἄξοος ἦσθα σανίς feliciissime restituit, dummodo cum Thierschio (Epoch. I. Adnot. p. 7. sq.) τεθμῷ Δηναίῳ γλυφάνων legas, cui res minus cessit, quum in reliquis ὦ θέα ἦσθα σανίς et in disticho sequenti pro λεῖον ἔθηκεν ἕδος (ubi iam Bentleius lapsus erat pro λεῖον coniiciens κίον') λᾶαν ἔθηκε βρέτας scribendum esse censeret. Ἕδος utique retinendum, quae vox apud optimum quemque scriptorem *statuam sedentem* significat (Boeckh. Corp. Inscr. I. p. 248.), cui sensui nunc eo plus tribuendum est, quum et Horas sedentes fecerit Smilis, de quibus infra. Λεῖον vero, quod Toupius ad Longin. p. 365. et Thierschius in λᾶαν mutarunt, quum *leve* significet, λεῖον ἕδος erit *statua sedens probe laevigata,* quod quum primo adspectu verborum nexui exadversus pugnet, tamen servandum esse puto, quia ex frag-

mento colligere nequimus, quid dicere voluerit Callimachus. Non tamen diffiteor, λᾶαν Toupianum verbis, uti nunc se habent, bene convenire eo sensu: *Danaus quoque Lindi lapidem loco statuae Minervae posuit.* Totus igitur locus Callimachi ex mea qualicunque sententia ita constituendus est:

Οὔπω Σμίλιον ἔργον εὔξοον, ἀλλ' ἐπὶ τεθμῷ
Δηναίῳ γλυφάνων ἄξοος ἦσθα σανίς.
Ὧδε καθιδρύοντο θεοὺς τότε· καὶ γὰρ Ἀθήνης
Ἐν Λίνδῳ Δαναὸς λεῖον ἔθηκεν ἕδος.

Praeter hanc Samiam Iunonem fecit alteram quoque Argis, verbo tantum commemoratam ab Athenagora legat. pro Chr. 14. p. 61. ed. Dechair. (v. Thiersch. l. l. p. 7.) et Horas in thronis sedentes in Heraeo Eleo (Pausan. V. 17, 1. ubi quod in edd. legebatur Ἔμιλος, a Valckenario diatr. p. 215. recte in Σμῖλις mutatum est coll. Paus. VII. 4, 5. Thiersch. l. l. p. 23.) De aetate vero Smilidis accurate contra Thierschium l. l. disputavit Müllerus Aegin. p. 98. unde eum centesimo fere post Troiam captam anno floruisse sequitur, ita ut Pausaniae sententia de Daedali aequalitate arctioribus paullo finibus circumscribenda sit.

Restat, de quo nunc agemus, locus Plinii XXXVI. 13. s. 19. ubi hic scriptor Lemnium labyrinthum a *Zmilo, Rholo* et *Theodoro* factum fuisse dicit. De *Theodoro* infra sermo est. *Zmilum* vero et *Rholum* Heynius (Opusc. Acad. T. V. p. 342. assentientibus Thierschio et Müllero l. l) recte in *Smilim* et *Rhoecum* mutavit. Incidit igitur huius labyrinthi exstructio, si de Rhoeco et Theodoro sermo est, in initium

Olympiadum, unde cum Smilis, de quo modo egimus, multo ante vixerit, Müllerus l. l. p. 100. duos huius nominis artifices distinxit, dicens idem huic nomini quod Daedali accidisse, ut talibus nominibus disciplinae tantum indoles notaretur et simul schola, cuius artifices fuissent indicaretur. Recte quidem hoc animadvertit Vir Egregius; fortasse tamen quis pro *uno* Smilide pugnaturus in eam suspicionem venire possit, exstructionem labyrinthi a Smilide inchoatam, deinde casu interruptam et ducentis fere demum annis post a Rhoeco et Theodoro ad finem perductam fuisse.

SOCRATES.

I. Sculptor Thebamus, de quo vide s. v. *Aristomedes.*

II. Sculptor et philosophus nobilissimus, filius Sophronisci, qui Gratias in introitu arcis Athenis fecit. (Pausan. I. 22, 8.) Tres eas fuisse tradit idem Pausan. IX. 35, 1. Marmoreae et vestibus indutae (Pausan. IX. 35, 2.) fuerunt. Adde Plin. XXXVI. 5. s. 4. *Non postferuntur et Charites in propylaeo Atheniensium, quas Socrates fecit, alius ille quam pictor, idem ut aliqui putant.* Ceterum ex Paus. I. 22, 8. discimus, eum una cum Gratiis Mercurium προπύλαιον fecisse ibidemque posuisse.

III. Pictor incertae patriae, quem, quum a Plinio XXXV. 11. s. 40. mediis in discipulis Pausiae commemoretur, huius institutione usum fuisse statuere possumus. Plinii verba haec sunt: *Socrates iure omnibus placet: tales* (ita ex omnibus Gronov. meisque

codd. legendum, nec *talesque*) *sunt eius cum Aesculapio filiae, Hygia, Aegle, Panacea, Iaso; et piger, qui appellatur Ocnos, spartum torquens, quod asellus adrodit.*

SOIDAS.

Statuarius, de quo vide s. v. *Menaechmus* I.

SOLO.

Scalptor incertae aetatis, qui secundum plerorumque V. V. D. D. sententiam Augusti aetate vixit. (Winckelm. Opp. T. VI. P. I. p. 223. Lewezow über den Raub des Palladiums p. 39.) Eius gemmas enumeravit Bracci memorie T. II. tab. 105—108.

SOMIS.

Statuarius incertae aetatis et patriae, qui fecit statuam Proclae Andrii victoris Olympici. Pausan. VI. 14, 5.

SOPHRONISCUS.

Sculptor Atheniensis, pater Socratis, qui fere Ol. LXXVIII. artem exercuerit necesse est. Eum λιθουργόν appellat Diog. Laert. II. Vit. Socr. init. Val. Max. III. 4. ext. I.

SOPOLIS.

Pictor incertae patriae, de quo vide s. v. *Dionysius* IV. In nonnullis Plinii edd. *Sopylus* dicitur.

SOSIBIUS.

Sculptor Atheniensis, incertae aetatis, cuius exstat vas caelatum in Museo Regio Parisino. (V. Claracii catal. nr. 332.)

SOSICLES.

I. Sculptor incertae aetatis et patriae, qui fecit Amazona in Museo Capitolino III. 46. de qua v. Meyerus ad Winckelm. Opp. IV. p. 355. sq. Nomen artificis incisum: CΩCIKΛH...

II. De scalptore huius nominis v. *Sosthenes*.

SOSTHENES.

Hoc scalptoris nomen reperire sibi visi sunt V. V. D. D. in corrupta inscriptione gemmae ap. Stosch. pierr. grav. tab. 69. Bracci tab. 109. quae ita se habet: CΩCOCN. Alii quidem, ut ipse Bracci et Meyerus ad Winckelm. Opp. T. IV. p. 352. his literis nomen *Sosoclis* latere putant; quodsi vero earum tractum inspicias, magis de *Sosthene* aliquo quam de *Sosocle* pariter incerto cogitandum esse videbis.

SOSTRATUS.

Sostratorum nomen quum saepius in historia artificum Graecorum occurrat, eo magis videndum est, ne perturbatis iis omnia confundamus, et laudandus Thierschius (Epoch. III. Adnot. p. 85.) primus in haec dumeta descendere haud gravatus, cuius me vestigia sequentem nonnulla etiam rectius, quam adhuc factum est, explicare posse spero. Et ut ab *eo* incipiamus, qui vetustissimus eorum habendus est, Pythagorae Rhegino in arte statuaria discipulus et filius sororis huius nominis fuisse traditur (Plin. XXXIV. 8. s. 19.); et quum Pythagoras iam Ol. LXXIII. artem exerceret, eius ex sorore nepos Olympiade LXXX.

non multo inferior esse potuit. — *Alter*, itidem statuarius, est pater et praeceptor Pantiae, natione Chius (Paus. VI. 9, 1.) qui proinde circa Ol. XC. vixit. Ad hunc vero Sostratum refero verba Polybii IV. 78. qui huius nominis artificem cum Hecatodoro aeneum Minervae signum Alipherae in Arcadia positum fecisse dicit. Pausanias vero (VIII. 26, 4.) artificem illum Hypatodorum neque Hecatodorum dicit; et quum Hypatodorum (supra s. v. *Aristogiton*) intra Ol. XC — CII. floruisse sciamus, hinc colligere licet, Sostratum *Chium* Hypatodori aequalem et operum participem fuisse. — *Tertium* nunc prodire iubemus statuarium, quem Plinius (XXXIV. 8. s. 19.) ut aequalem Lysippi in Ol. CXIV. collocavit, Thierschius vero suo iure ab eo, quem secundo loco nominavimus, accurate discernendum vidit. Idem non sine aliqua probabilitatis specie suspicatus est, eum Sostratum, qui filius Dexiphanis, natione vero Cnidius sub Ptolemaeo rege Pharum Alexandriae exstruxit (Plin. XXXVI. 12. s. 18. Suidas et Stephanus Byz. s. v. Φάρος. Strabo XVII. p. 791. D. Lucianus de conscrib. hist. 62. p. 69. T. II. ed Wetst.) ab eo quem Plinius statuarium dicit, haud diversum esse, quum certe temporum ratio optime conveniat (Ptolemaeus enim Lagi Ol. CXIV. rex factus est), varietas vero artis nihil impedimenti sententiae Thierschii obiiciat. Plura iam exempla protulimus artificum, qui et architecti et statuarii fuerunt.

Quartus denique fuit scalptor, cuius gemmam post alios edidit Bracci T. II. tab. 110.; neque dubito, quin

Sotratus, qui nomen suum gemmae apud Braccium statim sequenti (tab. 111.) incidit, idem sit habendus, nisi forte illum errorem malae fidei et ortae inde negligentiae serioris alicuius scalptoris tribuas, qui unum operum suorum nomine ficto exornare voluerit.

SOSUS.

Artifex operum musivorum incertae aetatis et patriae, de quo Plinius XXXVI. 25. s. 60. haec habet: *Pavimenta originem apud Graecos habent elaborata arte, picturae ratione, donec lithostrota expulere eam. Celeberrimus fuit in hoc genere Sosus, qui Pergami stravit quem vocant asaroton oecon, quoniam purgamenta coenae in pavimento, quaeque verri solent, velut relicta, fecerat parvis e tesserulis tinctisque in varios colores. Mirabilis ibi columba bibens, et aquam umbra capitis infuscans. Apricantur aliae scabentes sese in canthari labro.*

SPINTHARUS.

Architectus Corinthius qui recens templum Delphicum Amphictyonum auctoritate exstruxit, postquam vetus Ol. LVIII. 1. combustum fuerat. (Paus. X. 5, 5.) De incendio veteris templi v. Philochori fragm. p. 45. Clinton fasti Hellen. ad h. a. p. 4. Floruisse igitur probabile est Spintharum circa Ol. LX.

SPITYNCHAS.

Scalptor gemmae in Gori gemmis Etruscis T. II. tab. 9. nr. I.

STADIEUS.

I. Statuarius Atheniensis, praeceptor Polyclis, (Paus. VI. 4, 3.) quem supra s. h. v. minorem huius nominis Ol. CLV. florentem arbitratus sum, ut proinde Stadieus circa Ol. CXLVII. vixerit.

II. Pictor incertae aetatis et patriae, Nicosthenis discipulus, quem Plinius XXXV. 11. s. 40. pictorem non ignobilem dicit.

STEPHANUS.

Sculptor incertae aetatis et patriae, cuius Hippiades in Asinii Pollionis monumentis spectabantur. (Plin. XXXVI. 5. s. 4.) Hunc vero Stephanum inscriptione statuae nunc quoque exstantis indicari puto, quam Marini inscrizioni della V. Alb. p. 174. edidit: CTEΦANOC ΠACITEΛΟΥC ΜΑΘΗΤΗC ΕΠΟΙΕΙ; et sane mirum est, discipulum quoque huius Stephani nobis notum esse. Fuit is quidem Menelaus auctor statuarum Ludovisianarum, quas Oresten et Electram dicere solent. Inscriptio in basi haec est: MENEΛΑΟC CTEΦΑΝΟΥ ΜΑΘΗΤΗC ΕΠΟΙΕΙ. Iam Winckelmannus Opp. T. VI. P. I. p. 242. hunc Stephanum Menelai praeceptorem a Pliniano haud diversum esse suspicatus fuerat, in quod idem iudicium venit quoque Thierschius (Epoch. III. Adnot. p. 93.); et si unquam, illa opinio stylo, quem dicunt, operum nunc quoque exstantium confirmatur. Statuas enim Ludovisianae Romae factas fuisse cum alii tum nuper Thierschius p. 94. censuit, ita ut Menelaus in tempora Augusti vel Tiberii incidat, quod cum Pasitelis

aetate egregie convenit. Pasitelem vero, qui tunc exstiterit, praeter clarissimum illum novimus nullum, et quum tanta hic vir gloria floreret, quanta tum temporis nemo alius, eius discipulus cum grati erga praeceptorem animi significandi, tum sibi ipsi ex tali disciplina gloriae parandae causa suo nomini non patris sed praeceptoris nomen addidit. Stemma igitur horum artificum ita se habet:

Pasiteles fl. a. 50. ante Ch. n.
|
Stephanus fl. a. 25. ante Ch. n.
|
Menelaus fl. circa Christi natalia.

STHENIS.

Statuarius Olynthius (Paus. VI. 16, 7.) florens Ol. CXIV. cum Lysippo, Silanione aliis. Vide Plin. XXXIV. 8. s. 19 qui aliquanto post de eo ait: *Sthenis Cererem, Iovem, Minervam fecit, qui sunt Romae in Concordiae templo. Idem flentes matronas, et adorantes sacrificantesque.* Praeterea fecit *Autolycum,* quem unum ex praestantissimis eius operibus dictum Lucullus capta Sinope Romam deduxit (Plutarch. Lucull. 23. Strabo XII. p. 822. ed. Alm. coll. Appian. Mithr. 83.), *Pyttalum* et *Choerilum* Olympionicas (Paus. VI. 16, 7. 17, 3.), et statuam *Dionis* philosophi Ephesii. (Inscript. ap. Spon. Miscell. Erud. Antiq. p. 126.)

STIPAX.

Statuarius, de quo Plinius XXXIV. 8. s. 19. haec habet: *Stipax Cyprius uno celebratur signo, Splanch-*

nopte. Periclis Olympii vernula hic fuit, exta torrens, ignem oris pleni spiritu accendens. De eadem statua, omisso tamen artificis nomine, altero loco dixit Plinius XXII. 17. s. 20. his usus verbis: *Verna carus Pericli Atheniensium principi, cum is in arce templum aedificaret, repsissetque super altitudinem fastigii, et inde recidisset, hac herba (perdicio) dicitur sanatus, monstrata Pericli somnio a Minerva. Quare Parthenium vocari coepta est, assignaturque ei Deae. Hic est vernula cuius effigies ex aere fusa est, et nobilis ille Splanchnoptes.* Fuit igitur ille idem puer, *Mnesicles* (v. supra) ob quem servatum Pericles aeneum Minervae Hygiae signum et aureum eius solium, hoc quidem a Phidia, faciendum curavit (Plut. Pericl. 13.) Arx Athenis quum potissimum Ol. LXXXIV. aedificiis exornata sit, et Stipax hoc tempore floruerit necesse est. Causam enim sententiae, tale opus post obitum Periclis factum fuisse, neque iustam neque idoneam causam habemus.

STOMIUS.

Statuarius incertae patriae, qui statuam Hieronymi Andrii Olympionicae fecit. Hieronymus iste Tisamenum Eleum devicerat, qui postea Graecis in pugna Plataeensi vaticinatus est. (Pausan. VI. 14, 5.) Stomii proinde aetatem cum Thierschio (Epoch. II. Adnot p. 61.) in initio bellorum Medicorum, sive Ol. LXXII. ponere licebit.

STRATO.

Sculptor incertae aetatis et patriae, qui cum Xeno-

philo Aesculapii et Hygiae signa e candido lapide in templo illius Dei Argivo fecit, adsedentibus ipsis artificibus. Paus. II. 23, 4.

STRATONICUS.

Statuarius et caelator incertae patriae, cuius aetatem, quum a Plinio XXXIV. 8. s. 19. inter eos artifices numeretur, qui Attali Eumenisque adversus Gallos proelia fecerint, in Olympiadem CXXVI. incidere necesse est. In arte statuaria eum nullo operum suorum praecipuum fuisse, auctor est Plinius, longe aequius iudicium tradens (XXXIII. 12. s. 55.) de eius phiola, in qua *satyrum gravatum somno collocavisse verius, quam caelasse dictus est.* His addatur Athenaeus XI. 782. B. T. IV. p. 215. ed. Schw.

STRONGYLIO.

Statuarius incertae patriae. Quae de eius aetate indagari possunt, exposui supra s. v. *Olympiosthenes,* quibus iam hoc addam. Strongylio cum alia opera tum Dianam Megaris fecerat, dedicatam inter XII. Deos, qui Praxiteli tribuebantur. (Pausan. I. 40, 2.) Quodsi haec signa vere Praxitelis fuerunt, quod quidem incertum est, Strongylio Cephisodoti maioris, qui Ol. CII. floruit, aequalis fuit (nam Praxiteles Ol. CIV. vixit), unde simul aetas Olympiosthenis et fabricatio novarum Musarum in Helicone accuratius describitur. Opera eius pauca commemorantur. Et Plinius quidem XXXIV. 8. s. 19. haec habet: *Strongylion fecit Amazonem, quam ab excellentia crurum Eucnemon*

appellant, ob id in comitatu Neronis principis circumlatam. Idem fecit puerum, quem amando Brutus Philippensis cognomine suo illustravit. Praeterea Dianam Megaris (Paus. I. 40, 2.) et tres Musas in Helicone fecit, quas Pausanias laudans (IX. 30, 1.) adiicit, eum equorum boumque fingendorum peritia excelluisse.

SYADRAS.

Vide quae dixi s. v. *Chartas* et *Euchir* II.

SYNNOON.

Statuarius Aegineta, pater et praeceptor Ptolichi (Paus. VI. 9, 1.) Floruit igitur Ol. LXXV.

T.

TALIDES.

Pictor vasculi Graeci apud Millin Peintures de vases antiques T. II. tab. 61. ΤΑΛΕΙΔΕΣ ΕΠΟΙΕΣΕΝ.

TARCHESIUS.

Architectus incertae aetatis et patriae, qui Dorico genere aedes sacras oportere fieri negarat. Antiquum eum dicit Vitruv. IV. 3, 1.

TAURISCUS.

I. Sculptor Trallianus incertae aetatis qui cum fratre Apollonio (v supra) Zethum et Amphiona et Dircen et taurum vinculumque ex eodem lapide fecit; ei soli debebantur Hermerotes, quae omnia in Asinii Pollionis monumentis fuerunt. (Plin. XXXVI. 5. s. 4.)

II. Pictor incertae patriae et aetatis, qui fecit Discobolum, Clytaemnestram, Paniscum, Polynicem regnum repetentem et Capanea. Plin. XXXV. 11. s. 40.

III. Caelator Cyzicenus laudatus. Plin. XXXIII. 12. s. 55.

TECTAEUS.

Vide quae dixi s. v. *Angelio.*

TELECLES.

De Telecle qui acturus est, ante omnia sciat oportet, quid de Theodoro Samio statuendum sit. Ne

vero lectores, diversa coniungendo, nimis perturbemus, ea quae Teleclem maxime spectant, hic colligamus et pro virium nostrarum modulo explicemus. Diodorus Siculus I. 98. Teleclem fratrem Theodori Samii, et utrumque filium Rhoeci appellat, loquens de Apollinis Pythii statua Sami dedicata, quarum unam partem Telecles Sami, alteram Theodorus Ephesi fecerat, commemorata quoque ab Athenagora 14. p. 61. ed. Dechair. Teneamus igitur, apud hos scriptores Teleclem Rhoeci filium, Theodori fratrem esse. Tanto magis mirum est, Herodotum (III. 41.) et Pausaniam (VIII. 14, 5. X. 38, 3.) hunc Theodorum Teleclis filium dicere, Herodotum quidem ita, ut sine ulteriore descriptione et patrem et filium commemoret, Pausaniam vero, ut addat, illum esse Theodorum, qui primus aes fuderit. Iste quidem Theodorus ab Herodoto et Pausania laudatus Polycratis annulum fecerat, et quamquam nonnulli crediderunt, hunc annulum a Theodoro Olympiadum initio vivente factum ad Polycratem multorum annorum decursu pervenisse, hoc tamen cum per se valde improbabile est, tum etiam propterea, quod ita idem de calice Croesi et cratere Persico nobis statuendum est. Hinc praeeunte Iunio in catal. p. 210. Thierschius (Epoch. II. Adnot. p. 56. sqq.) et duos Telecles et duos Theodoros probe a se discernendos esse recte vidit, quorum nominum similitudo (ut iam Böttigerus in Andeutungen p. 52. uno verbo indigitaverat) summorum errorum chronologicorum fons habendus est. Maior inde Telecles Rhoeci filius fuit, frater Theodori; minor vero pater Theo-

dori minoris, et omnis utriusque artificis confusio ex solo Pausania repetenda est, qui VIII. 14, 5. haec habet: *διέχεαν δὲ χαλκὸν πρῶτοι καὶ ἀγάλματα ἐχωνεύσαντο Ῥοῖκός τε Φιλαίου καὶ Θεόδωρος Τηλεκλέους Σάμιοι. Θεοδώρου δὲ ἔργον ἦν καὶ ἐπὶ τοῦ λίθου τῆς σμαράγδου σφραγίς, ἣν Πολυκράτης ὁ Σάμου τυραννήσας ἐφόρει τε τὰ μάλιστα, καὶ ἐπ' αὐτῇ περισσῶς δή τι ἠγάλλετο.* Pausanias igitur l. l. Theodorum Teleclis filium, qui diversus fuit a Theodoro Rhoeci filio, aeris fundendi artem invenisse et simul annulum Polycratis fecisse dicit, duo haec stemmata mire permiscens:

Philaeus | Telecles
Rhoecus | Theodorus.

Telecles Theodorus.

TELEPHANES.

I. Pictor vetustissimus Sicyone natus, qui cum Ardice Corinthio primus picturam linearum exercuit, *sine ullo etiamnum colore, iam tamen spargentes lineas intus. Ideo et quos pingerent, adscribere institutum.* Plin. XXXV. 3. s. 5.

II. Statuarius Phoceus, de quo Plinius XXXIV. 8. s. 19. haec habet: *Artifices qui compositis voluminibus condidere haec, miris laudibus celebrant, et Telephanem Phoceum, ignotum alias, quoniam in Thessalia habitaverit, ubi opera eius latuerint; alioquin suffragiis ipsorum aequatur Polycleto, Myroni, Pythagorae. Laudant eius Larissam, et Spintharum Pentathlon, et*

Apollinem. Alii non hanc ignobilitatis fuisse causam, sed quoniam se regum Xerxis atque Darii officinis dediderit, existimant. Retinui in his Harduini lectionem *Spintharum* pro eo quod in codd. et edd. vett. legitur *spinarum* vel *spinarium*; nemo enim de puero spinam sibi extrahente cogitaverit, cum potius Graeci viri nomen requiratur. Floruit vero Telephanes, cum utriusque regis aequalis dicatur, circa Ol. LXX. ante Ch. 500.

TELESARCHIDES.

Statuarius vel sculptor incertae aetatis et patriae, quem unus Eustathius ad Iliad. *ω.* 333. p. 1353, 8. Rom. commemorat: Ἑρμῆς τετρακέφαλος ἐν Κεραμεικῷ, Τελεσαρχίδου ἔργον, ᾧ ἐπεγέγραπτο·

Ἑρμῆ τετρακάρηνε, καλὸν Τελεσαρχίδου ἔργον,
Πανθ' ὁρᾷς — —

Τετρακάρηνε pro vulgato τετρακέφαλε recte restituit Heynius in priscae artis opp. ex epigr. illustr. p. 84.

TELESIAS.

Statuarius Atheniensis incertae aetatis, de quo Clemens Alexandr. Protr. p. 18. D. Sylb. ex Philochoro (fragm. p. 96.) ait: Τελεσίου τοῦ Ἀθηναίου, ὥς φησι Φιλόχορος, ἔργον εἰσὶν ἀγάλματα ἐννεαπήχη Ποσειδῶνος καὶ Ἀμφιτρίτης ἐν Τήνῳ προσκυνούμενα.

TELESTAS.

Vide quae dixi s. v. *Aristo* I.

TEUCER.

I. Caelator incertae aetatis et patriae, qui sua arte sibi famam comparaverat. Plin. XXXIII. 12. s. 55.

II. Scalptor incertae aetatis et patriae, cuius gemmam vide ap. Bracci T. II. tab. 112. Viri artis scalptoriae periti eum tempore Augusti vixisse censent.

TEUSIALES.

Sculptor qui fecit statuam Hyperidis rhetoris. Inscriptio apud Spon. Miscell. Erud. Antiquar. p. 137.

THALES.

Pictor Sicyonius incertae aetatis, qui *μεγαλοφυὴς* a Diog. Laert. I. 38. dicitur. Praeterea idem Diog. Laert. ex Duridis libro de pictura Thaletem aliquem nominat, quem, auctoritate Duridis motus, pictorem habeo.

THAMYRUS.

Scalptor gemmae ap. Bracci T. II. tab. 113.

THEOCLES.

Sculptor Lacedaemonius, filius Hegyli, discipulus Dipoeni et Scyllidis, unde fere Ol. LVIII. floruit. Fecit quinque Hesperidas Olympiae in templo Iunonis (Paus. V. 17, 1.) et magnum opus cedrinum in thesauro Epidamniorum ibidem exstructo (*ἔχει μὲν ὁ θησαυρὸς πόλον ἀνεχόμενον ὑπὸ Ἄτλαντος, ἔχει δὲ Ἡρακλέα καὶ δένδρον τὸ παρὰ Ἑσπερίσι, τὴν μηλέαν, καὶ περιελελιγμένον τῇ μηλέᾳ τὸν δράκοντα· κέδρου μὲν ταῦτα, Θεοκλέους δὲ ἔργα τοῦ Ἡγύλου.* Pausan. VI. 19, 5.)

THEOCOSMUS.

Statuarius Megarensis, de cuius aetate (floruit Ol. LXXXVII—XCIV.) vide quae attuli s. v. *Callicles* I. Facturus erat adiuvante Phidia statuam Iovis ex ebore et auro, quod tamen opus impetu belli Peloponnesiaci interruptum est (Ol. LXXXVII 2.), ita ut Pausaniae etiam tempore nondum perfectum esset (*τῷ δὲ ἀγάλματι τοῦ Διὸς πρόσωπον ἐλέφαντος καὶ χρυσοῦ, τὰ δὲ λοιπὰ πηλοῦ τέ ἐστι καὶ γύψου· — ὑπὲρ δὲ τῆς κεφαλῆς τοῦ Διός εἰσιν Ὧραι καὶ Μοῖραι.* Paus. I. 40, 3.) Praeterea fecit Hermonem qui in proelio ad Aegospotamos praetoriae navis gubernator Lysandro fuerat, partem magni donarii, quod Lacedaemonii propter illam victoriam (Ol XCIII. 4) Delphis dedicarunt. (Paus. X. 9, 4.)

THEOCYDES.

Architectus minus nobilis, qui praecepta symmetriarum scripsit. Vitruv. VII. Praef. §. 14.

THEODORUS.

1. Iam supra s. v. *Telecles* nonnulla de artificibus Theodori nomen gerentibus attuli, quae hic repetere nolo, cum Thierschio duos Theodoros, utrumque Samium a se discernendos esse probare illic conatus. Quae vero *Theodorum maiorem* spectare videntur, haec sunt: *Θεόδωρος Σάμιος, υἱὸς Ῥοίκου* Diog. Laert. II. §. 103. coll. Diod. Sic. I. 98. Hesych. Miles. de viris illustr. s. v. *Theodorus Samius cum Rhoeco plasticen invenit, multo ante Bacchiadas Corintho*

pulsos: Plinius XXXV. 12. s. 45. (coll. Pausan. VIII. 14, 5. IX. 41, 1. X. 38, 3.) cuius errorem in voce *πλαστική* intelligenda recte notavit Welckerus ad Philostr. Imagg. p. 196. Quum vero Bacchiadae Olymp. XXIX. 2. ante Ch. n. 663. Corintho exsules facti fuerint, plerique V. V. D. D. inventam artem aeris fundendi Olympiadum fere initio aequalem esse putaverunt, cui sententiae facile fides haberi potest, quum omnis nostra illius temporis notitia admodum manca sit. Thierschii Epoch. II. p. 34. Mülleri Aegin. p. 99. Multo aliter Hirtius in Amalth. I. p. 217. 266. sq. obsecutus scilicet suae de historia artis Graecae opinioni. Utut sit, huic certe aetati, neque seriori convenit iudicium Platonis (Ion. T. I. p. 533. A. ed. St.) qui Theodorum Daedalo et Epeo componit. Theodorus cum fratre Telecle statuam Apollinis Pythii fecit, sine dubio aeneam, quod tamen negat Thierschius II. Adnot. p. 27., cuius signi unam partem Sami Telecles, alteram Ephesi Theodorus tanta arte elaboraverat, ut utraque pars componi sibique adaptari posset. (Diodorus l. l.) Singulare hoc signum Athenagoras quoque commemorat, (legat. pro Christ. 14. p. 61.) cuius verba *ὁ Πύθιος, ἔργον Θεοδώρου καὶ Τηλεκλέους* adversari putat Thierschius l. l. verbis Pausaniae X. 38, 3. *Θεοδώρου μὲν δὲ οὐδὲν ἔτι οἶδα ἐξευρών, ὅσαγε χαλκοῦ πεποιημένα.* Sed Athenagoras opus tantum illud commemorare voluit, neque eius interfuit addere, utrum suo adhuc tempore exstaret necne. Idem Theodorus porro multa instrumenta arti utilia invenisse dicitur (Plin. H. N. VII. 56. *normam autem*

invenit et libellam et tornum et clavem Theodorus Samius), et architectus quoque nobilis fuit, cuius peritiae testimonia debemus Pausaniae (III. 12. 8. *ταύτην τὴν Σκιάδα ἐν Λακεδαίμονι Θεοδώρου τοῦ Σαμίου φασὶν εἶναι ποίημα, ὃς πρῶτος διαχέαι σίδηρον εὗρε καὶ ἀγάλματα ἀπ᾿ αὐτοῦ πλάσαι*) Diogeni Laertio (l. l. *Θεόδωρος ὁ Σάμιος, υἱὸς Ῥοίκου, συνεβούλευσεν ἄνθρακας ὑποτεθῆναι τοῖς θεμελίοις τοῦ ἐν Ἐφέσῳ νεώ· καθύγρου γὰρ ὄντος τοῦ τόπου, τοὺς ἄνθρακας ἔφη τὸ ξυλῶδες ἀποβαλόντας, αὐτὸ τὸ στερεὸν ἀπαθὲς ἔχειν ὕδατι*, coll. Hesych. Miles.) et Plinio XXXVI. 13. s. 19. cuius tamen verba examini brevi subiicienda esse videmus: *Lemnius labyrinthus columnis centum quinquaginta memorabilior fuit: quarum in officina turbines ita librati pependerunt, ut puero circumagente tornarentur. Architecti illum fecere Smilis et Rhoecus et Theodorus indigena.* Novum quum hinc exsculpserint Theodorum Lemnium, alias plane inauditum, insignis potius erroris, quem adeo auxit Klenzius in Amalth. III. p. 72. Plinium de h. l. recte arguit Müllerus Aegin. p. 99. sq. illustrans eum ex alio eiusdem scriptoris, cuius sensum primus perspexit, XXXIV. 8. s. 19. *Theodorus, qui labyrinthum fecit, Sami ipse se ex aere fudit, praeter similitudinem mirabilem fama magnae subtilitatis celebratus. Dextra limam tenet, laeva tribus digitis quadrigulam tenuit, translatam Praeneste, tantae parvitatis, ut totam eam currumque et aurigam integeret alis simul facta musca,* qua ex descriptione Müllerus et Meyerus hist. art. T. II. p. 25. suo iure collegerunt, statuam illam aeneam suppositiliam fuisse

coll. Paus. X. 38, 3.· Ceterum vix dubito quin Theodorus Milesius qui apud Athenagor. legat. pro Christ. 14. p. 60. ed. Dech. cum Daedalo *ἀνδριαντοποιητικὴν καὶ πλαστικὴν* invenisse dicitur, nullus sit alius quam noster per errorem ex Samio Milesius factus. Liber vero Theodori de aede *Iunonis*, quae est Sami, Dorica (Vitruv. VII. Praef. §. 12.) seriore tempore confictus fuit.

II. *Theodorus minor* Samius Teleclis filius (Herod. III. 41. Paus. VIII. 14, 5. X. 38, 3. cuius tamen verba cautissime adhibenda sunt) annulum Polycratis (de quo quae colligi possunt collegit Kirchmannus de annulis p. 170. sqq.) fecerat (*ἦν Πολυκράτεϊ σφρηγὶς τὴν ἐφόρεε χρυσόδετος, σμαρήγδου μὲν λίθου ἐοῦσα· ἔργον ἦν δὲ Θεοδώρου τοῦ Τηλεκλέους Σαμίου.* Herod. III. 41. de quo loco v. Lessingium in epistoll. antiquar. T. I. p. 156. sqq. acutissime disputantem. Adde Paus. VIII. 14, 5.) Polycrates obiit Ol. LXIV. 3. ante Ch. 522. cui tempori egregie convenit alterum quod idem Herodotus I. 51. narrat. Croesus enim inter alia dona et calicem argenteum Delphos miserat: *Φασὶ δὲ μὲν Δελφοὶ Θεοδώρου τοῦ Σαμίου ἔργον εἶναι. καὶ ἐγὼ δοκέω· οὐ γὰρ τὸ συντυχὸν φαίνεταί μοι ἔργον εἶναι.* Hic vero locus, si quis alius, utriusque Theodori diversitatem probare videtur, cum Herodotus illud opus artificiosum dicat, quam virtutem Pausanias X. 38, 3. Rhoeci et proinde Theodori quoque operibus abiudicat (*τοῦτο — καὶ ἰδεῖν ἐστιν ἀρχαιότερον καὶ ἀργότερον τὴν τέχνην.*) Deinde Herodotus, si quidem ille calix Theodori vetusti opus fuisset, hoc commemorare vix supersedisset; denique nusquam legimus vetustum Theo-

dorum artificem argentarium fuisse, qui tantum arti statuariae et architecturae operam dedit. Illa potius Herodoti verba suspicionem Lessingii confirmare videntur, annulo Polycratis nullam effigiem inscalptam, sed smaragdum vel ut alii dicunt sardonychem integrum auro inclusum (χρυσόδετον) fuisse. Ceterum hic calix ante Ol. LVIII. 1. ante Ch. 548. Delphis dedicatus fuit, quum Herodotus l. l. dicat: μετεκινήθησαν δὲ καὶ οὗτοι ὑπὸ τὸν νηὸν κατακαέντα, quod factum scimus illo ipso anno. Huic denique Theodoro tribuendus est alter calix, isque aureus, qui in dominio regum Persiae fuit (Chares Mytilen. apud Athen. XI. p. 514. F. coll. Thiersch. Epoch. II. Adnot. p. 57.) Quodsi iam quaeras, quo nomine hic Theodorus dicendus sit, caelatorem eum appellare decet.

III. Architectus Phocaeus, qui edidit volumen de tholo qui est Delphis. Vitruv. VII. Praef. §. 12.

IV. Statuarius Thebanus, V. VI. VII. Pictores ex variis urbibus geniti, omnes memorati a Diog. Laert. II. §. 103.

In horum pictorum vero numero facile Theodorus pictor esse potuit, qui Ol. CXVIII. florens haec opera fecit: *Theodorus et inungentem; idem ab Oreste matrem et Aegisthum interfici; bellumque Iliacum pluribus tabulis, quod est Romae in Philippi porticibus; et Cassandram, quae est in Concordiae delubro; Leontium Epicuri cogitantem, Demetrium regem.* De Cassandra v. Welckerum ad Philostr. Imagg. p. 459.

VIII. Pictor Samius, non ignobilis quidem, in transcursu tamen cum aliis dicendus. Fuit cum Sta-

dieo discipulus Nicosthenis (Plin. XXXV. 11. s. 40.) De aetate omnia incerta.

THEOMNESTUS.

I. Statuarius Sardianus (Paus. VI. 15, 2.) incertae aetatis, a Plinio (XXXIV. 8. s. 19,) in iis enumeratus, qui athletas, armatos, venatores sacrificantesque fecerunt. Agelae Chii, qui Olympiae pugil in pueris vicerat, statuam ab eo factam memorat Pausan. l. l.

II. Pictor incertae patriae, aequalis Apellis, cui Mnaso quidam, tyrannus, in singulos heroas mnas centenas dedit. Plin. XXXV. 10. s. 36.

THEO.

Pictor Samius a Quintiliano XII. 10. in numero pictorum positus, qui circa Philippi aetatem usque ad successores Alexandri vixerunt. Praecipuus fuit, eodem Quintiliano teste, concipiendis visionibus, quas φαντασίας vocant, duasque eius picturas laudat Plinius XXXV. 10. s. 40. Orestis insaniam et Thamyrim citharoedum. Cuius generis fuerit ista insania Orestis, discimus ex inepto Pseudo-Plutarchi de audiend. poet. loco p. 18. A. (coll. animadv. Wytt.) qui eam picturam τὴν Ὀρέστου μητροκτονίαν vocat. Thamyris fortasse eodem habitu pictus fuit, quo eum tabulae suae in Lescha Delphica inseruit Polygnotus (Paus. X. 30.) Tertiam Theonis picturam, militem armatum ad ferendum auxilium gressu concitato properantem, non sine multa arte describit Aelianus V. H. II. 44. usus extremo capite ipsa voce φαντασία, quam in Theone laudavit Quintilianus.

THEOPROPUS.

Statuarius Aegineta incertae aetatis, qui bovem aeneum Delphis dedicatum Corcyraeis fecit. (Paus. X. 9, 2.)

THERICLES.

Artifex poculorum Corinthius, quem figlina, lignea et aurea vasa fecisse aiunt veteres scriptores. Vixit tempore Aristophanis comici, eumque, ab hoc libro alienum, (cum quidem incertum sit, an pocula sua figuris etiam exornarit,) hac tantum de causa nominandum duxi, ne quid, quod in eo quaeri posset, desideraretur. Nihil tamen ultra de eo addere volui, remittens lectorem ad praeclaram Bentleii diatriben (opusc. philol. p. 11. et 216. sqq. ed. L. B.)

THERIMACHUS.

Vide quae de hoc disputavi s. v. *Echio.*

THERO.

Statuarius Boeotius incertae aetatis, qui fecit Gorgum Messenium in quinquertio Olympiae victorem. (Paus. VI. 14, 5)

THRASO.

Statuarius incertae aetatis et patriae, quem Plinius (XXXIV. 8. s. 19.) artificibus accenset, qui athletas, armatos, venatores, sacrificantesque fecerunt. Strabo autem XIV. p. 641. T. V. p. 539. ed. Tz. in donariis templi Ephesini nonnulla Thrasonis opera enumerat, velut Hecatesium, fontem, Penelopen et Eurycleam.

THRASYMEDES.

Statuarius Parius, Arignoti filius, incertae aetatis, cuius Aesculapii signum ex ebore et auro factum et Epidauri in ipso illius Dei templo positum memorat Pausanias II. 27, 2. hac addita descriptione: *κάθηται δὲ ἐπὶ θρόνου βακτηρίαν κρατῶν, τὴν δὲ ἑτέραν τῶν χειρῶν ὑπὲρ κεφαλῆς ἔχει τοῦ δράκοντος, καί οἱ κύων παρακατακείμενος πεποίηται.* Causam, cur Quatremère de Quincy hanc statuam inter Ol. CXX. et CLV. factam fuisse suspicatus fuerit, idoneam non fuisse iam vidit Siebelisius ad h. l.

THYLACUS.

De hoc v. s. v. *Onaethus.*

THYMILUS.

Sculptor incertae aetatis et patriae, qui fecit Amorem Baccho assistentem, et ipsum Bacchum in templo aliquo Atheniensi (Pausan. I. 20, 1.)

TIMAENETUS.

Pictor incertae aetatis et patriae, qui pinxit palaestriten in cella ad laevam propylaeorum Atheniensium exstructa. Paus. I. 22, 7.

TIMAGORAS.

Pictor Chalcidensis, cuius aetas inde cognoscitur, quod cum Panaeno fratre patrueli Phidiae Pythiis certans eum superavit, quam victoriam ipse carmine celebravit. (Plinius XXXV. 9. s. 35.) Floruit igitur Ol. LXXXIII.

TIMANTHES.

I. Pictor Sicyonius (Eustath. ad Il. ω. 163. p. 1343, 60. ed. R.) vel ut Quintilianus (II. 13.) opinabatur, Cythnius, Zeuxidis et Parrhasii aequalis fuit, (Plin. XXXV. 9. s. 36.) unde circa Ol. XCVI. vixit. Potissimum de eo conferendus est Plinius XXXV. 10. s. 36. qui haec habet: *Timanthi*[1] *plurimum adfuit ingenii. Eius enim est Iphigenia, oratorum laudibus celebrata,*[2] *qua stante ad aras peritura, cum maestos pinxisset omnes, praecipue patruum, et tristitiae omnem imaginem consumpsisset, patris ipsius vultum velavit, quem digne non poterat ostendere. Sunt et alia ingenii eius exemplaria, veluti Cyclops dormiens*

---

1) Post *Timanthi* vulgo inserunt *vel*, quod abest a Reg. 1. Edit. I. — 2) Huc referendi sunt verba Ciceronis Orat. 22. §. 74. *pictor ille vidit, cum immolanda Iphigenia tristis Calchas esset, moestior Ulysses, moereret Menelaus, obvolvendum caput Agamemnonis esse, quoniam summum illum luctum penicillo non posset imitari;* quae pro virium modulo expressit Valer. Max. VIII. 11. ext. 6. Dignus tamen prae ceteris est qui conferatur Quintilianus l. l. *In oratione operienda sunt quaedam, sive ostendi non debent, sive exprimi pro dignitate non possunt. Ita fecit Timanthes, ut opinor Cythnius, in ea tabula qua Coloten Teium vicit. Nam cum in Iphigeniae immolatione pinxisset tristem Calchantem, tristiorem Ulyssem, addidisset Menelao quem summum poterat ars efficere moerorem, consumptis affectibus non reperiens quo digno modo patris vultum posset exprimere, velavit eius caput, et suo cuique animo dedit aestimandum.* Eustathius vero l. l. Timan-

in parvula tabula [3]*): cuius et sic magnitudinem exprimere cupiens, pinxit iuxta Satyros, thyrso pollicem eius metientes. Atque in unius huius operibus intelligitur plus semper, quam pingitur: et cum sit ars summa,* [4]*) ingenium tamen ultra artem est. Pinxit et Heroas* [5]*) absolutissimi operis, arte ipsa complexus vires* [6]*) pingendi: quod opus nunc Romae in templo Pacis est.*

Unius praeterea picturae meminit Photius in bi-

---

them hoc inventum capitis velati ex Homeri Iliad. ω. 163. desumsisse ait. Ceterum quid Meyerus in iudicanda hac pictura sibi velit (hist. art. Gr. T. I. p. 162.) nondum me intelligere fateor, quum quae ad refutandas veterum scriptorum sententias dixit, illos ipsos confirment. — 3) *tabula,* ita Reg. I. II. Colbert. Vulgo *tabella.* — 4) ita Reg. I. Dufr. I. Antea: *cum ars summa sit.* — 5) *heroas,* ita Reg. I. II. Dufr. I. Colbert. Vulgo *heroa.* — 6) In edd. vulgg. leguntur haec verba sic: *artem ipsam complexus viros,* a qua tamen scriptura e nostris codd. unus tantum isque sublestae fidei propius abest Colb. in quo exstat: *arte ipsa c. viros.* Sed Dufr. I. habet: *artem ipsam c. vires,* Reg. II. *arte ipsam c. vires,* quod idem retinet Reg. I. in hoc tamen differens, quod pro ultima litera vocis *ipsam* olim aliud quid in eo exstitit, quod quale fuerit dignoscere non potui; putabam tamen lectum fuisse *ipsas.* Utut sit, apparet in melioribus libris constanter exhiberi *vires,* quod quum recipiendum putarem, mutavi quoque reliquas voces ut nunc leguntur, secutus codd., quamquam vix dubito, quin verum sit *ipsas,* „comprehendens sua arte ipsas vires pingendi i. e. ipsas vires quae in pingendi arte insunt."

bliothecae cod. 190. T. I. p. 146. b. 27. ed. Bekkeri, Timanthi (incertum quo iure) vindicatae a Tzetze Chil. VIII. 198. quae fuit Palamedes dolo occisus Ephesi. Cicero autem (Brut. 22.) eum pictoribus adnumerat, qui non sint usi plus quam quatuor coloribus.

II. Timanthes alter itidem pictor Arati aequalis, qui huius pugnam cum Aetolis ad Pellenen in Arcadia commissam pinxerat. (Plutarch. Arat. 32.) Pugna accidit Ol. CXXXV. 1. Vide Beckii Viri Excell. hist. antiq. T. II. p. 95.

TIMARCHIDES.

Statuarius et sculptor Atheniensis (Paus. X. 34, 3.) qui a Plinio (XXXIV. 8. s. 19.) iis artificibus accensetur, qui athletas, armatos, venatores sacrificantesque fecerunt. Cum Timocle, eodem Atheniensi, Aesculapii signum barbatum Elateae fecit (Paus. l. l.), et quum Timocles, de quo nihil praeterea scimus, Ol. CLV. vixerit (Plin.), hinc et de Timarchidis aetate constat. Ex marmore fecit Apollinem citharam tenentem, in huius ipsius Dei templo Romae ad Octaviae porticum exstructo; et in proxima aede Timarchidis filii, quorum nomina ignorantur, Iovem marmoreum fecerunt. (Plin. XXXVI. 5. s. 4. ubi in codd. et editt. interpolatis quaedam male adiecta leguntur. V. Amaltheae Vol. III. p. 291.)

TIMARCHUS.

Statuarius qui Ol. CXX. vixit cum Cephisodoto II. et

aliis (Plin. XXXIV. 8. s. 19.) Fuit Praxitelis filius, frater Cephisodoti minoris, quocum ligneas imagines Lycurgi Atheniensis eiusque filiorum fecit. (V. supra s. v. *Cephisodoti* II.) Bis praeterea cum Cephisodoto a Pausania memoratur, ita tamen ut omissis artificum nominibus de eorum, ut Praxitelis filiorum operibus tantum sermo sit. (V. *Praxiteles* I. sub fin.)

TIMARETE.

Pictrix filia Miconis minoris (Plin. XXXV. 9. s. 35.), cuius aetas incerta. Pinxit ea mulier Dianam in tabula, quae Ephesi est antiquissimae picturae. (Plin. l. l. 11. s. 40.)

TIMOCLES.

Vide paullo supra s. v. *Timarchides.*

TIMOMACHUS.

Pictor Byzantius Caesaris dictatoris aetate, cui Aiacem pinxit et Medeam, ab eo in Veneris Genetricis aede positas, octoginta talentis venumdatas (Plin. XXXV. 11. s. 40. 4. s. 9. VII. 38.) Et ut primum, quae aliunde de *Aiace* constant, colligamus, sedens describitur a Philostr. Apoll. Tyan. II. 10. (*οὐδ' ἂν τὸν Αἴαντά τις τὸν Τιμομάχου ἀγασθείη, ὃς δὴ ἀναγέγραπται αὐτῷ μεμηνώς, εἰ μὴ ἀναλάβοι τι ἐς τὸν νοῦν Αἴαντος εἴδωλον, καὶ ὡς εἰκὸς αὐτὸν ἀπεκτονότα τὰ ἐν τῇ Τροίᾳ βουκόλια, καθῆσθαι ἀπειρηκότα, βουλὴν ποτούμενον καὶ ἑαυτὸν κτεῖναι*) et Ovidio Trist. II. 525. ubi v. Heins. Laudationem huius picturae, nihil tamen unde aliquid disci possit, continentem habet Epigr. in Anthol.

Gr. IV. 6, 83. (Append. Anth. Palat. T. II. p. 648.) *Medeam* τεκνοκτόνον describit Epigr. in Anthol. Gr. IV. 9, 136. (App. Anth. Palat. P. II. p. 667.)

Τὰν ὀλοὰν Μήδειαν ὅτ' ἔγραφε Τιμομάχου χείρ,
ζάλῳ καὶ τέκνοις ἀντιμεθελκομέναν,
μύριον ἄρατο μόχθον, ἵν' ἤθεα δισσὰ χαράξῃ,
ὧν τὸ μὲν εἰς ὀργὰν νεῦε, τὸ δ' εἰς ἔλεον.
ἄμφω δ' ἐπλήρωσεν· ὅρα τύπον. ἐν γὰρ ἀπειλᾷ
δάκρυον, ἐν δ' ἐλέῳ θυμὸς ἀναστρέφεται·
ἀρκεῖ δ' ἁ μέλλησις, ἔφα σοφός· αἷμα δὲ τέκνων
ἔπρεπε Μηδείῃ, κοὐχὶ ἐρὶ Τιμομάχου.

Imitatus est hoc epigramma Ausonius epigr. 22. Fuit autem pictura encaustica (Anthol. Gr. l. l. 137.), neque tamen ad finem perducta, (Plin. l. l. infra) morte, ut credi potest, artifice impedito. Ineptum de hac pictura iudicium Pseudo-Plutarchi (de poet. aud. p. 18. A.) refutavit Böttigerus in explicatt. vasor. pict. II. p. 188. egregie de Timomachi opere agens. Fecit praeterea Plinio teste *Oresten, Iphigeniam in Tauride,* cuius utriusque tabulae argumentum Heynio iudice in priscae artis opp. ex epigrr. illustr. p. 114. sibi respondere debuit. Ad hanc vero Iphigeniam epigramma Anth. Gr. IV. 128. (Append. Anthol. Palat. T. II. p. 664. Iac.) refert Heinsius l. l. Subiicit deinde Plinius haec: *Lecythion agilitatis exercitatorem, cognationem nobilium, palliatos quos dicturos pinxit, alterum stantem alterum sedentem. Praecipue tamen ars ei favisse in Gorgone visa est.*

Verbo hic memorasse sufficiat ineptam *Kandleri* cuiusdam hominis Vindobonensis hariolationem, qui

antiquam ut ait picturam nuper inventam (Cleopatra in ea exstat) Timomacho tribuendam censet. (V. Wiener Zeitschrift für Literatur, Kunst etc. 1824. nr. 61. p. 519.)

TIMO.

Statuarius incertae aetatis et patriae ex eorum artificum numero, qui fecerunt athletas, armatos, venatores sacrificantesque. (Plin. XXXIV. 8. s. 19.)

TIMOTHEUS.

Sculptor incertae patriae, cui cum Scopa, Bryaxide, Leochare cura Mausolei exornandi demandata fuit, in cuius aedificii parte meridionali occupatus fuit. Plin. XXXVI. 5. s. 4. Vitruv. VII. Praef §. 13. Eius etiam manu fuit Diana Romae in Palatio, Apollinis delubro, cui signo caput reposuit Aulanius Evander. (Plin. l. l.) Floruit Ol. CVII. Utrum Aesculapius Troezenius, quem Troezenii Hippolyti simulacrum esse dixerunt (Paus. II. 32, 3.), huius Timothei an alius cuiusdam sit, non constat; similis dubitatio est de Timotheo *statuario*, quem Plinius XXXIV. 8. s. 19. ut multos alios artifices athletis, armatis, venatoribus sacrificantibusque faciendis operam dedisse refert. Quod enim Timothei Scopae aequalis marmorea tantum signa a Plinio memorantur, nihil hoc ad dubitationem solvendam confert, quum idem in multis aliis artificibus acciderit, quos tamen utriusque materiae tractandae peritiam habuisse constat.

TISAGORAS.

Statuarius, cuius ferrea signa vidit Pausanias (X. 18, 5.) Delphis. De ipso artifice omnia incerta; Pausaniae vero verba haec sunt: *ἔστιν ἐνταῦθα καὶ ἄθλων τῶν Ἡρακλέους τὸ ἐς τὴν ὕδραν, ἀνάθημά τε ὁμοῦ Τισαγόρου, καὶ ἡ τέχνη, σιδήρου καὶ ὕδρα καὶ ὁ Ἡρακλῆς. σιδήρου δὲ ἐργασίαν τὴν ἐπὶ ἀγάλμασι χαλεπωτάτην καὶ πόνου συμβέβηκεν εἶναι πλείστου· θαύματος μὲν δὴ καὶ τοῦ Τισαγόρου τὸ ἔργον, ὅστις δὴ ὁ Τισαγόρας.*

TISANDER.

Statuarius incertae patriae, qui Ol. XCIV. floruit. Fecit enim nonnullas statuas magni illius donarii, quod Lacedaemonii propter victoriam ad Aegospotamos reportatam Delphis dedicarunt. Paus. X. 9, 4.

TISIAS.

Statuarius a Plinio XXXIV. 8. s. 19. iis adnumeratus, qui athletas, armatos, venatores, sacrificantesque fecerunt.

TISICRATES.

Statuarius Sicyonius, Lysippi discipulus, unde circa Ol. CXX. floruerit necesse est, praeceptoris sui *sectae propior*, quam alii eiusdem discipuli, ut *complura signa vix discerni possent, ceu senex Thebanus, Demetrius rex, Peucestes Alexandri Magni servator, dignus tanta gloria.* Plin. XXXIV. 8. s. 19. Eius *bigae* Piston postea mulierem imposuit, id. ibid. et Arcesilaum Tisicratis filium inter pictores non ignobiles recenset

id. XXXV. 11. s. 40. Utrum Xenocrates esset huius an Euthycratis discipulus, ambigebant veteres, id. XXXIV. 8. s. 19.

TITIUS.

Sculptor qui statuae ap. Boissard. Antiqu. et Inscc. P. III. fig. 132. nomen suum subscripsit: TITIUS. FECIT.

TLEPOLEMUS.

Pictor Cibyrata qui cum Hierone fratre, cerearum imaginum fictore, propter suspicionem expilati Apollinis fani patria exsul factus ad Verrem se contulit, eumque in depraedanda Sicilia mirifice adiuvit. Cic. Verr. IV. 13.

TRYPHO.

Scalptor, cuius exstat praeclara gemma, nuptiae Amoris et Psychae. Bracci memorie T. II. p. 114.

TURPILIUS.

Pictor Venetus, eques Romanus, qui ipsius Plinii aetate vixit, cuiusque pulchra opera Veronae exstabant. *Laeva is manu pinxit, quod de nullo ante memoratur.* Plinius XXXV. 4. s. 7.

V.

VALERIUS.

Architectus Ostiensis, qui ludis Libonis theatrum Romae texit. (Plinius XXXVI. 15, 24.) Scribonius Libo aedilis fuit Cicerone consule.

VITRUVIUS.

M. Vitruvius Pollio, architectus nobilis tempore Ciceronis et Augusti vixit, qui tamen non admodum magna gloria inter aequales suos usus esse videtur (Schneider. praef. ad eius libros p. LXVIII.); probabile est, eum machinis potius bellicis, quam operibus vere architectonicis conficiendis operam dedisse.

X.

XENO.

Pictor Sicyonius incertae aetatis, Nealcis discipulus, quem Plinius XXXV. 11. s. 40. pictoribus non ignobilibus annumerat.

XENOCLES.

Architectus Atheniensis e pago Cholargico, qui fenestram in fastigio Anactori, Cereris templi Athenis adiecit (*τὸ ὀπαῖον ἐκορύφωσε.* Plutarchi Pericl. 13.) Vixit Periclis tempore.

XENOCRATES.

Statuarius incertae patriae, *Tisicratis, aut ut alii, Euthycratis discipulus, qui utrosque copia signorum vicit, et de sua arte composuit volumina.* Plin. XXXIV. 8. s. 19. Floruit circa Ol. CXXVI.

XENOCRITUS.

Vide quae dixi s. v. *Eubius.*

XENOPHILUS.

Vide quae dixi s. v. *Strato.*

XENOPHON.

I. Vide quae de eo dixi s. v. *Cephisodotus* I. ubi eum fere Ol. CII. floruisse statui. His iam adde locum Pausaniae IX. 16, 1. *Θηβαίοις Τύχης ἐστὶν ἱερόν· φέρει μὲν δὲ Πλοῦτον παῖδα· ὡς δὲ Θηβαῖοι λέγουσι, χεῖρας μὲν τοῦ ἀγάλματος καὶ πρόσωπον Ξενοφῶν εἰργάσατο Ἀθηναῖος, Καλλιστόνικος δὲ τὰ λοιπὰ ἐπιχώριος.*

II. Statuarius Parius (*ἀγαλματοποιός*) incertae aetatis, memoratus Diogeni Laertio II. 59.

Z.

ZENAS.

Sculptor, cuius nomen in protoma Musei Capitolini vidisse testatur Bracci memorie II. p. 275. ΖΗΝΑΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΕΠΟΙΕΙ.

ZENO.

Sculptor Aphrodisiacus, Attinis filius, cuius exstat statua senatoris in villa Ludovisiana. (Winckelm. Opp. T. VII. p. 237. sq. T. VI. P. I. p. 278.) Idem fecit et sepulchrum hermamque filio suo mortuo in flore iuventae, ut ex inscriptione quam Intpp. Winckelmanni Opp. T. VI. P. II. p. 341. ediderunt, apparet. Digna sunt lectu quae observarunt Intpp. ad h. l. unde mira Winckelmanni opinio de altero huius nominis artifice, deque urbe nova alibique inaudita, Staphi, ita refellitur, ut verbum addere non opus videatur. Vixisse eum dicunt Traiani tempore.

ZENODORUS.

Statuarius incertae patriae, qui in Gallia Cisalpina et Romae Nerone imperatore arti operam dedit. De eo Plinius XXXIV. 7. s. 18. haec habet: *Verum omnem amplitudinem statuarum eius generis vicit aetate nostra Zenodorus, Mercurio facto in civitate Galliae Arvernis per annos decem H—S $\overline{\text{CCCC}}$ manipretio. Is postquam satis artem ibi* [ita Reg. I. Dufr. I. Colb.

Vulgo: *ibi artem*] *approbaverat, Romam accitus est a Nerone, ubi destinatum illius principis simulacrum colossum fecit CX. pedum longitudine, qui dicatus Soli venerationi est, damnatis sceleribus illius principis. Mirabamur in officina non modo ex argilla similitudinem insignem, verum et ex parvis admodum surculis, quod primum operis instar fuit. Ea statua indicavit interisse fundendi aeris scientiam, cum et Nero largiri aurum argentumque paratus esset, et Zenodorus scientia fingendi caelandique nulli veterum postponeretur. Statuam Arvernorum cum faceret, provinciae Dubio Avito* (ita Cod. Voss.) *praesidente, duo pocula Calamidis manu caelata, quae Cassio Silano, avunculo eius, praeceptori suo Germanicus Caesar adamata donaverat, aemulatus est, ut vix ulla differentia esset artis. Quanto maior in Zenodoro praestantia fuit, tanto magis deprehenditur aeris obliteratio.* (Ita Reg. I. II. Dufr. I. Colb.) De ipso colosso nuper docte egit Thierschius Epoch. III. Adnot. p. 102. sq. quibus adiicere hoc volo, pro verbis *primum operis instar fuit*, codicem Reg. I. o. *instaurati fuit* exhibere, ad quam lectionem ceteri codd. magis minusve accedunt. Dubito an *instar aurati* hinc legendum sit.

ZEUXIADES.

Vide quae de eo disserui s. v. *Silanio.*

ZEUXIPPUS.

Pictor Heracleotes, qui Platonis aetate Athenis artem exercuit. Platonis Protag. p. 318. St. p. 166, 18.

ed. Bekk. Miro modo cum hoc Zeuxippo quaedam coniunxit Iunius in catalogo, quae de regione Byzantina hoc nomen habente narrantur.

ZEUXIS.

Pictor nobilissimus, de quo quum Plinius XXXV. 9. s. 36. satis accurate egerit, eius verba hic illic emendata illustrare conabimur; sunt autem haec: *Ab Apollodoro* [1]) *artis fores apertas Zeuxis Heracleotes* [2]) *intravit Olympiadis nonagesimae quintae anno quarto,* [3]) *audentemque iam aliquid penicillum (de hoc enim adhuc loquimur) ad magnam gloriam perduxit,* [4]) *a*

---

1) Qui vixit Ol. XCIII. — 2) Ita et Aelianus V. H. IV. 12. Heraclea ista fuit Graeciae magnae ut Harduinus et Gesnerus ex Cic. Invent. II. 1. collegerunt, ubi Crotoniatae ei picturas in templo aliquo suo ponendas demandasse dicuntur. Croto vero Heracleae finitima fuit. Tzetzes Chiliad. VIII. 196. eum Ephesium dicit. — 3) Tempus quod Plinius tribuit Zeuxidi, inde etiam confirmatur, quod Pana a se pictum Archelao donasse narratur, qui interpretibus iam perspicientibus, nullus alius quam Macedoniae rex Perdiccae filius est, regnans Ol. XCI. 4.—XCV. 3. (ante Ch. 413—400. V. Clinton fasti Hellen. p. 70. et 201.) Quintilianus quoque XII. 10. eum *circa* Peloponnesia tempora fuisse dicit. Olympiadis CVI. a. 2. iam obierit necesse est, quo quidem tempore Isocrates orationem περὶ Ἀντιδόσεως habuit, quem pariter atque reliquos omnes oratores ab aequalibus laudandis abstinuisse constat. Memorat vero Zeuxin §. 2. quo locum Harpocrationis spectantem e Photio recte emendavit Hemsterhusius in anecd. Vol. I. p. 241. sq. — 4) Quintil. l. l. *Zeuxis atque Parrhasius*

quibusdam falso in LXXIX. [5]) *Olympiade positus, cum fuisse necesse est Demophilum Himeraeum et Neseam Thasium, quoniam utrius eorum discipulus fuerit, amb-*

---

plurimum arti addiderunt. Luminum umbrarumque invenisse rationem Z. traditur. Nam Z. plus membris corporis dedit, id amplius atque augustius ratus, atque ut existimant Homerum secutus, cui validissima quaeque forma etiam in feminis placet. Omitto vero laudationes alias, unde nihil proficimus, cum universe tantum eius artis praestantiam celebrent, ut fere a scriptoribus veteribus artifices commemorantibus factum videmus. Petronius tamen eius opera *nondum vetustatis iniuria victa* fuisse testatur (84. p. 410.) et quamvis *non plus quam quatuor coloribus usus sit, formas tamen et lineamenta laudanda* esse auctor est Cicero (Brut. 18.), qui alio loco (Orat. III. 7.) ait, *dissimiles quidem inter se esse Zeuxin, Aglaophontem et Apellem, neque tamen eorum quenquam esse, cui quicquam in arte sua deesse videatur.* — 5) Vulgo legitur LXXXIX. Eum vero, quem nos restituimus numerum, praestant Reg. I. Edit. I., et quum subsidiorum criticorum auctoritas tum res ipsa veritatem huius numeri evincit. Ex vulgari enim scriptura duodetriginta tantum anni prodeunt, quibus sane Zeuxis floruerit oportet, ut reliqua de praeceptoribus verba inepte tantum addita videri possent; nostra vero lectione opinio chronologorum vere refutatur, quoniam ab hac Ol. usque ad XCV. sexaginta septem anni orirentur, quod temporis spatium illa quidem aetate, qua et inter Graecos μακρόβιοι rarescebant, Zeuxis arte sua vix explere potuit. Huc accedit quod Zeuxis non Ol. XCV. 4. primum artem exercuit, ut verba Plinii indicare possent, sed iam ante nobilis factus est, quod ex pictura, quam Archelao donavit, colligere licet, ut proinde Ol. LXXXIX. omnino non apta sit. Eo

igitur. In eum Apollodorus supra scriptus [6]) *versus fecit, Artem ipsi* [7]) *ablatam Zeuxin ferre secum. Opes quoque tantas adquisivit, ut in ostentationem* [8]) *earum Olympiae aureis literis in palliorum tesseris insertum nomen suum ostentaret. Postea donare opera sua instituit, quod nullo pretio satis digno permutari posse diceret,* [9]) *sicuti Alcmenam Acragantinis,* [10]) *Pana Archelao. Fecit et Penelopen, in qua pinxisse mores* [11]) *videtur, et athletam; adeoque in illo sibi complacuit,* [12]) *ut versum subscriberet celebrem ex eo, „invisurum aliquem facilius, quam imitaturum.“* [13]) *Magnificus est et* [14]) *Iupiter eius in throno, adstanti-*

---

melius contra omnia procedunt, quum Demophilum et Neseam Ol. LXXIX. floruisse statuimus. — 6) Ita Reg. I. Dufr. I. Edit. I. Vulgo *dictus*. — 7) Vulgo *ipsis;* at quibusnam? Hinc Harduinus non omnino inepte *ipsius* coniecit; veram tamen scripturam puto esse *ipsi*, i. e. Apollodoro, quod Durandus e MS. Voss. Biblioth. Leid. protulit. — 8) Vulgo *ostentatione;* recepi emendationem Gronovii. Qua ratione pecuniam acquisiverit, tradit Aelianus V. H. IV. 12. — 9) Ita scripsi e cod. Reg. I. quocum consentiunt Dufr. I. (in quo tamen est *permutare*) et Edit. I. quae habet *digne*. — 10) Ita Edit. I. Vulgo *Agrigentinis*. — 11) His adversari ait Iunius Aristotelis verba Poet. 6. *ἡ δὲ Ζεύξιδος γραφὴ οὐδὲν ἔχει ἦθος.* Sed vox *videtur* ipsius tantum Plinii, qui fortasse picturam omnino non viderat, neque totius antiquitatis iudicium indicat. — 12) Ita scripsi ex Edit. I. quacum etiam facit Reg. I. in quo est *in illo sibi placuit;* vulgo *sibi in illo placuit*. — 13) Tribuunt alii hunc versum Apollodoro, quem vide. — 14) *et* addidi ex Edit. I. Vulgo abest. —

bus diis; et Hercules infans dracones instrangulans,[15]) *Alcmena matre coram pavente et Amphitryone. Deprehenditur tamen ceu*[16]) *grandior in capitibus articulisque, alioqui tantus diligentia, ut Acragantinis*[17]) *facturus tabulam,*[18]) *quam in templo Iunonis Laciniae publice dicarent, inspexerit virgines eorum nudas et quinque elegerit, ut quod in quaque laudatissimum esset, pictura redderet. Pinxit et monochromata ex albo. — — Descendisse Parrhasius in certamen cum Zeuxide traditur, et cum ille detulisset uvas pictas*

---

15) Hanc vocem e cod. Reg. I. recepi, quum vulgo legatur *strangulans.* Nondum quidem in lexicis annotatam esse scio; sed quidni ex codice optimae notae vocem hucusque ignotam recipiamus, quae cum verbo *instringere* apud Pseudo-Quintil. Declam. V. 16. adeo convenit. — 16) Hic vulgo legitur *Zeuxis;* sed cod. Chiffl. habet *seu,* in Reg. I. ubi *Zeuxis* abest, tres literae erasae fuerunt, et Edit. I. exhibet *ceu,* quod recepi, quum interpolationis vocis *Zeuxis* originem clare patefaciat; habet vero ista particula, qua mirifice delectatur Plinius, hanc nostro loco significationem, ut vim comparativi mitiget, plane ut nos loquimur: *Doch findet man ihn wie etwas zu stark.* De re ipsa v. Quintiliani locum supra laudatum. — 17) ita Reg. I. Antea *Agrigentinis.* — 18) Ista quidem tabula fuit Helena, sine dubio eadem, quam infra commemoravit Plinius. Crotone neque Agrigenti rem factam fuisse tradunt Dionys. Halic. περὶ τῶν ἀρχαίων λόγων ἐξετάσεως (Opp. T. V. p. 417. ed. R.) et Cicero Invent. II. 1. qui eam egregie narrat. Quanti fecerit hanc picturam ipse Zeuxis, patet ex Valerio Max. III. 7. ext. 3. Nicomachi vero de ea iudicium refert Stobaeus serm. 61. unde Aelianus

tanto successu ut in scenam aves devolarent, [19]) *ipse detulisse linteum pictum ita veritate repraesentata, ut Zeuxis alitum iudicio tumens flagitaret tandem remoto linteo ostendi picturam, atque intellecto errore concederet palmam ingenuo pudore, quoniam ipse volucres fefellisset, Parrhasius autem se artificem. Fertur et postea Zeuxis pinxisse puerum uvas ferentem, ad quas cum advolasset avis,* [20]) *eadem ingenuitate processit iratus operi et dixit; „uvas melius pinxi, quam puerum: nam si et hoc consummassem, avis timere debuerat.“ Fecit et figlina opera, quae sola in Ambracia relicta sunt, cum inde Musas Fulvius Nobilior* [21]) *Romam transferret. Zeuxidis manu Romae Helena est in Philippi porticibus: et in Concordiae delubro Marsyas religatus.*

Pauca praeterea de Zeuxide a veteribus scriptoribus narrantur, quae fere haec sunt: Pinxit *Menelaum* (Tzetz. Chiliad. VIII. 196. 198.), *Borean* et *Tritona* (Lucian. Timon. p. 128. ed. Hemsterh. min.), *Centau-*

V. H. XIV. 47. corrigendus. Quid de Helena statuendum sit, quam Athenis in porticu frumentaria (ἀλφίτων στοὰ) fuisse ait Eustath. ad Iliad. λ. 629. p. 868, 37. ed. R. nemo facile divinabit. Iunius certe mirum quantum errat, cum Helenam Crotoniensem olim Athenis spectatam fuisse narret. — 19) ita scripsi ex Edit. I. Vulgo *advolarent,* huc translatum ex sequentibus. — 20) *advolasset avis — avis timere debuerat,* ita Reg. I. Chiffl. Alii codd. pluralem numerum exhibent. Ad rem ipsam cfr. Seneca Controv. X. 5. — 21) Cfr. Eumenius pro restaurandis scholis, 7.

rum (Lucian. Zeux. T. IV. p. 128. coll. Böttigero in vasis pict. III. p. 148. sqq) et *Cupidinem* formosissimum, coronatum in Veneris templo Athenis. Hunc quidem Scholiastes ad Aristoph. Acharn. 991. memorat; quod tamen vere dictum esse nondum mihi persuadere potui. Quodsi enim Aristophanes in illo loco Zeuxidis aliquam picturam indicasset, pictor ille ante Ol. LXXXVIII. 3. artem exercuisse putandus esset, quo anno Aristophanes Acharnenses docuit. Tum vero Plinius, vel potius Graecus quem secutus est auctor, verbis *artis fores apertas Z. intravit Olympiadis XCV. anno quarto* uti omnino non potuit, et haec est causa, quae etiamnum impedit, quominus Scholiastae aurem praebere possim, praesertim quum Aristophanes ne verbum quidem addiderit, unde de pictoris nomine aliquid colligere possimus. Ceterum illa Scholiastae verba exscripsit Suidas s. v. Ἀνθέμων. Quomodo Agatharchum refutaverit v. Plutarch. Pericl. 13. coll. eodem de amicor. multitud. T. VII. p. 293. ed. Hutt. Responsum autem ab eo Megabyzo datum (Aelian. V. H. II. 2.) plerique ad Apellem referunt. (V. supra.)

ZOPYRUS.

Caelator argenti circa Pompeii Magni aetatem, qui *Areopagitas et iudicium Orestis caelavit in duobus scyphis H—S. XII. aestimatis.* (Plin. XXXIII. 12. s. 55.)

APPENDIX. *)

ABRO.

Vide *Habro* in Catalogo.

AGAMEDES.

Architectus mythicus cum Trophonio semper coniunctus. V. Odofr. Mülleri libr. de Orchomeno et Minyis p. 97.

AGROLAS.

Architectus mythicus, de quo v. Pausan. I. 28, 3. quem locum iusta interpunctione lacunae suspicione liberavit Bekkerus: *τῇ δὲ Ἀκροπόλει* (*ἐν Ἀθήναις*), *πλὴν ὅσον Κίμων ᾠκοδόμησεν αὐτῆς ὁ Μιλτιάδου, περιβαλεῖν τὸ λοιπὸν λέγεται τοῦ τείχους Πελασγοὺς οἰκήσαντάς ποτε ὑπὸ τὴν ἀκρόπολιν· Φασὶ γὰρ Ἀγρόλαν καὶ Ὑπέρβιον. πυνθανόμενος δὲ οἵτινες ἦσαν, οὐδὲν ἄλλο ἐδυνάμην μαθεῖν ἢ Σικελοὺς τὸ ἐξ ἀρχῆς ὄντας ἐς Ἀκαρνανίαν μετοικῆσαι.* Ipsum nomen artificis mythicam eius originem indicat, quod nihil est nisi *lapidicoactor.*

ALCO.

Caelator mythicus, qui cratera fecit postea ab Aenea possessum. Ovidii Metam. XIII. 684. sq. ubi

*) De artificibus quos in hanc appendicem reiiciendos putavi, videatur praefatio.

emendationem Heinsii *Nileos* pro *Myleus* e codd. plerorumque vestigiis restituentis unice veram esse puto. Lactantius Placidus in argg. fabb. (T. II. p. 278. ed. Muncker.) eum *Lydium* vel ex uno libro MSto *Lindium* dicit. Cum *Boetho*, artifice notissimo, coniungit eum auctor Culicis Virgiliani 66., qui, siquidem locus ab omni mendo vere liber est, de temporum rationibus nimis securus fuisse videtur. Ad eundem artificem referenda videntur verba Damoxeni apud Athen. XI. p. 469. A.

ALEXANDER.

I. Filius Persei, ultimi Macedoniae regis, captivus Romae artem fabri aerarii exercuit. Plutarchi V. Aemil. Paulli. 37. Oros. IV. 20.

II. Architectus, notus ex Inscript. ap. Grut. p. 623, 2.

C. LICINIUS. M. LIBERTUS....
ALEXANDER. ARCHITE....
LICINIA. EPICHARIS....
C. LICINIUS. C. L. EPITYNCHA....
LICINIA. C. ET.) L. D.

III. Scalptor, de quo v. Gurlittum über die Gemmenkunde (Magdeburgi. 1798.) p. 22. et Winckelm. Opp. Vol. VI. T. II. p. 213.

ALEXANOR.

Architectus mythicus, de quo vide Pausan. II. 11, 6. ὕστερον δὲ Ἀλεξάνωρ ὁ Μαχάονος τοῦ Ἀσκληπιοῦ, παραγενόμενος ἐς Σικυωνίαν, ἐν Τιτάνῃ τὸ Ἀσκληπιεῖον ἐποίησε.

AMIANTHUS.

Architectus apud Reines. Inscr. Cl. X. 3. p. 597. extrema inscriptione:

AMIANTHUS. ARCHITECT. NICANORIAN.

AMIANTUS.

Caelator, notus ex Inscript. ap. Gruter. p. 583, 5.

ANTIGONUS. GERMANICI
CAESARIS
ARGENTARIUS
VIXIT. AN. XLII
AMIANTUS. GERMANIC
CAESAR. CAELATOR
FECIT

AMULIUS.

Vide *Fabullus* in Catalogo.

ANTIUS.

Architectus notus ex Inscript. ap. Muratori in Novo Thes. Inscr. I. p. 86, 7.

NYMPHIS. NUMIN. SERM
SACRUM
L. ANTIUS L. FIL. PA
LATINA ARCHI
TECTUS D. D.

APOLLONIUS.

Vide *Archelaus* in Catalogo.

APULEIUS.

Architectus, notus ex Inscript. ap. Gruter. p. 41, 5.

TEMPLUM. DIANAE
MATRI. D. D. APU
LEIUS. ARCHITEC
TUS. SUBSTRUXIT

AQUILA.

Raspius nr. 6225. laudat gemmam (Venus lavans) cui nomen inscriptum est ΑΚΥΙΛΑC, quod fortasse pro nomine scalptoris haberi possit; equidem tamen ex more Romano possessorem lapidis suum nomen incidendum curasse putaverim.

ARCHIAS.

Architectus Corinthius, aequalis Hieronis II. regis Syracusani, qui ei navem struendam demandavit. Quum nullum eius opus vere architectonicum memoretur, eum ipsi Catalogo inserere nolui. Athen. V. p. 206. F.

ARCHIPHRON.

Vide *Chersiphron* in Catalogo.

ARGUS.

Sculptor mythicae aetatis, Iunonis simulacrum ligneum fecit. Clem. Alex. Protr. p. 30. D. Sylb. *Δημήτριος ἐν δευτέρῳ τῶν Ἀργολικῶν τοῦ ἐν Τίρυνθι τῆς Ἥρας ξοάνου καὶ τὴν ὕλην ὄρχνην καὶ τὸν ποιητὴν Ἄργου ἀναγράφει.*

ARTEMA.

Architectus notus ex Inscript. ap. Gudium p. 224. nr. 9.

M. VALERIC. M. F. POL
ARTEMAE. ARCHITECTO
etc.

ARUNTIUS.

Aruntius Paterculus Egestanus, artifex fictus, ut quivis videbit, qui ineptam historiolam apud Pseudo-Plutarch. Parall. (Opp. T. VII. p. 251. sq. ed. R.) legerit.

CALACES et CALADES.

Vide *Calates* in Catalogo.

CALLIADES et CALLIAS.

Vide *Callides* in Catalogo.

CARVILIUS.

Pictoribus hunc virum nonnulli adnumerant ex Pseudo-Donati Vita Virgilii §. 62. *Est et adversus Aeneida liber Carvilii Pictoris, titulo Aeneidomastix.*

CHARMAS.

Vide *Charmadas* in Catalogo.

CHIROCRATES.

Vide *Dinocrates* in Catalogo.

CHOERILUS.

Sculptorem hunc dicit Iunius in Catalogo ex Pausaniae loco (VI. 17, 3.) pessime intellecto: τούτων δέ εἰσιν Ἠλεῖοι πλησίον πυγμῇ παῖδας κρατήσαντες, ὁ μὲν Σθένιδος ἔργον τοῦ Ὀλυνθίου Χοίριλος κ. τ. λ. Inde luce clarius patet, Iunium, quaecunque e Pausania tradiderit, non ex ipso scriptore sed e versione latina ab Amasaeo confecta hausisse, in qua illa verba nullam dubitationem admittentia ita expressa leguntur: *Sthenis, Olynthii Choerili opus.*

CISSONIUS.

Architectus, notus ex Inscript. ap. Gruter. p. 537. nr. 4.

D. M.
Q. CISSONIO. Q. F.
HOR. APRILI
VETERANO. COH. II. PR.
ARCHITECTO. AUGUSTOR
PATRICIA. TROPHIME
VIRO. BENEMERENTI

CLEAGORAS.

Adscripsi huius viri nomen, quum eum pictorem fuisse facile putare possis. Leguntur enim apud Xenophont. Anab. VII. 8, 1. haec verba: *ἀπαντᾷ τῷ Ξενοφῶντι Εὐκλείδης μάντις Φλιάσιος ὁ Κλεαγόρου υἱὸς τοῦ τὰ ἐνύπνια ἐν Λυκείῳ γεγραφότος.* Sed quum huius loci fides critica valde incerta sit, aliis codd. alia exhibentibus, L. Dindorfii exemplum secutus iudicium de eo quod Xenophon scriptum reliquerit ferre non audeo; hoc tamen contenderim, de scriptore aliquo neque de pictore agi.

CLONUS.

Caelatoris ficti nomen ap. Virgil. Aen. X. 499.

COCCEIUS.

Architectus notus ex Inscript. apud Fabretti Inscr. domest. p. 227. 623.

L. CALPURNIUS
L. F. TEMPLUM. AUGUSTO. CUM
ORNAMENTIS. DD.

in latere templi sinistro

L. COCCEIUS. L.
C. POSTUMI. L.
AUCTUS. ARCHITECT.

CONSTANTIUS.

Architectus notus ex Inscr. ap Gudium 372, 3.

P. CC. DD. NN. VALENTINIANI ET. ANATOLI
DIE. XV. KALENDAS. MAIAS. CONSTAN
DEPOSITUS. IN. PACE. QUI. VIXIT
ANNIS. LXX. MENS
LOCUS. CONSTANT. ARCITEC
QUI. FUIT

CORNELIUS.

Architectus notus ex Inscript. ap. Grut. p 99, 9.

P. CORNELIUS
THALLUS
P. CORNELI. ARCHITECTI. FIL
MAG QUINQ
etc. etc.

CTESIPHON.

Vide *Chersiphron* in Catalogo.

DACTYLIDES.

In nonnullis editt. Plinii olim sic legebatur pro eo quod nunc repositum est *Dercylides*, quem v. in Catalogo.

DASSUS.

Scalptor notus ex inscriptione ap. Fabretti Inscr. Antiqu. p. 17. nr. 75.

CRITONIA. Q. L. PHILENIA
POPA. DE. INSULA
Q. CRITONI.). L. DASSI
SCALPTORIS. VILARI
SIBI. SUISQUE. POSTER
EOR

DEMOCRATES.

Architectus, notus ex Inscript. ap. Muratori Nov. Thes. Vol. II. p. 949, 6.

ΔΗΜΟΚΡΑΤΗC
ΠΕΡΙΚΛΥΤΟC
ΑΡΧΙΤΕΚΤΟC
ΜΕΩΡΘΩCEN
ΔΙΑΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ
ΜΑΚΕΔΟΝΟC ΒΑΣΙΛΕΩC

DESILAUS.

Vide *Ctesilaus* in Catalogo.

DEXIPHANES.

Tzetzes in Chiliad. II. 33. V. 44. eum Pharum Alexandriae sub Cleopatra Antonii uxore struxisse inepte narrat, quod illius filium *Sostratum* sub Ptolemaeo Lagi fecisse notum est.

DINOCHARES et DIOCLES.

Vide *Dinocrates* in Catalogo.

DIO.

Architectus notus ex Inscript. ap. Donati Suppl. Vet. Inscript. Murat. p. 318.

ANIO. DIONE. ARC..TECTO.

DIODORUS.

Recepi hunc virum in appendicem ex lapide Farnesino, cuius inscriptionem edidit Visconti in monumentis Gabinis villae Pincianae p. 154 sq. ita habentem:

Ἑστὼς διστάζεις τίς ὕπεστι τῷδ' ὑπὸ τύμβῳ;
ὡ'νὴρ εὖ ζήσας τρεῖς ἐτέων δεκάδας.
Τοὔνομ' Ἀπολλοφάνης, πίστει μέγας ἠδ' ἔτι δόξῃ,
ὃς προλέγει θνητοῖς εὐφροσύνης μετέχειν.
Τὴν δ' ἐπιτυμβίδιον τούτῳ θῆκεν χάριν ὃν τρέφε παῖδα·
τοὔνομα καὶ τέχνην ἣν Διόδωρος ὅδε.

Incertum quum sit, de quanam arte τέχνη sit intelligenda, (simpliciter enim artem rhetoricam ita dictam fuisse constat,) malui Diodorum appendici quam ipsi catalogo inserere.

DIOMEDES.

Caelator notus ex Inscript. ap. Gruter. p. 639, 11.

L. FURIUS. L. L.
DIOMEDES
CAELATOR. DE. SACRA
VIA
etc. etc.

DIONYSODORUS.

I. II. Vide *Dionysiodorus* in Catalogo.

DIPHILUS.

Architectus notus ex Inscript. ap. Corsinium in Notis Graecis p. 64.

ΠΡΟΑΣΤΕΙΑ. ΛΙΜΗΝΤΕ. ΠΡΟΣ. ΠΟ
ΛΙΤΗΙΟΝ. ΚΑΙ. ΝΑΥΤΙΛΟΙΟΝ. ΕΠΙ
ΤΗΔΕΙΟΤΗΝ. ΒΟΥΛΕΥΤΑΙ. ΣΤΑΒΙΟΙ
Σ. Σ. ΔΙΦΙΛΟΣ. ΚΑΙΤΟΙ. ΒΡΑΔΥΣ. ΑΡΧΙ
ΤΕΚΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΠΡΟΣΤΑΓΜΑ. ΟΜΩΝ
ΤΑΧΥΣ. ΕΡΓΑ. ΟΛΥΜΠΙΑΔΕ. Α

EGESIAS.

Vide *Hegesias* in Catalogo.

ELADAS.

Vide *Ageladas* in Catalogo.

EMILUS.

Vide *Smilis* in Catalogo.

EMO.

In gemma apud Bracci memorie II. nr. 52. leguntur literae HMO, quae initium nominis alicuius artificis indicare videntur.

EUANTHES.

Pictor apud Achillem Tatium III. 6. quod nomen ab ipso scriptore fictum esse recte monent Göttlingius et Iacobsius ad h. l. et Böttigerus in libro recens edito: Kunstmythologie Vol. I. p. 232.

ΕΥΚΛΕΙΔ et ΕΥΜ.

Vide infra sub ΣΩ.

EURIPIDES.

Poeta tragicus celeberrimus initio pictor fuisse traditur, auctoribus certe Suida et Moschopulo in vita.

FRONTINUS.

Architectus Romanus notissimus, qui librum de aquaeductibus reliquit. Obiit a 106. p. Ch. n.

FRUCTUS.

Pictor notus ex Inscript. ap. Doni inscr. antiqu. p. 316, 5.

C. OCTAVIO
C. F. PAL. FRUCTO
ARCHITECTO. AUG
VIX. ANNIS. XXVI
DIEBUS. L
C. OCTAVIUS
C. F. PAL. EUTYCHUS
PATER
FILIO. PIISSIMO
FECIT

GELADAS.

Vide *Ageladas* in Catalogo.

HERACLA.

Pictor notus ex Inscript. in Columb. Lib. Aug. p. 157.

HERACLA
AUGUSTAE. L
PICTOR

HERMO.

Sculptor mythicus, de quo Etymol. Magn. haec habet: Ἑρμώνεια, προσωπεῖα οὕτω καλούμενα ποιά, ἀπὸ Ἑρμῶνος τοῦ πρῶτον εἰκονίσαντος.

HYPERBIUS.

Vide supra *Agrolas.*

IADES.

Vide *Silanio* in Catalogo.

ICMALIUS.

Faber lignarius commemoratus ab Homero Od. 19, 57.

IDECTAEUS.

Vide *Angelio* in Catalogo.

IPHICRATES.

Vide *Amphicrates* in Catalogo.

IPHIS.

Vide *Hippias* in Catalogo.

IULIUS.

Architectus notus ex Inscript. ap. Gruter. p 594, 4.

C. IULIO
LUCIFERI. FILIO
POSPHORO
ARCHITECT. AUG.

LACO.

Vide *Gorgias* in Catalogo.

LAERCES.

Aurifex memoratus ab Homero Od. 3, 425. ubi tamen nonnulli nomen appellativum invenire sibi visi sunt; v. Schol.

LAEDUS.

Vide *Leostratides* in Catalogo.

LEONTIUS.

Vide *Pythagoras Rheginus* in Catalogo.

LEOPHON.

Vide *Lophon* in Catalogo.

LUCIANUS.

Scriptor celeberrimus usque ad trigesimum aetatis annum statuarius fuit.

LUPUS.

Architectus notus ex Inscript. ap. Gruter. p. 57, 7.

MARTI
AUG. SACR
C. SEVIUS
LUPUS
ARCHITECTUS
A. F. DANIENSIS
LUS + ANUS· EX. V. P.

MAMURIUS.

Faber aerarius notissimus, qui Numae Regi ancilia et aeneum Vertumni signum fecit. Propert. IV. 2, 61. sq. Ovidii Fast. III. 383. sqq. Plutarchi Numa 13. Serv. ad Virg. Aen. VIII. 664.

MAECIUS.

Architectus notus ex Inscript. ap. Muratori Nov. Thes. II. p. 831, 8.

D. M.
P. MAECI. P. F
POL. PROCULI
MIL. CHO. III. PR
ARCHITECT. AUG
C. MAECIUS
CRESCES
PRATRI. PIENTISSIMO

MAXIMUS.

Vide *Alsimus* in Catalogo.

MENDAEUS.

Vide *Paeonius* in Catalogo.

MENEDEMUS.

Philosophus notus, quem pingendi artis non omnino imperitum fuisse tradit Diog. Laert. II. 127.

MESTRIUS.

Pictor notus ex Inscriptione ap. Gruter. p. 90, 4.

MESTRIUS. MARIINUS
PICTOR. CONSTITUIT
PRO. SALUTE. SUA. ET
SUORUM
FANUM. DOMINAR

MI.

De his literis v. infra sub ΣΩ.

MIΘ.

Initium nominis scalptoris gemmae incisum, quod Winckelmannus (monum. ined. p. 238. description

des pierres gravées p 543.) et Bracci (Vol. II. p. 140.) Mithridatis esse putarunt.

MYRO.

Pictor notus ex Inscript. ap. Bianchini iscrizioni sepulcrali de Liberti p. 77.

MYRO. AUGUSTI. LIBERTUS. PICTOR

NESTOCLES.

Vide *Critias* in Catalogo.

NICAEUS.

Iunius in Catalogo s. h. v. ex „optimae notae cod. Vossiano“ hanc lectionem Plinii H. N. VII. 12. s. 10. profert: *Indubitatum exemplum est Nicei nobilis pictoris Byzanti geniti, qui adulterio Ethiopis nata matre nichil a ceteris colore differente, ipse in avum degeneravit Ethiopem.* Iunius inde legit: *I. e. e. Nicaei n. pictoris Byzantii g. qui a. Aethiopis n. matre, nihil a c. c. d. ipse in alium d. Aethiopem.* — Optimus ille Vossianus codex certe non est, qui a XX. demum libro exordiatur, et *pictoris* nihil est nisi inepta glossa vulgatae et verae lectionis *pyctae.*

NICO.

Vide *Mico* in Catalogo.

NUMISIUS.

Architectus qui theatrum Herculanense condidit; v. (Gori) Notizie del memorabile scoprimento della Citta d' Ercolano p. 4. 5.

L. ANNIUS. L. F. MAMMIANUS. RUFUS. IIVIR. QUINQ. THEATR. O... P. NUMISIUS. ARC..TEC...

ONASIAS.

Vide *Onatas* in Catalogo.

PARELIUS.

Vide *Scopas* in Catalogo.

PARTHENIUS.

Caelatoris nomen, ut videtur, fictum. Iuvenal. XII. 44. c. Schol.

PERELIUS.

Vide *Scopas* in Catalogo.

PHILARCURUS.

Pictor notus ex Inscript. apud Reines. Cl. XI. nr. 67. p. 632.

PHILARCURI
PICTORIS

PHILIPPUS.

Architectus notus ex Inscript. ap. Gruter. p. 623, 5.

PHILIPUS
ARCHITECTUS
MAXIMUS
HIC. SITUS
EST

PHILOMUSUS.

Pictor notus ex Inscript. ap. Muratori Nov. Thes. II. p. 948, 4.

P. CORNELIUS. P. L. PHILOMUSUS. PICTOR.
SCAENARIUS

PHILOPINAX.

Pictoris nomen fictum ab Aristaeneto Epp. II. 10.

PISICRATES.

Vide *Tisicrates* in Catalogo.

PLOTARCHUS.

Vide *Protarchus* in Catalogo.

POLYCRITUS.

I. Architectus mythicus, de quo ineptam historiolam tradit Pseudo-Plutarchus in quaestt. Gr. 37. T. VII. p. 196. ed. R.

II. Sponius in Miscellan. Erud. Antiq. p. 135. hanc inscriptionem laudat:

ΤΙΜΟΘΕΟΣ ΑΘΗΝ....
ΠΟΛΥΚΡ....

unde ipse Polycritum facit; aequo tamen iure has literas ad *Polycratem* in Catalogo laudatum referre possis.

POMPEIUS.

Architectus notus ex Inscript. ap. Gruter. p. 623, 5.

SEX. POMPEIO. AGASIO. SEX. POMPEI.
ARCHITECT. A. VILLAE. SEXTIAN.
ABAUL. AGRI. LOC. MARIT. HAEC. AEDICUL.
INCHOA. PRID
IDUS. APRIL.... PRAESENTIAE
IN. FR. IN. AGR
P. XIIX. P. XXII
GERMANICO. CAESARE. ET. C. FONTEIO.
CAPITONE. COS.

POSPHORUS.

Architectus notus ex Inscript. ap. Gruter. p. 594, 4.

C. IULIO
LUCIFERI. FILIO
POSPHORO
ARCHITECT. AUG
CLAUDIA. STRATONICE
UXOR. VIRO
OPTIMO

POSTHUMIUS.

Architectus notus ex Inscript. ap. Reines. Cl. XI. nr. 22. p. 616.

C. POSTHUMIUS
ARCHITECT

PTERAS.

Architecti fictum nomen, qui templum Delphicum Apollinis condidisse fertur mythica aetate. Pausan. X. 5,5.

PUBLIUS.

Homo Romanus, qui Issam catellam nitidissimam vel ipse pinxit vel ab alio pingendam curavit. Martial. I. 109.

PYTHAGORAS.

Statuarius Leontinus, de quo v. *Pythagoras Rheginus* in Catalogo.

RHOLUS.

Vide *Theodorus* in Catalogo.

SERAPIO.

Sculptor notus ex Inscript. ap. Gori Columb. p. 157.

M. RAPILIUS. SERAPIO. HIC
AB. ARA. MARMOR
OCULOS. REPOSUIT. STATUIS
QUA. AD. VIXIT. BENE

SIMO.

Vide *Simmias* in Catalogo.

SIOBOETHUS.

Vide *Boethus* in Catalogo.

ΣΩ.

Nöhdenius in libro: Selection of ancient coins p. 49. contendit has literas in numorum Syracusanorum variis locis visos nomen artificis indicare, quod fuisse putat ΣΩΣΙΩΝ. Similia statuit de literis ΞΑ i. e. Ξάνϑος ap. Paruta tab. 37, 1. de MI fort. Μίκυλλος ibid. 2. Eodem refert numos laudatae collectionis nr. 15. ubi ΕΥΚΛΕΙΔ interpretatur per Εὐκλείδης et nr. 19. ubi ΕΥΜ suspicatur initium esse nominis Εὐμενής.

SOPYLUS.

Vide *Sopolis* et *Dionysius IV*. in Catalogo.

SOTRATUS.

Vide *Sostratus* in Catalogo.

SOTER.

Pictor notus ex Inscript. ap. Maffei Mus. Veron. p. 257.

D. M.
TI. CLAUDI. SOTERIS
PICTORIS. QUODSI
GULARI. CARISIA
IUCUNDA. FECIT

STASICRATES.

Vide *Dinocrates* in Catalogo.

TELOCHARES.

Prava lectio pro *Leochares.*

TICHICUS.

Architectus notus ex Inscript. ap. Donati Supplem. p. 203, 2.

DIS. MANIB
TICHICO. IMP. DOMIT. SER
ARCHITECTO
etc.

TROPHONIUS.

Vide supra *Agamedes.*

TURIANUS.

Apud Plinium H. N. XXXV. 12. s. 45. leguntur in editione Harduini haec: *Praeterea elaboratam hanc artem (plasticen) Italiae et maxime Etruriae: Turianumque a Fregellis accitum, cui locaret Tarquinius Priscus effigiem Iovis in Capitolio dicandam,* quam lectionem codd. Reg. II. Colbert. Dufr. I. magis minusque confirmant. Mirum quantum vero ab hac lectione distat Cod. Reg. I. in quo haec inveniuntur: *Etruria at vulgamulis accitum cui.* Recte quidem inde Harduinus collegit, vulgatam lectionem esse spuriam atque interpolatam, neque tamen vidit, quid boni ex lectione Regii I. duci posset. Brotierius autem paullo audacius rem gerens edidit: *Etruriae: adcitum a Fregellis, cui,* quod et a vulgata scriptura et ab ea quam Reg. I. exhibet, pariter est remotum. Nondum quidem rem discernere ausim, quum ex illa lectione corrupta varia coniicere liceat; attamen vix dubito quin

locus ita fere constitui possit: *et maxime Etruriae: et* VOLSINIIS *accitum, cui* etc.

VARRIUS.

Architectus notus ex Inscript. ap. Donati Suppl. I. p. 38, 1.

HERCULI. SERVAT
K. AEMILIUS. K. F. QUIRINA
VARRIUS
ARCHITECTUS. EXERCIT
etc.

VITALIS.

Architectus notus ex Inscript. ap. Montfaucon Antiquités V. p. 95. tab. 87.

TI. CLAUDIUS. SCARAPHI. L. VITALIS
ARCHITECTUS. V. A. XL
FECIT. SIBI. ET. SUIS
etc.

VITELLIANUS.

Architectus notus ex Inscript. ap. Doni inscr. antiq. p. 317, 6.

SEX. VEIANIUS. SEX. F
QUIR. VITELLIA
NUS. ARCHITECTUS
FECIT. SIBI
etc. etc.

VITRUVIUS.

Architectus notus ex Inscript. ap. Gruter. p. 186, 4.

L. VITRUVIUS. L. L. CERDO
ARCHITECTUS

VOLACINUS.

Architectus notus ex Inscript. ap. Muratori Nov. Thes. II. p. 976, 4.

VA. SELENE. VO
LACINO. MAR
CON. QUO. V. LX. AN
XL. SINE. ULLA
DISCORDIA
ARCHITECTO
ET. VOL. HIL
LAR. B. M. P.

ΞA.

De his literis v. supra sub ΣΩ.

ZEUXIS.

Statuarius, de quo vide *Silanio* in Catalogo.

ZMILUS.

Vide *Smilis* in Catalogo.

ZOSIMUS.

Caelator notus ex Inscript. ap. Gruter. p. 639, 12. quam et publicavit Scriverius ad Martial. IV. 39.

D. M.
M. CANULEI. ZOSIMI
VIXIT. ANN. XXVIII
FECIT. PATRONUS. LIB. BENEMERENTI
HIC. IN. VITA. SUA. NULLI. MALEDIXIT
SINE. VOLUNTATE. PATRONI. NIHIL. FECIT
MULTUM. PONDERIS. AURI. ET. ARGENTI
PENES. EUM. SEMPER. FUIT
CONCUPIIT. EX. EO. NIHIL. UNQUAM
HIC. ARTE. IN. CAELATURA
CLODIANA. EVICIT. OMNES

ADDENDA.

P. 3. lin. 15. Guilielmus Dindorfius amicissime me monuit, *Athenaei* nomen, quod praeterea Ἀθήναιος scribendum fuisset, sententiae meae probandae vix sufficere et nomina aliorum populorum vel oppidorum esse afferenda, hominibus attributa. Ipse laudat e Thucyd. I. 45. Λακεδαιμόνιος ὁ Κίμωνος, cui alia similia nunc addam. *Paeonius* sculptor quaeratur in Catalogo p. 310. Ἐλευσίνιος est ap. Boeckhium Corp. Inscr. Nr. 266. col. 2. l. 15. Λέσβιος ibid. nr. 268. l. 21. Ἰωνικός ibid. nr. 193. l. 19. Ἐρετριεύς ibid. nr. 169. col. 1. l. 14. De *Carystio* Pergameno, qui scripserat περὶ διδασκαλιῶν, v. Catalog. p. 25.

P. 67. lin. 15. In verbis Plinii *percunctantique, quanti liceret opera effecta, parvum nescio quid dixerat*, I. Fr. Gronovius in obss. eccles. 6. p. 69. suspicatus est: *quanti licitarentur — dixerant* sc. Rhodii. Sed usus verbi *licet* in emtionibus et venditionibus singularis vulgatum tuetur; v. Gesneri Thes. L. L. s. h. v. nr. 3.

P. 73. lin. 3. sqq. De *Diana sacrificantium virginum choro mixta* ingeniose disputavit Welckerus in append. ad trilog. Aeschyl. p. 158. sqq.

P. 104. *Bathyclem* multo seriore, quam vulgo sumitur tempore floruisse, fortasse post magnas demum Lysandri victorias, nove ait Hirtius in annal. crit. liter. Berol. 1827. p. 242.

P. 107. l. 4. adde Hirtium l. l. p. 244. sq.

P. 125. l. 7. *Callimachus* floruit Ol. XCII. ex sententia Hirtii l. l., qui unde noverit, ipsa illa Olympiade lampada factam fuisse, nescio.

P. 127. l. 27. De corruptelis verborum a praepositionibus incipientium v. Reisigii Coniect. ad Aristoph. I. p. XI.

P. 155. Casu excidit in hac pagina nomen *Cleomenis* sculptoris, qui igitur *quartus* huius nominis nobis est cognitus. Uhdenius enim in Comment. Academ. R. Berol. annorum MDCCCXII. et XIII. (Class. histor.

phil. p. 74. sqq.) aram descripsit variis figuris exornatam, quibus haec verba subscripta sunt: ΚΛΕΟΜΕΝΗΣ ΕΠΟΙΕΙ.

P. 290. l. 11. Bekkerus etiam, ut nunc demum animadverto scripturam Πολυκλείτου praetulit.

P. 309. Post impressam demum hanc plagulam accepi Champollioni-Figeac Lineamenta Archaeologiae, Parisiis 1826. edita, qui Vol. II. p. 33. *Onesimum* scalptorem, eiusque gemmam caput Minervae habentem laudat, quem unde sumserit, nescio.

P. 323. s. v. *Pasiteles*, Hirtius l. l. p. 240. apud Plinium 36. 4. §. 10. *Pasiteles* quidem praefert, sed per mirum errorem eum aequalem Polyclis II. Ol. CLV. facit.

P. 335. l. 21. *Phidiam* Iovem suum post Minervam in Parthenone fecisse contendit etiam Hirtius l. l. p. 241.

P. 411. l. 23. *Scopas fecit Venerem et Pothon et Phaetontem;* pro ultima voce Hirtius in commentat. Acad. Berol. l. l. p. 15. legendum putat *Phanetem*, ut Ἔρως οὐράνιος opponatur Ἔρωτι πανδήμῳ.

P. 440. l. 11. Adde eundem Hirtium in annal. l. l. p. 233. sq. qui e signo Polycratis nomen gerente ap. Boeckh. Corp. Insc. I. p. 13. plura, quam par fuit, argumentatur.

IMPRESSIT C. C. MEINHOLD TYPOGRAPHUS DRESDENSIS.

TABULA I.

Descriptio historiae artis Graecae ab eius Primordiis usque ad Phidiae tempora.

Anni ante Ch. n.	Olymp.	Res populorum et regnorum.	Olymp.	Res literaria.	Olymp.	Agonistica et didascalica.	Olymp.	Artifices eorumque opera.
1230.		Theseus vivit. — *Minos* Cretensis.						
1184.		Troiae excidium.						
1104.		Reditus Heraclidarum in Peloponnesum		Poesis sacra per Graeciam.				
		Coloniae Graecae in Asia potissimum condi coeptae						DAEDALUS Atheniensis — SMILIS Aegineta *Euchir* I picturam invenit. *Dibutades* Corinthius cum *Core* filia plasticen invenit. *Philocles* Aegyptius vel *Cleanthes* Corinthius picturam linearem inveniunt; aequales sunt *Aregon*, *Crato* Sicyonius, *Saurias* Samius. *Ardices* Corinthius et *Telephanes* I. Sicyonius picturam primi exercent. [*Horum omnium tempora sunt incerta.*]
1068.		Regnum ab Atheniensibus abolitum						
880.		Lycurgus rempublicam Lacedaemoniorum instituit.				*Iphitus* Eleus et *Cleosthenes* Pisaeus ludos Olympicos in ordinem redigunt.		
777.	I. 1.	Olympiadum initium.		HOMERUS. Hesiodus.				
754.	VI. 3.	Roma condita.						
743.	IX. 2.	Primum bellum Messenicum incipit.			I. 1.	*Coroebus* Eleus cursu vincit.		
724.	XIV. 1.	Huius belli finis.			VII.	Victoribus Olympicis primum coronae decernuntur.	I.	Circa hoc tempus *Chersiphro* Cnosius arch. — *Telecles*—*Theodorus* I. Samius. *Rhoecus.* *Metagenes* I. — *Paeonius* Ephesius I. — *Learchus* Rheginus.
720.	XV.	*Candaules* rex Lydiae.			XV.	Diaulus Olympiae receptus. *Acanthus* Laco primus nudus currit.		
685.	XXIII. 4.	Secundum bellum Messenicum incipit.			XVIII.	Pentathlon et lucta Olympiae recepta.		
668.	XXVIII. 1.	Secundi belli Messenici finis. Ira capta.		Tyrtaeus-Archilochus.	XXIII.	Pugilatus Olympiae institutus.	XVIII.	*Bularchus* paullo ante hoc tempus pingit in Asia.
664.	XXIX.	*Demaratus* cum *Bacchiadis* Corintho relicto in Italiam venit.			XXV.	Curruum certamen Olympiae institutum.		
660.	XXX.	Aegyptus hoc fere tempore Graecis aperta.					XXV.	*Glaucus* Chius vel Samius ferri glutinationem excogitat.
							XXIX.	*Euchir* II. et *Eugrammus* plastae Corinthii in Italia.
					XXXII.	*Orsippus* Laco.	XXX.	(*Cleophantus* Corinthius p.?)
					XXXIII.	Pancratium virorum Olympiae receptum; item equi desultorii.		
624.	XXXIX. 1.	Draco Atheniensis.			XXXVII.	Puerorum cursus et lucta Olympiae admissa.	XXXV.	*Malas* Chius sculptor.
					XXXVIII.	Quinquertium puerorum Olympiae admissum et abolitum.		
594.	XLVI. 3.	Solo Atheniensibus leges dat.	XLII.	*Alcaeus* et *Sappho* florent. (*Aesopus*)	XLI.	Puerorum pugilatus Olympiae admissus.		
566.	LIII. 3.	*Polycrates* Samius rerum potitur.	L.	Septem sapientum aetas.				
565.	4.	*Phalaris* tyrannus Agrigenti.					XLII.	*Micciades* Chius sculptor.
561.	LIV. 4.	Pisistratus tyrannus Athenarum.					XLVIII.	*Mnesarchus* Thuscus scalptor, pater *Pythagorae* philosophi.
559.	LV. 2.	CYRUS rex Persarum.					L.	Dipoenus et Scyllis, nati in Creta, primi marmore sculpendo inclarescunt. *Anthermus* (?) Chius et *Byzes* Naxius sculptores. — *Endoeus* Atheniensis. *Cyrus* arch
			LVI. 4.	*Stesichorus* Himeraeus obit.			LIV.	*Aristocles* I. Cydoniates stat.
							LV.	*Perillus* (Agrigentinus?) stat.
							LVIII.	*Tectaeus* et *Angelio* sculptores signum Apollinis Delii faciunt. — *Theocles* Laco sculpt.
			LX.	*Hipponax* floret.				*Bupalus* et *Athenis* Chii sculptores circa hoc tempus florent.
							LIX.	*Dontas*, *Dorycl idas* eiusque frater *Medon* Lacones stat. — *Theodorus* II. Samius artifex argentar. (*Syadras* et *Chartas* Lacones stat.?)
							LX.	*Bathycles* Magnesius stat. — *Spintharus* Corinthius architectus. *Antistates*, *Callaeschrus*; *Antimachides* et *Porinus* arch. templi Iovis Olympii Athenis fundamentum circa hoc tempus ponunt.
520.	LXII. 4.	Cyrus obit.						
527.	LXIII. 2.	Pisistratus obit.	LXII.	*Anacreon* floret.				
522.	LXIV. 3.	*Polycrates* obit.			LXI.	*Thespis* fabulas docere incipit.	LXI.	*Cleoetas* Sicyonius stat.
514.	LXVI. 3.	*Hipparchus* Athenis occiditur.			LXII.	*Milo* Crotoniates pancrat clarus.	LXII.	*Demeas* I. Crotoniates stat.
					LXIII. 4.	Aeschylus nascitur.		
510.	LXVII. 3.	*Pisistratidae* expulsi.			LXV.	Cursus armatus Olympiae primum institutus.		
509.	4.	Roma regibus liberata.	LXVII.	Pythagoras obit.			LXV.	Ageladas Argivus st. *Anochi* Olympionicae statuam fundit.
					LXVII.	*Phrynichus* primum vincit.	LXVI.	Ageladas *Cleosthenis* Olympionicae currum fundit, circa idem tempus *Timasithei* quoque victoriam celebrans. — *Callo* I. Aegineta, *Chrysothemis* et *Eutelidas* Argivi, *Gitiadas* Laco statuarii
							LXVIII.	*Amphicrates* st. leaenam facit. *Antenor* st. *Harmodii* et *Aristogitonis* statuas facit Aristocles II Sicyonius frater Canachi I. — *Clearchus* Rheginus stat.
					LXX.	*Apene* Olympiis instituta. — Aeschylus fabulas docere incipit.	LXX.	*Hegesias* st. *Hegias* Athen. st. *Menaechmus* et *Soidas* Naupactii st. *Telephanes* II. Phoceus st. *Arcesilaus* I. stat. *Aglaophon* I. Thasius, pater *Polygnoti* et *Aristophontis* p. *Sillax* Rheginus p.
494.	LXXI. 3.	Mileti excidium — Tribuni plebis Romae creantur.						
490.	LXXII. 3.	Pugna Marathonia.						
488.	LXXIII.	Thessali et Phocenses circa hoc tempus bella gerunt.			LXXI.	Calpe Olympiae instituta.	LXXI. 4.	*Demophilus* I. et *Gorgasus* plastae et pictores Romae artem exercent.
							LXXII.	*Stomius* st.
			LXXIV.	*Simonides* Ceus.	LXXIII. 4.	Aeschylus primum vincit.	LXXIII.	*Glaucias* Aegineta st. Pythagoras I. Rheginus st. artem exercere incipit. Hoc fere tempore Phidias natus.
					LXXIV.	Epicharmus floret.	LXXIV.	*Ascarus* Thebanus stat. hoc fere tempore Iovis statuam fundit Thessalis e spoliis Phocensium. — *Amyclaeus*, *Diyllus* et *Chionis* stat. Phocensibus magnum donarium Delphis dedicatum e praeda Thessalorum faciunt; idem fecit *Aristomedon*.
480.	LXXV. 1.	Pugnae ad Thermopylas et Artemisium. Athenae a *Xerxe* captae — Salamis.						
479.	2.	Proelium Plataeense et Mycalense.			LXXV. 4.	*Phrynichus* Phoenissas docet.	LXXV.	*Synnoon* Aegineta st. — *Aristomedes* et *Socrates* Thebani statuar. — *Critias* Nesiotes stat. recentes tyrannicidarum statuas dedicat.
476.	LXXVI. 1.	*Anaxilaus* Rheginus obit.						
					LXXVI. 4.	Aeschylus Persas docet et vincit.	LXXVI.	*Anaxagoras* Aegineta stat. Iovis signum facit auctoribus civitatibus Graecis, quae victoriae de *Xerxe* reportatae participes fuerant.
467.	LXXVIII. 2.	*Hiero* Syracusanus obit.						
464.	LXXIX. 1.	Tertium bellum Messenicum incipit.						
461.	4.	Aerarium commune Graecorum Delo Athenas translatum. — Pericles prodit.			LXXVII. 4.	Sophocles fabula prima vincit.		*Dionysius* I. et *Glaucus* Argivi stat. — *Simo* Aegineta stat. *Hippodamus* Milesius arch. Piraeum Athenis munit.
							LXXVIII	*Hieronis* mortui currum Olympiae postea dedicatum facit cum Calamide ONATAS Aegineta, cuius aequales sunt Ageladas Argivus, *Hegias* Atheniensis, *Calliteles*, *Calynthus* omnes stat. — *Hippias* et Ageladas Phidiae praeceptores. — *Sophroniscus* Athen. sculptor. — (Pasiteles I.)
			LXXX.	Philosophorum multae scholae oriuntur.			LXXIX.	*Demophilus* II. Himeraeus p. — *Neseas* Thasius p.
					LXXX.	Post hanc Olympiadem Achaei, victoriarum Olymp hucusque expertes, participes earum fiunt.	LXXX.	*Sostratus* I. stat. — *Mico* I Athen st. et p. (*Olympus* st ?) Polygnotus et *Aristophon* Thasii p. — *Dionysius* Colophonius p. — (*Cimo* Cleonaeus p ?) Onatas Polygnoti aequalis. — (*Arcesilaus* II. et *Nicanor* Parii pp.?)
455.	LXXXI. 2.	Athenienses Naupactum Messeniis permittunt						
					LXXX. 2.	Aeschyli Orestea.		
451.	LXXII. 2.	Decemviri Romae primum creati.			LXXXI.	Aeschylus obit. Euripides docere incipit.	LXXXI.	*Ptolichus* Corcyraeus stat. — Post hunc annum *Ageladas* II. Argivus Messeniis Naupactum habitantibus Iovis signum fundit.
449.	4.	Cimo obit.					LXXXII.	*Acestor* Cnosius st. — *Ptolichus* Aeginet. stat — *Scymnus* stat. et cael. *Eucadmus* sculptor.

TABULA II.

Descriptio historiae artis Graecae ab Phidiae usque ad Lysippi et Apellis tempora.

Anni ante Ch. n.	Olymp.	Res populorum et regnorum.	Olymp.	Res literaria.	Olymp.	Agonistica et didascalica.	Olymp.	Artifices eorumque opera.
							LXXXIII.	PHIDIAS Atheniensis clarus. Alcamenes Atheniensis st. et sculpt. — Agoracritus Parius st. et sculpt. Phidiae discipuli. *Critias* Nesiotes etiamtum vivit. — *Cydo* st. *Diodotus* stat. — *Xenocles* Athen. arch. *Panaenus* Atheniensis, frater patruelis Phidiae p. — *Plistaenetus* frater Phidiae p. *Timagoras* Chalcidensis p.
440.	LXXXV. 1.	PERICLES cum Samiis bellum gerit. Socius ei datus est *Sophocles.*	LXXXIV. 2. LXXXV.	Herodotus Thuriis opus suum condit. Pindarus senex octogenarius.	LXXXIV.	Apene et Calpe Olympiae abrogata.	LXXXIV. LXXXV. 3. 4.	*Libo* Eleus templum Iovis Olympici exstruit. — *Mys* caelator. PHIDIAS Minervam aureo-eboream in Parthenone dedicat. — Propylaea coepta. PHIDIAS simulacrum Iovis Olympici incipit, adiuvante *Colota* Pario. Ictinus et Callicrates arch. (Carpio?) *Metagenes* II. Athen. arch.
431. 430.	LXXXVII. 2 3.	Belli Peloponnesii initium. Pericles obit. - Pestis Athenis	LXXXVII.	Hippocrates Ceus floret.			LXXXVI.	*Stipax* Cyprius arch. *Coroebus* arch. *Ctesilaus* st. (*Demetrius* III. st.?) Mnesicles arch. (Hoc fere tempore *Socrates* philos. arti sculptoriae operam dedisse videtur.)
					LXXXVII. 1. 3.	Euripides Medeam, Philoctetem, Dictyem et Messores docet. Eupolis et *Phrynichus* docent fabulas.	4. LXXXVII. 1	PHIDIAS Iovem Olympicum dedicat. PHIDIAS obit. MYRO Eleuthereus st. — POLYCLETUS I. Argivus st. floret. *Callo* II. Eleus, *Gorgias* Laco, *Phradmo* Argivus, *Scopas* Elius, *Theocosmus* Megarensis, omnes stat.
423.	LXXXIX. 2.	Heraeum vetus prope Mycenas combustum.	LXXXIX.	Thucydides in exsilium missus.	LXXXVIII. 1	Aristophanes fabulas docere incipit.	3 LXXXVIII.	Calamis stat. Apollinis Averrunci signum facit. *Amphio* Cnosius st. — *Paeonius* II. Mendaeus st. et sculpt.
					LXXXIX. 1.	Cratini Pytina, Aristophanis Nubes.	LXXXIX.	*Sostratus* Rheginus st.
					XC. 2.	*Alcibiades* circa hoc tempus vincit Olympia. *Io* Chius obit.	XC.	POLYCLETUS I. Argivus signum Iunonis facit. *Apellas, Dionysiodorus, Niceratus* Athen., *Nicodamus* Maenalius, *Pericletus, Sostratus* Chius, omnes stat. *Praxias* et *Androsthenes*, uterque Atheniensis, sculptores templum Delphicum signis exornant. *Clisthenes* arch. — *Eupolemus* Argivus Heraeum prope Mycenas exstruit. *Apollodorus* Athen. p. — *Euenor Parrhasii* pater p. — *Aglaophon* II. filius *Aristophontis, Cephisodorus* I., *Phryllus* pictores. (Hoc fere tempore *Callimachum* κατατηξίτεχνον floruisse probabile est.)
416.	XCI. 1.	Expeditio Sicula Atheniensium Alcibiades.	XCI.	*Andocides* Atheniensis.				
405.	XCIII. 4.	Pugna ad Aegospotamos.						
404. 403.	XCIV. 1. 2.	Athenae a *Lysandro* captae. Thrasybulus liberator Athenarum.	XCIV.	*Lysias* Athenis exsul factus. Thucydides in historia conscribenda etiamtum occupatus.	XCII. 4. XCIII. 2. 3.	Aristophanis Plutus prior. Synoris (biiugorum equorum certamen) Olympiae recepta. Euripides obit. Sophocles obit.	XCII. XCIII. XCIV.	*Lycius Myronis* filius st. — (*Thericles* figulus.) *Phryno* stat. *Antiphanes* Argivus, *Aristander* Parius, stat. Magnum donarium Lacedaemoniorum de victoria ad Aegospotamos reportata Delphis dedicatum fecerunt hi statuarii: *Alypus* Sicyonius, *Canachus* II. Sicyon., *Demeas* II. Clitor., *Patrocles* I. Sicyon., *Piso* Calaurites, *Samolas* Arcas, *Theocosmus* Megarensis, *Tisander.*
			XCV. 1.	SOCRATES obit. Ars oratoria Atheniensium floret.			 XCV. 3.	Alcamenes Minervam et Herculem sculpit, ob eversam XXX. tyrannorum dominationem dedicatos. *Aristocles* IV. sc.
396. 394.	XCVI. 1. 3	Agesilaus in Asia bellum gerit. Veientes a Romanis victi. *Cono* moenia portumque Athenarum reficit. — Bellum Corinthiacum exardet.					4.	ZEUXIS Heracleota p. — eius aequales: *Androcydes* Cyzicenus, *Eupompus* Sicyonius p. Naucydes Argiv frater et praeceptor *Polycleti* II. qui et ipse tum iam artem exercuit, et *Alypi* st. — *Dinomenes* st. — *Callicles* Megar. st. *Daedalus* II. Sicyon. (*Patroclis* fil) tum iam artem exercet.
390.	XCVII. 3.	Galli Romam incendunt.					XCVI.	PARRHASIUS Ephesius. — *Timanthes* Sicyon., *Pauso*, *Colotes* II. Teius pp. *Pantias* Chius st.
					XCVII. 4.	Aristophanis Plutus alter.	XCVII.	SCOPAS Parius sculpt. templum Minervae Tegeaticum exstruit. *Aristodemus* I. p.
					XCIX.	Pulli equi curribus in ludis Olympicis iuncti.	XCVIII.	*Alexis, Asopodorus* (Argivus?), *Aristides, Phryno, Dino, Athenodorus* et *Demeas* II. Clitorii, discipuli *Polycleti* I.
			C.	PLATO floret. — Xenophon. Isocrates.			C.	*Ctesidemus* p. *Polycletus* II. Argivus, *Cleo* I. Sicyon, *Democritus* I Sicyon. statuarii.
371.	CII. 2.	Pugna ad Leuctra. Megalopolis ab Epaminonda condita.					CII.	*Pamphilus* I. Amphipolites, *Euxenidas* pp. *Aristogito* Thebanus, Cephisodotus I. Athen, *Daedalus* II. Sicyon., *Hypatodorus, Pausanias* I. Apolloniates, *Polycles* I., *Xenophon* Athen., *Callistonicus* Theb. omnes statuarii (*Olympiosthenes* et *Strongylio* st.?) *Demophon* Messenius, *Euclides* II. Athen. sculptores.
367. 362.	CIII. 2. CIV. 3.	Primum consules plebeii Romae creantur. Pugna ad Mantineam.					 CIII. CIV.	*Ephorus* Ephesius p. *Apellis praeceptor* — *Miccio* p. LYSIPPUS Sicyonius artem exercere incipit. EUPHRANOR Isthmius st. et p. PRAXITELES (Parius?) st. et sculpt. *Euphronides, Herodotus* Olynthius statuarii.
360. 358. 355. 353.	CV. 1. 3. CVI. 2. 4.	Philippus rex Macedoniae. Bellum sociale. Bellum sacrum *Mausolus* rex Cariae obit.					CV.	*Cydias* Cythnius p. *Nicias* I. p. statuas *Praxitelis* circumlinit. *Nicomachus* I. (Thebanus) p.
							CVI.	SCOPAS Parius templi Dianae Ephesiae conditi particeps. *Brietes* Sicyonius p. *Pausiae* pater. — *Pamphilus* I. Amphipolites superstes.
349.	CVII. 4.	Bellum Olynthiacum.	CVII. 4	DEMOSTHENES orationes Olynthiacas habet.	CVII.	*Alexis* comicus floret, — *Antiphanes* comicus.	CVII.	APELLES primum prodit. — Aristides II. Thebanus p. *Echio* et *Therimachus* pp. (et stat.?) (*Chaereas* st ?) SCOPAS Parius, *Timotheus*, Leochares, *Bryaxis*, *Pythis* et Praxiteles Mausoleum signis ornant, a *Phiteo* et *Satyro* exstructum.
345.	CVIII. 4.	*Timoleo* Syracusis.	CVIII. 4.	*Aeschines* Timarchum accusat.	CVIII.	*Anaxandrides* comicus.	CVIII.	*Corybas* p.
339. 338. 336.	CX. 2. 3. CXI. 1.	Bellum sacrum duce Philippo geritur Pugna ad Chaeroneam. ALEXANDER rex Macedoniae.	CXI.	*Ephorus* historicus etiamtum superstes.			CIX. CX.	*Philochares* Atheniensis p. *Leochares* etiamtum superstes. *Antorides, Leontion* pp.
331.	CXII. 2.	Pugna ad Arbela.	CXII.	ARISTOTELES floret.	CXII.	*Philemo* fabulas docere incipit.	CXI. CXII.	*Antidotus* p. *Euphranoris* discip., ita et *Carmanides, Leonidas* Anthedonius p. APELLES floret. Eius aequales fere sunt: *Amphio, Antiphilus* Aegyptius, *Nicophanes, Asclepiodorus, Theo* Samius, *Melanthius, Pausias* Sicyonius, *Theomnestus*, Nicias II. Athen. et *Ctesilochus Apellis* frater et discipulus, omnes pictores. PYRGOTELES scalptor. *Philo* stat. *Pamphilus* II. sculptor.
					CXIII.	*Dioxippus* pancrat. hoc fere tempore Olympia ἀκονιτὶ vincit.	CXIII.	*Dinocrates* Macedo arch. *Alcimachus* p. *Amphistratus* stat. et sculpt. hoc fere tempore florent.
324. 323. 322.	CXIV. 1. 2. 3.	Alexander obit. *Lycurgus* Atheniensis obit. DEMOSTHENES obit.	CXIV. 3.	Theophrastus successor *Aristotelis.*	CXIV. 4.	Menander primum docet.	CXIV.	*Aristocles* V. *Philoxenus* Eretrienses pp LYSIPPUS etiamtum superstes; eius frater *Lysistratus, Apollodorus, Io, Polyeuctus, Silanio* Athen., *Sostratus* III., *Sthenis* Olynthius, statuarii. *Glaucio* Corinthius, *Gryllo, Ismenias* Chalcidensis, *Aristo* et *Niceros* fratres Thebani, pictores. (Hoc fere tempore *Menestratus* II sculptor.)

15,-

P5-B9011

8725 **SILLIG** (J.). Catalogus artificium sive architecti statu arii sculptores pictores caelatores et scalptores. Dresdae, 1827, in-8, br. (xvi-488 pp.). 100 fr.

GETTY RESEARCH INSTITUTE
3 3125 01031 2375